
Thomas
cantipratensis
de mysticis [illegible]
apibus

Thomas
antipratonius
[illegible]
[illegible]

Thomas
Cantipratanus
de[illegible]
[illegible]
apibus





THOMÆ CANTIPRATANI

S. TH. DOCTORIS,

Ordinis Prædicatorum,

ET EPISCOPI

suffraganei Camuracensis,

Bonum Vniuersale DE APIBVS.

Omni hominum statui, tam Prælatis, quam subditis vtilissimum.





DVACI.

Typis et sumptibus BALTAZARIS BELLERI,

Anno 1627.

THOMÆ CANTIPRATANI


S. THEOL. DOCTORIS, ORDINIS PRÆDICATORVM, ET EPISCOPI SVFFRAGANEI CAMERACENSIS,

BONVM VNIVERSALE DE APIBVS.

In quo ex mirifica apum repub. vniuersa vitæ bene & Christianè instituendæ ratio traditur, & artificiosè pertractatur,

Opus varium & iucundum, insertis vbique miraculis & exemplis memorabilibus sui temporis;

Ad exemplaria complura cùm mss, tum antiqua excusa collatum, à mendis typographicis expurgatum, & notis amplioribus illustratum.



Operâ Georgii Colvenerii *S. Theol. Doctoris, & eiusdem in Academia Duacena regij & ordinarij professoris, Collegiatæ ecclesiæ S. Petri Præpositi & Canonici, & dictæ Academiæ Cancellarij.*

DVACI,
Ex Typographia Baltazaris Belleri, sub Circino aureo. Anno 1627.

Permissu Superiorum.

APPROBATIONES.


Hi duo libri Thomæ Cantipratani, quibus titulum fecit, Bonum vniuersale de apibus, cum subiunctis ad calcem annotationibus; hac editione plurimùm auctis, fructum legentibus adferent, si typis excusi fuerint.

GVILIELMVS ESTIVS *sacrarum literarum regius ordinariusq; professor.*

Idem censeo, BARTHOLOMAEVS PETRVS, S. Theol. Doct. & Professor Regius ac ordinarius.

Hi duo libri Thomæ Cantipratani, quibus titulum præfecit, Bonum vniuersale de apibus, qui noua editione eaque tertia prodeunt in lucem, plurimis iisque nouis aucta annotationibus, quibus, quæ obscura & difficilia erant intellectu clarè explicantur, labore & industria Eximij Domini Magistri nostri Georgij Colvenerij S. Theologiæ Doctoris ac Professoris Regij in Academia Duacensi, quia nihil continent sanctæ fidei Romanæ, ac bonis moribus aduersum, sed multam frugem adferent legentibus, proinde dignum opus esse censuimus, quod de nouo lucem videat & excudatur. Actum Duaci die 13. Iulij 1627.

IACOBVS POLLET S. *Theologiæ Doctor & professor ordinarius.*



ADMODVM R[do]. AC GENERE, RELIGIONE, DOCTRINA ILLVSTRI *viro, domino* ANTONIO DE MONTMORENCY, *monasterij S. Andreæ in Castro Cameracesio abbati, & administratori Fidemiensi salutem precatur in eo, qui est vera salus.*

CVM à compluribus annis à multis desiderarentur huius operis exemplaria, importunè sollicitatus, idem opus iam tertiò ad incudem reuocaui, quò limatiùs & ornatiùs in lucem egrederetur: præsertim quòd cernerem non solùm in Belgio, sed etiam in Gallia, Italia, Germania, & Hispania multorum manu volutatum fuisse, & spacio duorum mensium à prima editione supra quadringenta exemplaria distracta fuisse. Opere autem iam absoluto, cogitanti mihi, cui patrono illud offerrem, R.P.V. occurrit, cuius apud nos Religiosi aliquot commorati sunt, & quę me tam peraman-

ter & humaniter sępius invisere dignata est, & oblata rheda ad castrũ Cameracẽsiũ invitare. Sed & alia mihi huius operis R.P.V. dedicandi causa fuit, quòd optimi prælati exemplar, quale ad instar regis seu ductoris apum, à Cantipratano describitur toto priore libro, in te euidentissimè conspicarer. Vt enim optimi rectoris qualitates, seruato auctoris ordine breuiter recenseam: Pręlatum vult esse bonę vitæ, & famæ, ingeniosum, clementem, benignum, sollicitum pro pace in subditis seruanda, qui eloquentia fulgeat, & puritate conscientiæ, qui contemplationi deditus sit, cultu superfluo non ornetur, qui humeris suis supportet onera subditorum, qui vultum eis hilarem exhibeat, & viam exemplaris vitæ demonstret, opera eorum inspiciat, eos cohortatione & opere adiuuet, qui sedulus sit in corrigendis & exstirpandis vitijs, qui sine causa foris non euagetur, qui denique oberrantes

tes reducat, laſſos releuet, reficiatque. Ad hęc conſideraui opus viri nobilis & Religioſi, nobili pariter, & Religioſo viro dedicandum eſſe, in quo ex profeſſo tota clauſtralium & monaſtices vitæ ratio accuratè traditur, tam quò ad ea, quæ ſuperiores concernunt, quàm ea, quæ ſubiectos. Pleni ſunt etiam hi libri miraculis & varijs & maximis, auctoris ſeculo exhibitis: referunt illuſtria diuinæ bonitatis argumenta in eos, qui Deum ſincerè coluerunt: in flagitioſos verò & impios terribiles irati numinis vltiones. Qualia certè exempla, quò ſunt magis domeſtica, eò ſolent eſſe tum gratiora, tum ad permouendum aptiora. Nam tantò aliquid formidoloſiùs ſolet audiri, quantò magis reſonat de propinquo. Quantum in hoc docendi genere momenti poſitum eſſe ſenſerit ordinis veſtri præclariſſimum decus (quod quidam iniuſtè ei nituntur ſubtrahere) magnus ille Gregorius lucu-

luculenter teſtatum reliquit, dum poſtquam apoſtolicæ ſedis cathedram conſcendit, huic ſe dedit ſcriptionis argumento in 4. libris dialogi ſui, rationem aſſignans in operis exordio: Quia ſunt, inquit, nonnulli, quos ad amorem patriæ cæleſtis plus exempla, quàm prædicamenta ſuccendunt. Quapropter ſuos ad populum ſermones ſolitus eſt inſignis alicuius exempli narratione condire. Qui & alibi, (quod noſtro, & auctoris propoſito valde congruit) ita ſcribit: Cùm bene proficere in ſancta conuerſatione volumus, neceſſarium nobis eſt, vt electorum plurimorum nobis exempla colligamus. Nam & apes componere mella nequeunt, ſi ea in floribus varijs nequaquam legunt.] Séntit profectò vnuſquiſque ſe magis exemplis impelli, quàm verbis, vt elegantiſſimè & veriſſimè dictum ſit: Verbis monemur, exemplis mouemur. Vel vt alij idem efferunt: Verba mouent,

uent, exempla trahunt. Nec est necessum, vt in huius rei confirmationem plura veterum verba sistamus. Erunt itaque hi libri veluti quidam boni cõmunis thesaurus, omnibus ad exhortandum & corripiendum vtiles, erunt ad docendum omnem bene viuendi rationem magnopere efficaces. In eos enim auctor instar sedulę apis, ceu in ditissimum quoddam aluearium, omnium remedia peccatorum, omnium virtutum mella congessit. Quin & solatium tædij R. P. V. esse poterunt, si quando grauioribus curis, vel negotijs secularibus contigerit implicari. Hæc autem non eo fine à me commemorata sunt, quòd hisce exemplis indigeas, qui verè es, & diceris, pater pauperum, & assiduus in lectione scripturarum, ex quibus humilitatis & virtutũ omnium thesaurum tibi comparasti: sed quia nemo sic in virtute profecit, quin in dies maiores progressus facere possit. Hoc igitur

igitur literarium munuſculum, pro ſingulari pietate, pro ſinceri animi candore, & pro eximia illa tua in doctrinarum ſtudia & earum cultores humanitate, rogo ſerena fronte accipere, & in clientelam tuam ſuſcipere digneris, Duaci ex Seminario Henniniano 6. idus Iulij 1627.

Admod. R. P. V.
obſeruantiſſimus

GEORGIVS COLVENERIVS.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

GEORGIVS COLVENEERE Lectori candido S.

ROGATVS à compluribus, lector beneuole, de duobus his Thomæ Cantipratani libris in lucem emittendis, & illustrandis, scripturarum saltem in margine appositæ citatione, & orthographiæ restitutione, aliquoties recusaui. Verùm dum instare pergunt vlteriùs, rem contuli cum nonnullis Theologis, ac viris alijs, religione, doctrinæ insuper & prudentiæ laude excellentibus: qui non solùm id iudicarunt futurum vtile, sed ad idem cohortati sunt. Certè in hoc scripti genere facem auctori prætulerunt Cassianus in primis in suis collationibus, deinde is, qui Vitas Patrum conscripsit Ruffinus Aquileiensis, Gregorius Magnus in dialogo, Ioannes Euiratus in Prato spirituali, Gregorius Turonensis, Petrus Damianus, Petrus abbas Cluniacensis, Cæsarius Heisterbachcensis, alijq́; complures: quorum plerique, sicut vitæ integritate & doctrina, seculis suis spectatissimi exstiterunt: ita singuli rerum sui temporis memorabilium studiosissimi fuerunt indagatores, quas & omni fide ac industria ad posteritatem transmiserunt, ad diuinę gloriæ & publicæ vtilitatis incrementum. Censuerunt enim in bonitatis & gloriæ diuinæ iniuriam vergere, si admiranda Dei opera, ingrato silentio vel obscurentur, vel penitus obliterentur: homines verò tam pios, quàm impios, cognitione & commemoratione eorumdem, ad diuini nominis glorificatio-

nem

nem conuerti, ac vehementer accendi. Vt enim non repetam ea, quæ in præliminari epistola de hac re attigi: Nonnumquam, ait B. Gregorius hom. 38. in Euangelia, mentes audientium plus exempla fideliũ, quàm docentium vèrba conuertunt. Et hom. 39. ad amorem Dei & proximi plerumque corda audientium plus exempla, quàm verba excitant. Huiuscemodi scripta assiduè peruolutarunt, rimati in ijs salutis semitas, viri sanctitate celebres, & qui multis alijs ad æterna vitæ gaudia duces extitere, S. Fulgentius Ruspensis Episcopus. S. Benedictus, Cassiodorus, B. Dominicus, S. Thomas Aquinas, Dionysius Carthusianus, sanctus Jgnatius Loiola, idemq; alijs faciendum, facto & verbis commonuerunt. Eò autem hæc legi solent vel audiri lubentiùs, quò maiori fulciuntur fide veritatis. Vt autem de alijs nunc taceam, quæcumque à nostro Thoma de Cantiprato referũtur, ea (pauculis exceptis, quibus iudicium nostrum, vel in margine, vel in notis adieci) tanta veritatis certitudine, vel probabilitate commemorantur, vt nec à refractario lectore in dubium verti poßint. Res enim in primis refert gestas suo tempore, quas vel ipse vidit, vel quarum oculatos profert testes, vel aliàs à fide dignis accepit. In plurimis insuper annum Dominicæ incarnationis addit, quo gesta sunt, ciuitatem item aut pagum, & ipsas non raro personas nominat, frequentiùs id facturus, nisi adhuc in viuis fuissent dum hæc scriberet. Præter pietatem, eruditionem, & longæ ætatis experientiam, cum auctoritate scribit ac loquitur. Nonnumquam Deum quoque vltorem inuocat in animam suam, si in eo, quod refert, mendax inueniatur. In ijs verò, quæ auditu perceperat, certiùs explorandis (ne quis nimis credulum fuisse arbitretur) tanta ei cura fuit, vt interdum

terdum 40. milliaria sit emensus, vt oculis contuere-tur, quæ auribus acceperat. Interdum nauigio do-mum quamdam prætervectus, aut non procul ab ea, in qua insigne miraculum contigisse audierat, naue re-licta, pedibus eò se contulit, vt familiam cerneret in qua acciderat. Similem in eo diligentiam animad-uertere est in vita B. Christinæ cap. 23. vbi refert se ex longinquis Galliarum partibus profectum ad ca-strum Germaniæ conterminum, quod Loën appella-tur, vt ab Iuetta reclusa quadam, eximia pietate conspicua, instrueretur de ijs quæ ibidem degens B. Christina gesserat. Sed de hac re plura in vita aucto-ris. Quòd verò hactenus ante primam à me factam editionem anno 1597. à multis in pretio habiti non fuerint hi eius libri, id partim accidit, quia plerosque latuerunt: partim verò, quòd obscuro titulo, & sine au-ctoris nomine proferebantur, sub nomine libri apum, vel de apibus, etiam ab ijs, qui sunt eiusdem cum au-ctore professionis, vt nominatim Michaele de Insulis in Quodlibeto de Rosario B. Mariæ c. 5. & multis a-lijs. Parisijs editio facta ab hinc centum & decem an-nis, (passim vocamus tertium impressum) titulos mul-tiplicat hunc in modum: Liber apum, aut de apibus mysticis, siue de proprietatibus apum: siue Vniuersale bonum, tractans de prælatis & subditis vbique spar-sim exemplis notabilibus. Quis autem librum magni faciat cuius auctor ignoratur, & ex cuius inscriptione nescias, an de rebus sacris disserat, an prophanis? Nunc verò & ipsum damus auctorem, genere nobi-lem, professione Dominicanum, gradu S. Theologiæ doctorem, ordine Episcopum: & seruato, quem auctor dedit, operis titulo, quid in eo tractetur clarissimè elu-cescit. Peculiare enim huic auctori est præ cæteris su-

lib. 1. c. vlt. p. 6. l. 2. c. 25. p. 12.

prà nominatis, quòd simul ex mirifica Apum Repub. omnem doceat bene viuendi rationem. Neque hoc docendi genus vel ab ipsa scriptura sacra, quæ non rarò nos ad bruta remittit animalia: vel à SS. Patrum scriptis dissonat. Vtuntur hac eadem docendi formula, inter alios, S. Basilius homil. 8. in hexaëm. vbi post recitatas aliquot Apum proprietates, ita subdit: Audiant ista Christiani, quibus lege sancitum est, nemini vmquam homini pro malo reddere malum, sed malum vincere superareque bono. Imitare mores apis peculiares, quæ nemini prorsus officiens, nec alienos vllos fructus demoliens, fauos exstruit & compingit suos &c. Vtitur & B. Ambrosius lib. 5. hex. cap. 21. vbi & diuinum de hac re citat testimonium, his verbis: Meritò quasi bonam operariam scriptura apem prædicat, dicens: Vade ad apem, & vide quomodo operaria est &c. ex Pro. c. 6. iuxta 70. Locum infrà plenè allegabimus. Ex quo loco Hieronymus eamdem citat sententiam in cap. 3. Ezech. & ad eam respicit in epistola ad Rusticum monachum, dum ait: Apum fabricare aluearia, ad quas te mittunt Salomonis Prouerbia, & monasteriorum ordinem ac regiam disciplinam in paruis disce corporibus. Quapropter falluntur tam Erasmus, quàm Marianus Victorius, qui in suis scholijs ad hanc Hieronymi epistolam annotant, eum respicere ad locum Ecclesiastici 11. vbi dicitur: Breuis in volatilibus apis, & initium dulcoris habet fructus eius. Sed respicitur ad cap. 6. Pro. vt iam olim annotatum est de Consecrat. dist. 5. c. 33. Numquam. quod sumptum est ex dicta Hiero. epistola. Vbi glossa ad illa verba Salomonis prouerbia, ait: Salomonis dicentis: Vade ad apem, & disce quomodo operatrix sit, & castum opus faciat. Meminit & eiusdem testimonij

Pro. 6. Isa. 1. Ierem. 8 & alibi.

stimonij loco citato Basilius. Item S. Epiphanius hæresi 80. vbi vitiosè legitur in translatione Iani Cornarij: Sapientiam honorans producta est, cùm proiecta legendum sit. Post citata autem scripturæ verba addit Ambrosius: Audis quid dicat propheta? Mittit vtique te, vt apiculæ illius sequaris exemplum, imiteris operationem &c. De B. item Cæcilia recinit Ecclesia, quòd Deo tanquam apis argumentosa deseruierit, & S. Bernardus serm. 2. de aduentu Domini Christum api comparat. Denique Petrus Messias in varijs suis lectionibus par. 4. cap. 13. docet, Deum rempublicam Apum ordinasse hominibus in exemplum, & in multis sigillatim ostendit. Maxima pars miraculorum atque exemplorũ, quæ in hoc opere recitantur, in Belgio contigit, plurima tamen etiam referuntur, quæ in Gallia, nonnulla quæ in Syria, Italia, Hispania, Germania, Burgundia, Dacia, Cumania, Hungaria denique, & Anglia. Ex his libris cernere est, Belgium, non minus, quàm iam nominatas prouincias, eo tempore fuisse instar horti liliorum Domini, & paradisi deliciarum. Tantâ vbique vtriusque sexus monasteria sanctitate florebant. Multæ præterea erant in eo, quæ Reclusæ dicebantur, mulieres pietate excellentes, in aluearijs modicarum cellularum, tanquam Apes Domini, dulcedinem spiritualem mellificantes. Hanc auitam pietatem, vbi collapsa est, horum editione librorum, in quibus sanctarum mulierum, ac Patrum Belgicorum facta memorabilia commemorantur, redintegrari desideramus.

Cæterum, quæ in his libris opera nostra præstitit, hæc sunt. Contuli in primis omnia ad verbum, vt loquũtur, ad septem exemplaria, quatuor manuscripta, & tria impressa, quorum recentissimum ab hinc annis

nis

nis ampliùs centum typis est excusum. Qua collatione aliquot mendarum millia sustuli. Vbi dubia videbatur lectio, quæ sensum variabat, eaq; alicuius, quantumuis exigui, momenti, eam in margine adnotaui, vel, vbi prolixior, in notis post finem operis. Horrebant omnia densa caligine, nullum erat exemplar, quod diphthongum vllam scriberet, vel accentum notaret, commata vix vlla, & dispunctio orationis persæpe viciosa. Quoniam verò multos esse deprehendo, qui in recognoscendis veterum scriptis nimium sibi tribuentes, pro germana lectione supposititiam obtrudere non verentur, nulla etiam sæpenumero eius rei, vel per leuem annotatiunculam, facta mentione; adeo religiosè eam reliqui lectionem, tametsi interdum barbaram, quæ in exemplaribus reperiebatur. vt numquā ab ea discesserim, nisi id expressè in margine vel in notis declarauerim; vt si fortè me falli contigerit, lectoris cuiusque iudicio id explorari possit. Solummodo quatuor circiter vicibus, vbi syntaxis id prorsus requirebat, verbulum, eodem planè retento sensu, immutaui. Verbi causa: colum quam, scripsi, pro (quem) item lib. 2. cap. 53. p. 34. Nec mora sacerdote illo iterato edito signo crucis &c. scripsi, à sacerdote, Insuper quod reticere nefas ducimus, vbique pro Parisius, qua voce indeclinabiliter vtebantur, scripsi Parisijs vel Parisios.

Exemplaria quibus vsi sumus hæc sunt. Primò exemplar eleganti manu in membrana descriptum suppeditauit insignis Abbatia sancti Sepulchri in vrbe Cameracensi, quod omnium erat correctissimum & probatissimum, ad quod hac editione vniuersa collata sunt. Hoc exemplar notamus ms. s.

Alterum item in membranis conscriptum obtulit

bibliotheca Prædicatorum conuentus Duacensis, quod inplerisque cum prædicto conuenit: sed nec tam correctum est, nec tam antiquum esse videtur. Scriptum enim est anno 1489. Signamus ms. p.

Deinde duo habuimus impressa ab ipsa typographiæ infantia, vnum, idq́; antiquius à clarissimo I.U. Doctore, & in hac Vniuersitate Canonum professore primario D. Boëtio Epone. In eo antiqua manu & littera scriptus erat annus 1478. ex quo satis apparet librum tunc fuisse compactum. Excusus autem videtur Dauentriæ ex collatione typorum cum Speculo exemplorum ibidem excuso, & alijs antiquis libris. Item ex eo quod libro 2. c. X. p. 14. pro gyrouagos habeat dictionem Theutonicam vinloopers. Alterum, sed quod ex priori constat expressum (rarissimè enim vel in verbo dissentit ab eo) pro sua humanitate lubenter contulit insigni pietate, nobilitate, & eruditione Michael D'Esne, D. de Betencourt, Episcopus Tornacensis. Hæc sunt quæ appellamus duo impressa antiquiora, & notamus 2. imp. Atque hæc 4. exemplaria textum habent continuum, non autem in partes diuisum, quod non ab auctore, sed posteriorum diligentia ad maiorem lectoris commoditatem factum est.

Tertium ms. accepi ab erudito & nobili D. Renulpho de Bonmarchiet, B. Waldetrudis in vrbe Montensi canonico, ideóque signamus ms. b. Istud vbique ferè conspirat cum tertio impresso, vt ex huius generis exemplari id excusum esse constet, idq́; Parisijs, sed quo impresso nullum est vitiosius. In his duobus exemplaribus, quæ multum discrepant à quatuor prioribus, quispiam, volens fortè styli simplicitatem interdum expolire, à genuina auctoris scriptura & sententia sæpe deflexit.

His sex exemplaribus, in secunda editione per nos facta accessit septimum exemplar, idq; ms. quod pro suo affectu in Christianam pietatem lubenter ad me transmisit Carthusia Valentianensis, ideóque designamus littera c. Est autem egregio calamo exaratum in membrana. Sed quod vix in vllo dissentit à ms. b. & tertio impresso, de quibus iam diximus. Quibus omnibus in hac tertia editione accessit collatio ad Speculum exemplorum dist. quinta, quæ tota desumpta est ex hoc Cantipratani opere; Item ad ms. exemplar vitæ auctoris conscripta à Ioanne Gilemans, in qua multa verbotenus citat ex his duobus libris: loca in margine vitæ ipsius adnotaui.

In varijs lectionibus, si quando notaui vnum, vel plura exemplaria hoc aut illo modo legere, noueris eum reliqua omnia, quorum in margine non fit mentio, eam habere lectionem, quæ in textu ponitur. Verbi causa si notetur ms. s. solum, aliter legere, sex reliqua eam habebunt lectionem, quæ textus est, & sic in alijs. Vera lectio sæpe in margine ponitur: Nam cùm ea quæ in textu est concinnior videbatur, & sensu congruens cum altera, non placuit eam loco pellere. Cifra o interdum addita, nullius momenti eam esse lectionem significat. Præter hanc laboriosam sanè collationem notaui in margine omnia loca scripturarum, & ferè auctorum omnium quos citat. Loca enim quædam in Augustino & Seneca non occurrebant. Vsi autem sumus editione operum Senecæ Basiliensi anni 1557. quam inter plures etiam tempore posteriores, emendatiorem reperi. Quod idcirco admoneo, quia nonnunquam ex originali verbulum aliquod restitui, vt cernere licet in margine; quod tamen passim faciendum non putaui, quia in citandis Senecæ verbis auctor ali-

quid interdum permutat. Cùm enim multa ferè intermittat, & ex diuersis locis centonem conficiat, connexio exigit nonnullam alicuius verbi mutationem, vel additionem. Si quando dixero apud Augustinum, vel apud Senecam, phrasi hac, quæ apud modernos Doctores vsurpari cœpit ab annis 40. & ampliùs, significare volo, libros illos horum auctorum non esse, quorum nomina præferunt. Argumenta, seu, vt vocant, summaria capitum, auctoris sunt: partium verò in quas capitula diuiduntur, & quidquid in margine cernitur, nostrum est. Denique ad finem, opus totum annotationibus illustraui, sententias vbique & voces obscuriores interpretatus sum, frequenter ex alijs auctoribus ea, quæ maiorem fidem dictis auctoris nostri conciliare possent, adijciens: ea verò, quę interdum minus rectè dicta videbantur reijciens, vel explanans: vt notæ nostræ partim sint exegeticæ, partim censorię. Non enim satis probare possum eos, qui nudos extrudunt veteres auctores, nec tam diu saltem apud se commorari sinunt, donec veste honesta, hoc est, scholijs, annotationibus, aut ad minimum varijs lectionibus eos exornent. Hæc & plura alia præstiti, pro quibus omnibus à pijs lectoribus idem deposco quod auctor in conclusione operis, & potissimùm à sacro Prædicatorum ordine, vt suis precibus me meo commendent Redemptori, ac patronis ordinis sui B. Virgini Mariæ, & B. Dominico, totiq; cælesti curiæ.

QVID IN SECVNDA ET TERTIA EDITIONE PRÆSTITVM SIT.

PRÆTER laborem in prima editione impensum. 2. editione collatum est integrum opus, & emen-

datum

datum ad correctissimum exemplar ms. Abbatiæ sancti Sepulchri Cameracensis, quod demum nactus fueram, dum prior editio plusquam dimidia parte excusa erat; ita vt ea, quæ maioris erant momenti, notis interserere oportuerit: quæ nunc, inde sublata, quæque locis suis restitui. Adhac totum opus contuli ad nouum exemplar ms. Carthusiæ Valentianensis. Marginales quasdam varietates lectionum sustuli, in 2. & 3. editione, quia horum præsidio exemplarium constabat de vera lectione, interdum etiam aliquas addidi. Non fuisset, fateor, necesse omnes eas varietates annotasse in margine vel in notis, quas annotaui, sed ita placuit, vt fidem diligentiæ & difficultatem verioris lectionis eliciendi lectoribus comprobarem, ac suum eis quoque iudicium permitterem, contra temerariam & improbam eorum audaciam, qui statim mutant, quod non intelligunt; cum sæpe deprehenderim, tam in sacris scripturis, quàm in alijs, eam lectionem esse veriorem, quæ minùs verisimilis est. Proprietates apum integrè contuli ad librum auctoris nostri de natura rerum, quem post primam editionem nactus sum. Nonnulla Augustini, & aliorum loca, quæ antea inueniri non potuerant, inuenta sunt, & adnotata. Quia verò hoc lectoribus gratum fuisse intellexi, quòd multa loca vel in margine, vel in notis adnotaueram, vbi idem vel simile refertur: id 2. & 3. editione copiosiùs præstiti. Annotationes ita auctæ sunt, vt nunc ad instar breuis commentarij esse queant. Video enim viros quosdam doctos, etiam prioris editionis notas, eo nomine dignari, dum me Cantipratani Commentatorem nominant, vt R. P. Nicolaus Serarius Societatis Iesu theologus in cap. 6. Tobiæ quæst. 2. Sunt autem adnotationes nostræ partim Theologicæ, partim Historicæ,

storicæ, partim Grammaticæ. In vita quoque auctoris quædam adieci, quæ me priùs latebant à viris doctis suppeditata, Denique & indicem auctorum addidi in notis à me citatorum. Nullum autem citaui locum alicuius auctoris, qui quidem exstet, quem non inspexerim, exceptis paucis prophanis in explicanda significatione vocabulorum minùs Latinorum, in quibus aliorum citatione contentus fui.

In hac tertia editione ista accesserunt: Vita auctoris per Ioannem Gilemans conscripta, ex Hagiologio Brabantiæ. Eam, quæ per me scripta est adauxi, sicut & virorum illustrium de auctore testimonia & elogia. Pro loco scripturæ Pro. 6. iuxta editionem 70. interpretum: Aut vade ad apem &c. SS. Patrum Græcorum & Latinorum adieci testimonia. Deinde auctores aliquot, qui præter Cantipratanum scripserunt de apibus, & earum mirabili politia. Annotationes duplò vberiores sunt, quàm erant in 1. vel 2. editione. In fine adiecti sunt duo noui indices: Vnus virorum ac mulierum auctoris seculo, vel paulò antè sanctæ ac laudabilis vitæ, quorum gesta describuntur, vel exempla imitanda proponuntur. Alter est Annotationum. Denique loca, quæ ex Seneca citantur à Cantipratano, & tamen in ipsius operibus iam non leguntur.

GESTA VENERABILIS THOMÆ DE CANTIPRATO SVPPRIORIS

domus Prædicatorum Louaniensium, descripta ex Hagiologio Brabantinorum Ioannis Gilemans, Canonici Regularis in Rubea valle, ad verbum penè desumpta ex l. 2. huius operis, locis in margine notatis.

VEnerabilis THOMAS DE CANTIPRATO fuit vir vrbanæ eloquentiæ, & militaris prosapiæ, natus de villa Liewis S. Petri, iuxta Bruxellam in Brabantia. (c. 53. p. 37.) Quem cùm pater suus adhuc puerum ad literarum studium, & vitam cælibem prouocaret; sæpius eidem cum lacrymis & deuotione referre solebat: Cùm mare (inquit) transissem, terram sanctam ac Ierosolymam visitare, veni in montem, quem Nigrum vocant, vbi sparsim multi viri sancti vitam eremiticam sectando, Domino seruiebant. Vni ergo eorum peccata mea confessus, responsum accepi, me de facili culpas meas non posse per pœnitentiam diluere: sed si filium haberem, & hunc ad litteras ponerem, & fieret sacerdos idoneus Christo, potissimè per hunc me posse iuuari. Huius occasione consilij Thomas in scholam datus est; cuius pater postmodum, diuina gratia suffragante, tam per ipsum, quàm per alios, quos publicè in sermonibus, vel secretè in consilijs ad orandum pro illo efficaciter inducere potuit, adiutus est multis modis. Pro quo si filius aliquando celebrare distulisset, aliàs impeditus: ipse eidem apparebat in somnis, & ostensis manibus, pluribus plagis liuidis, illum vtique cur patrem filius non iuuaret, sinceriter arguebat.

Hic cum recenter ad ordinem presbyterij ętate iuuenis

iuuenis accessisset, in confessionibus audiendis vices l.2. vita S. Lutgardis c. 38.
Episcopi, contra voluntatem, habere compulsus est, quas postmodum in diuersis diœcesibus per triginta annos, & eo ampliùs, exercuit. Hoc autē cùm in magna cordis formidine inchoasset, cœpit vexatis exteriùs auribus, ex auditu, interiùs tentationū stimulis agitari. Maximo ergo timore & horrore correptus, ad piam Luitgardē, in Aquiria tunc temporis sanctissimā monialem, sicut ad specialissimam sibi matrem, accessit, & eidem grauamen suum, dolore tactus, aperuit. Quæ dolens, compassa, in orationem se dedit: & rediens, cum magna fiducia dixit: Reuertere fili ad locum tuum, & laborem debitum animabus curandis impende: aderit tibi CHRISTVS protector & doctor, qui & in confessionibus audiendis à * iaculis alias laqueis. inimici te potenter eripiat, & in defectu scientiæ, quem vereris, addet gratiam ampliorem. Mira res. Ab illa enim die quàm diu iniuncto officio vsus fuit, prophetiam beatæ Luitgardis in se veracissimè fuit expertus. Nam quantò immundiora erant, quæ audiuit, tantò minùs ea curauit, minus in audiendo motus fuit. Intrauit post hæc ordinem Fratrum Prædicatorum, in quo cùm laudabiliter per duodecim circiter annos conuersatus fuisset, constitutus est Supprior in Conuentu Louaniensi.

Quo in tempore, constitutus die quadam apud c. 53. p. 2 Treuerim totius Europæ antiquissimam ciuitatem, vidit structuræ cuiusdam mirabilis vestigia, quæ Helenæ Constantini matris palatium fuisse dicebatur, quod ne ab inimicis in periculum ciuitatis præoccuparetur, à ciuibus est destructum. In huius latere à parte Aquilonari oratorium paruum est inuentum, in quo altare ex marmore candidissimum erat, & in latere dextro sepulchrum. Scriptura vero super sepulchrum

pulchrum in pariete legebatur hoc modo: *Sancte Theodulphe nostri petimus miserere.* Deposito autem lapide corpus inuentum est incorruptum. Huius reliquias capillorum, & vnguium, in antiquissimo monasterio iam dictæ ciuitatis, quod Horreum dicitur, cum superscriptione veteri, hic vir venerabilis adinuenit, & de permissione ciuium, manum vnam de corpore sancti, quod annis ferè sexcentis integraliter manserat, mox abscidit, ac in Louanium ad propriam domum deportauit.

c.40.p.2 Apud Duacũ in Gallia tale quid fama vulgante percepit. Nam in ecclesia S. Amati episcopi, cũ sacerdos, in pascha, communicato populo, corpus Christi super nudã terrã stupidus inuenisset, & flexis genibus eleuare tẽtasset: mox per se in aëra subleuatũ, panniculo, quo consecratos digitos detergere solet, inhæsit. Clamans ergo sacerdos canonicos vocat; accurrunt illi, spectant in panno corpus viuificum in specie faciei venustissimi pueri, & mox conuocato populo ad spectaculum præsentatur, & indifferenter nulli tanta cælitus visio denegatur. Venit hic cum alijs in oppidum; accessit ad Decanum ecclesiæ, cui optimè notus erat, petijt videre miraculum, annuit ille, aperta est theca, concurrit populus, & mox vbi pixis reuoluitur, clamant omnes: Ecce iam video, ecce conspicio Saluatorem. Stabat venerabilis Thomas attonitus, nihil videns nisi tantùm speciem albissimi panis, in nullo quidem sibi conscius, quare sacro-sanctum corpus cum cæteris non videret. Nec diu secum ista voluebat, cùm ecce vidit faciem in mensuram ætatis plenitudinis Christi, spineam coronam in capite gestantem, & duas guttas sanguinis de fronte ex vtraque parte nasi per faciem descendentes. Mox igitur, flexis genibus, cum lacrymis adorauit. Surgens au-

tem

tem post hæc, nec coronam in capite, nec sanguinem vidit, sed faciem hominis super omnem effigiem honoratam, conuersam ad dextram, ita vt vix dexter oculus videri posset. Nasus erat admodum longus, directus valde, supercilia arcuata, oculos simplicissimos atque demissos habebat, cæsariem longam super humeros descendentem, barbam intonsam & sub mento curuatam, sub rictu extremitatum iocundissimi oris, ex vtraque parte menti nudas propè à pilis valliculas, vt in iuuenibus apparere solet, qui barbam à puero nutrierunt. frontem latam, macilentas genas, & collum longum cum capite parum inflexum. Hoc schema, hic decor benignissimæ faciei, quam vidit.

Insuper quadam vice crucem in cælo ex clarissimo sidereo lumine videre meruit, antequam pijssimus Rex Francorum Ludouicus Crucem transmarinam susciperet, anno videlicet 1246. nec (vt asseruit) recolebat se decentiùs & operosiùs formatam Crucem, vmquam sub aliqua materia vel figura vidisse. Octenos habere cubitos Crucem ipsam in longitudine sibi planissimè visum est. Serenum cælum erat valde, & sine vlla nube in aliqua parte sui, & sub nostro horizonte cælum erat coloris vnius. Et quot cubitis eadem crux, vt dictum est, præeminebat, penè tot vicibus crucem contra infideles suis temporibus prędicari cernebat. Contigit eodem vices Episcopi (vt dictum est) agente, vt quodam die Augusti mensis, familia circa messem instantiùs occupata, facto manè prandio, ipse & diaconus, qui cum eo religiosè degebat, rete sumerent, & vt tempus deducerent, ad piscinam latè diffusam pariter accederent ad piscandum. Remisso tamen diacono ad custodiam domus, intrauit hic solus nauiculam ad piscandum: Multo ergo nisu capere aliquem, longa die, frustra

c.1.p.9.

c.25.p.10.

cona-

conatus est, & circa occasum solis cùm exire tentaret, ecce prædictus diaconus, cum tribus fratribus Minoribus receptis hospitio veniebat. Quos vt vidit venerabilis Thomas, gauisus est, & omissa salutatione præ gaudio, dixit: Per totam diem laborans nihil prendidi, in verbo autem vestro laxabo rete. Et accepta corda vnius, qua cinctus erat, retis funiculo alligauit. Prima ergo vice iactato reti traxit in terram octoginta pisces, talis qualitatis, saporis & esus, quales numquam antè vel pòst in eadem piscina, vel alia eiusdem speciei, viderit vel gustauerit. Læti ergo pro facto mirabili domum perrexerunt, & refectis eis, reuersa familia, quotquot erant in domo satiati sunt, & missis partibus his, qui sibi non præparauerant, gratias Domino largitori retulerunt.

c.55.p.2. Cùm in illa Dominicæ Pasſionis sexta feria ante Pascha, ipse in episcopatu Cameracẽsi tunc manens, & confesſiones audiens in ecclesia resideret, aduenit puer annorum ferè quindecim, ei cum dolore mirabili procidens ante pedes, qui dixit: Miserere mei, domine, miserere mei; quia mihi terribile quid accidit hodie. Obstupefactus ergo quid tam horrendum tali puero contigisset; hortabatur ipsum cum lacrymis; vt audacter ediceret, quid hoc esset. Heu (inquit) domine, sedebam in campo cum socijs iuxta oues, incîdi hastulam ad sagittam faciendam: & ecce hastula sine vllo meo vulnere vel læsura; sanguine tincta est & respersa. Hoc cùm audisset venerandus Confessor, miratus quidem est, & gauisus quòd puero nihil grauius accidisset; omen tamen futuri alicuius infortunij mox aduertit. Confortatum ergo, admonitum, & absolutum puerum dimisit. Nec vix septem dierum spacium intercesſit cùm ecce mater-familias adueniens, eumdem puerum denunciat grauiter in-

ter infirmari, & ipsius Confessoris aduentum cum lacrymis præstolari. Nec mora, surrexit ille, & venit ad puerum, qui mox confessus est peccatum in tali ætate grauissimum, quod ei feria sexta post diem Paschæ contigerat, & adiunxit: Huius (inquit) sceleris horrore contabui & elangui statim. Nocte autem media, cùm solus iacerem in lectulo, mori mihi visus sum: & ecce viri turpissimi meam animam rapiẽtes, per vallem fumo teterrimam, & longissimam, portauerunt: & in puteum altissimum, flammeis ardoribus æstuantem, quasi molem glaciei frigentem in ignibus proiecerunt. Cumque ibidem miris incendijs cruciarer, ecce vocem audiui, quasi diceretur: Parcatis puero, parcatis ætati: & subitò ereptus sum ac vitæ restitutus. oculos autem statim aperiens, vidi miræ pulchritudinis dominam astantem, & dicentem mihi: Ne timeas, chare fili, doluisti, & veniam consequeris. A te nunc cùm recessero, diabolus veniet in specie sacerdotis: ne credas ei, sed demanda illum cui confessus es ante Pascha. Hæc dicens, disparuit, & subitò astitit mihi quasi vir reuerendus in specie sacerdotis alba indutus, & casula, velut in candida pixide præferens sacramenta, qui me ad confessionem & sacramentorum susceptionem, residens hortabatur. Cumque signo crucis diutiùs reluctarer, & ille nihilominus(à remotis tamen) ficta ingereret sacramenta: tandem post longum agonem B. Virginem Mariam inuocaui: & mox seductor ille disparuit, &, me petente, materfamilias vos vocauit. Hæc vt audiuit Confessor prudentissimus, supra modum miratus est audaciam & præsumptionem diaboli, qui fictione sua temerare tentauit viuifica sacramenta, credens atque asserens, quòd nisi puer fuisset à gloriosa Christi matre præmunitus, accepisset fi-

ſet figmenta diaboli: qui per hoc, ad minùs contaminatum corpus poſſeſſurus introiſſet. Glorificauit itaque Dominum, & multipliciter benedixit, qui tali puero intelligentiam & conſtantiam dedit, ac per eum, & in eo ſuæ benignitatis opera confirmauit. Iuſſit ergo mox parochianum eius presbyterum acerſiri, & eum ſacramentis ſalutaribus præmuniri, & ſic die tertia ab hac vita migrauit, & conſummatus in breui tempora periculoſa compleuit.

c.vlt.p. 39. & 40 Accerſitus quadam die ad compeſcendas iniurias, & diſsipandas inimicitias, quæ inter duos fratres carnales grauiſsimæ verſabantur, cum eorum germano ſacerdote præclaro; iter arripuit. Vbi ergo ſacra nocte ante vigiliam paſchæ ambo in cænaculo iacebant, in ſpatio trium milliarum aut quatuor à loco, ad quem tendebant: venerabilis Thomas ante diem euigilauit adhortans ſacerdotem, vt deſcendens inferiùs, ignem in candela deferret, qua, inſpecto libro, matutinarum officium decantarent. Paruit ille, ſed cùm candelam accendere debuiſſet, tanto tremore cõcuſſus eſt, quòd ſine igne recurreret, dicens: Ignem ad præſens non habeo, expectare nos oportet lucem diei. Sicque ille vitauit mendacium, & puſillanimitatis ſuæ verecundiam non detexit. Ergo vbi rurſus obdormierunt, non euigilauerunt vſque ad ſolis ortum. Excitatus igitur venerabilis Thomas, & ſe dolens tamdiu dormiuiſſe, ſurgens in lecto conſedit, apertis autem oculis, verſus feneſtrã vidit quaſi ſocium ſuum caluo capite, nudato inguine, atque aſinino veretro extento, velut ad vrinam faciendam, diabolum ſtantem. Indignatus ergo ſocio vehementer, cùm eum increpare vellet, nec poſſet ablata voce, audiuit mox ſtertentem ſocium ad pedes ſuos in lecto; & clamans voce reddita, dixit ad eum cum ſtupore ſurgentem;

Ecce,

Ecce, inquit, iuxta me cum quanta inordinatione, in ſpecie tua, diabolus ſtat ad feneſtram, qui me contra te valde commouit. Et hæc dicens, vidit, quia malignus ille per feneſtram quaſi fumus euanuit. Dictis ergo matutinis feſtinauerunt ad locum deſtinatum; nec mora, vbi ſequenti die paſchę celebrauerunt, prędicauerunt, & comederunt, cùm ſe venerabilis Thomas in pomerio, ſub diuo, ad ſomnum meridianum depoſuiſſet, & clauſiſſet oculos ad dormiendum; audiuit eminus iuxta ſe quaſi ſuſurrantes aliquos ſubmiſſè tamen. Verens autem & cogitans ne fortè aliqui eum expectarent, vt eis ſatisfaceret aperuit oculos, & ſurrexit: & neminem videns reclinauit ſe. & clauſit oculos. Et rurſus audiens iam altiùs & *eminentiùs murmurantes, ſurrexit, nec tamen vllum vidit. Sed nec tum aliquid de nequitia dæmonum ſuſpicatus, tertiò ſe repoſuit ad pauſandum; nec interſtitium aliquod, clauſis oculis interceſſit; cùm manifeſta voce audiuit in hæc verba contumeliæ prorumpentes: Ecce (inquiunt) cum quanta ſuperbia vilis iſte nos facit dormiens expectare. Ad hæc igitur verba, cùm mox apertis oculis ſurrexiſſet, nec aliquem inueniſſet: coniecit proculdubio dæmonum iniquitatem, qui & eum turbare voluerunt, & indicium futuræ nequitiæ demonſtrare. Quarta enim feria ſequenti infra octauam Paſchæ conuenerunt amici fratrum illorum, quos ad pacem reducere venerat, & inter agendum tanta inter ſe fratres diſcordia ſunt commoti, quod in eodem loco, vbi antea dæmones audierat murmurantes, niſi maxima parentum & amicorum violentia reſtitiſſet, ſe inuicem inſtinctu dæmonum validiſsimo, peremiſſent. Attamen vicit vir prudentiſsimus, Dei

* al. euidentiùs.

gratia, nequitiam dæmonum, & pacem reformauit inter fratres.

Quantæ autem fuerit efficaciæ & discretionis in dandis consilijs, & anxietatibus subleuandis; ex his paucis colligi potest, quæ sequuntur.

c. 30. p. 37. Fuit vir quidam in Brabantiæ partibus decore virtutis & forma conspicuus, quem iuuenem puella lasciuiens impetebat. Nefas autem ducens iuuenis virginem deflorare, stuprum renuit, & aufugit: ac in conspectu familiæ domus, quasi tutus à puella, resedit. Quem illa inverecundius insecuta, super eius genua sese locauit; & dato graui suspirio animam miseram, euersis luminibus, exhalauit. Quem iuuenem grauiter contristatum, quasi reum mortis subitæ in puella, vir discretissimus confortauit, & eius constantiam ac rectum Dei iudicium in defuncta, sicut debuit collaudauit.

Ibidem p. 51. Existens idem in oppido magno Brabantiæ, Bruxellensi, venit ad ipsum puella quędam, rebus tenuis, & formosa, cum multis lacrymis sibi postulans misereri. Quam cũ vir venerabilis hortaretur dicere quid haberet: illa cum eiulatu: Heu (inquit) me miseram, quia cum sacerdos quidam me vellet opprimere violenter, & me oscularetur inuitam, illum auersa manu percussi in faciem, & per nares sanguinolentum reddidi: pro quo vt mihi dicitur à clericis, me Romam adire modis omnibus oportebit. Tum ille, quasi seriosè locutus, terruit eam, quasi grauiter excessisset; & tandem iuramentum eius accipiens, quòd staret mandato ipsius, dixit ad eam: Sub præstito iuramento tibi pręcipio, vt si ille vel alius presbyter, violentiam tibi in osculis vel cõtrectationibus facere voluerit, contracto pugno validè oculum si potes, excutias contrectanti; nec in hoc vlli ordini parcas: quia ca-

ſtitatem tueri licet verbere, ſicut corporis vitam. Hæc vt dixit vir vrbaniſſimus, omnes qui aderant, ſimul & ipſam puellam, in riſum & lætitiam concitauit.

Hic tantus vir quid fratribus ſui ordinis in ſuprema contigit neceſsitate, frequenter audiens, experiri non refugit. Venit enim quadam die in villam ſibi ignotam, longo itinere fatigatus, in tantum, vt præ debilitate nimia corde mox deficere putaretur. Ingreſſus itaque cum ſocio, cum ille in domo presbyteri nec ſaltem fruſtum panis nigerrimi, quo familia veſcebatur, poſſet inuenire: inde digreſſus latè per villam, nihil prorſus, niſi in fine villæ à quadam paupercula fragmen panis furfurei obtinuerunt, donum ſatis magnum, imò ſibi maximum donatiuum. Reſederunt ergo ſub diuo, & de pane illo comederunt; & licet palearum ariſtæ, quæ erant in pane, palatum comedentium ſtimularent, numquam tamen in vita ſua (vt fatebatur) fuit tam ſuaui deliciarum edulio delectatus. c.10.p.9

Hæc ſunt geſta venerabilis Thomæ de Cantiprato, ſupprioris domus Prædicatorum Louanienſium, in libro qui intitulatur: Bonum vniuerſale de apibus, quem ipſe venuſtiſsimè compilauit. Compoſuit & librum de naturis rerum ſatis vtiliter, cui operi inſtitit per 14. annos antea, ſatis indefeſsè. Edidit quoque vitas ſanctarum virginum, Chriſtinæ videlicet mirabilis, & piæ Luytgardis: & tandem poſtquam per ſexaginta ferè annos in Dei ſeruitio perſtitiſſet, tranſiuit ad potiora, regnaturus cum Chriſto in æternum.

ALIA

ALIA EIVSDEM THOMÆ CANTIPRATANI VITA per D. GEORGIVM COLVENERIVM, ex eiusdem operibus, & aliunde conscripta.



HOMAS CANTIPRATANVS, patria Brabantinus, LeeuWis S. Petri, celebri municipio iuxta Bruxellam (vnde quidam, inter quos Georgius Brunus & Guicciardinus, cum viris illustribus Bruxellensibus adnumerant) ex nobili genere procreatus; patrem habuit, qui sub Richardo primo totius Angliæ rege Henrici II. filio militauit. Hic profectus in terram redemptionis nostræ mysterijs consecratam, cùm iam ad loca Antiochenæ vrbi vicina peruenisset, quæ à sanctis eremitis incolebantur, vni eorum noxas animi detegens, responsum ab eo accepit, ad faciliorem earum deletionem plurimum ei profuturum, si filium haberet, & hunc literis imbuendum traderet, quò sic idoneus Christi sacerdos euaderet. Huius igitur occasione consilij, Thomas scholis à patre addictus, in ciuitate episcopali Leodiensi, annis vndecim adoleuit. Hic litterarum studijs diligenter incumbens, ac simul religiosis vacans exercitijs, ex tunc piorum consortio delectatus, modum ab ijs orandi edoctus, orationibus intentiùs quotidie cœpit incumbere. Nondum ætatem quindecim annorum attigerat, cùm in illis Lotharingiæ partibus Iacobum Vitriacensem, necdum Achonensis vrbis præsulem, concionantem audiens, tanta veneratione cœpit eum diligere, vt solius nominis ipsius lætificaretur auditu: quæ erga eum dilectio ad mortem vsque perseuerauit. His insistens vestigijs facilè in iuuenem probum euasit & doctum. Vt autem liberiùs soli Deo vacaret, curis secularibus valedicens, ad Apostolicam B. Augustini regulam, tanquam securiorem salutis portum se conferens (prædicti Vitriacensis secutus exemplum) factus est Canonicus, vt vocant, Regularis religiosissimi cœnobij Cantipratensis, quod in suburbijs Cameracenæ ciuitatis fundatum fuerat à Ioanne Presbytero, sub Rogero Episcopo Cameracensi, anno 1180. (etsi de eius fundatione demum anno 1197. agat Ferreolus Locrius in Chro.

Belgico)

Belgico.) Ab hoc cœnobio postquam stetit annis directè quadringentis, à domino d'Incy anno 1580. bellorum iniurijs diruto dissipatoque, adhæsit ei, hærebitque in perpetuum Cantipratani appellatio. Ætate adhuc iuuenis sacerdotio initiatus, necdum in ordine Prædicatorum constitutus, vt de se scribit l. 2. vitæ S. Lutgardis cap. 38. ex tunc episcopi munia coactus obire in confessionibus audiendis, fecit hoc non sine magna trepidatione, tum ob ætatem, tum etiam ob scientiæ defectum. Quas ob causas cùm difficultatem in hac re pateretur non modicam, adijt B. Lutgardem, sanctissimæ tunc vitæ monialem in Aquiria, eique molestias animi sui aperit. Quæ, vbi ad orandum Dominum secessisset, rediens, hortatur vt laborem debitum curandis animabus impendat, diuinum ei affore prædicit, spondetque auxilium. Quam B. Lutgardis prophetiam in se veracissimam ab illo die iam per annos sexdecim, dum ea scriberet, expertum, in vita eiusdem commemorat. In Cantipratensi monasterio annis aliquot humiliter & religiosè conuersatus, amicorum atque piorum Fratrum rogatu, cum Ruth Moabitide spicas colligens, quæ in lato campo vitæ ancillæ Christi B. Mariæ Oigniacensis, magni illius messoris (prænominati videlicet Iacobi à Vitriaco, qui tum recenter creatus erat Tusculanus episcopus, & Romanæ curiæ Cardinalis) industrias manus effugerant: adiecit duobus libris ab illo de vita illius conscriptis, tertium, idque sub annum Domini 1231. Quum verò id temporis sanctissimus Prædicatorum ordo, ductore B. Dominico inchoatus, longè lateque sanctitatis suæ odorem spargeret, vt hac ratione pio patris sui desiderio pleniùs satisfaceret, & quasi de virtute in virtutem conscenderet, eumdem ordinem complexus est. Quod vbi fecisset, calami gaudens exercitio, vitam admirabilem B. virginis Christinæ, quæ Κατ' ἐξοχὴν mirabilis appellatur, libro vno perspicuo stylo digessit, octo annis à morte ipsius, id est, sub annum Domini 1232. Nam obiisse eam scribit anno circiter 1224. Hinc iam maiore animi conatu in suscepti noui ordinis palæstra sese exercens, orationis studio vigilanter incubuit, beatæ Dei genitrici peculiari deuotione addictus: confessionibus excipiendis iugiter intentus: pio item ac feruido zelo in diuersis terræ tractibus (Nam Theutonicæ linguæ peritus erat, & Gallicæ) diuini verbi prædicationis vomere multorum corda sulcauit. Quæ omnia vt

rectius exequeretur, non satis habuit in humaniori literatura sedulam operam collocasse: sed & philosophiæ studijs ac sacræ Theologiæ diligenter incumbens, communi vsus præceptore cum altero nobili & S. Thoma Aquinate, multo tempore, (vt de se fatetur) Alberti Magni auditor extitit. Quibus sufficienter imbutus, non contentus, viuæ vocis ministerio fidelium mentes ad pietatem succendere, & pereuntium animas ab ipsis inferi faucibus eripere, denuò calamum resumpsit, & iam post duodecimum circiter annum in ordine laudabiliter completum, Supprior existens Fratrum Prædicatorum Conuentus Louaniensis, tribus libris exarauit vitam B. Lutgardis, monialis Aquiriæ, cui in vita fuerat familiarissimus. Vitam hanc scriptam constat statim ab eius felici ex hoc seculo transitu, qui incidit in annum 1246. 16. Calen. Iulij, quo die commemoratur etiam in Romano Martyrologio. Exstant hi tres libri, vt & vita B. Christinæ, sed mutato stylo apud Surium tom. 3. Vt verò ab auctore editi sunt, exstant omnes in Codice ms. monasterij Trudonensis, & in exemplari ms. in quo sunt, & vitę aliarum Belgij Sanctarum, quod mihi communicauit Autbertus Miręus, vir doctissimus, iam dudum Canonicus, nunc etiam Decanus cathedralis ecclesiæ Antuerpiensis. Edidit deinde opus illud de natura rerum, in quo desudans per annos ferè 15. ex diuersis auctoribus, Theologis ac Philosophis, Basilio Magno, Ambrosio, Vitriaco, Aristotele, Plinio, Solino, & alijs quàm plurimis, rerum omnium naturas explicuit & proprietates: cuius ipse meminit in epistola dedicatoria horum duorum librorum, quos in lucem mittimus. Citat idem opus aliquoties in progressu, vt l. 1. c. vlt. par. 3. lib. 2. cap. 29. par. 32. cap. 30. par. 25. & alibi. Fuerunt qui existimarent illud esse opus quod exstat titulo Bartholomæi Anglici, de rerum proprietatibus: sed collatione eorum, quæ locis memoratis citantur, & capitulo illius operis de apibus, cum ijs, quæ noster habet Cantipratanus, falli deprehendentur. Omitto interim stylum esse aliquanto humiliorem, quàm sit nostri auctoris. Atque vt in posterũ cesset omnis dubitatio, nouerit quisquis hæc legerit, me vidisse, & habuisse duo exemplaria operis illius de natura rerum, in membrana, antiqua manu, descripta, quæ pro affectu adiuuandum ecclesiam & rem literariam ad me transmisit religiosa domus Patrum Carthusianorum Vallis S. Spiritus iuxta Gosnaium, diœcesis Atrebatensis: quorum vnum integrè de-

l. 2. c. vlt. p. 50.

scribi curaui. Et quamuis nomen Thomę Cantipratani non nisi recentiori manu sit appositum (est enim omnino verisimile ex humilitate auctorem nostrum ei nomen suum non apposuisse, sicut nec alijs suis operibus) certo tamen certius est ex prologo illius operis, & epistola dedicatoria iam citata, & alijs multis locis, ipsius esse germanum opus. In vno iam dictorum exemplarium, quod correctius, & auctius est, sunt libri 20. in altero solùm 19. quorum hæc sunt argumenta. Primus agit de anatomia humani corporis, & singulis eius partibus. Secundus de anima. Tertius de monstruosis hominibus Orientis. Quartus de animalibus quadrupedibus. Quintus de auibus. Sextus de monstris marinis. Septimus de piscibus fluuialibus. Octauus de serpentibus. Nonus de vermibus. Decimus de arboribus communibus. Vndecimus de arboribus aromaticis & medicinalibus. Duodecimus de virtutibus herbarum communium. Decimus tertius de fontibus. Decimus quartus de lapidibus preciosis, & eorum sculpturis. Decimus quintus de septem metallis. Decimus sextus de septem regionibus & humoribus aëris. Decimus septimus de sphæra & septem planetis, & eorum virtutibus. Decimus octauus de passionibus aëris, fulgure, tonitruo, & consimilibus. Decimus nonus de quatuor elementis. Vigesimus de ornatu cæli, & eclipsi Solis & Lunæ. Qui postremus deest in altero exemplari. Hæc summa totius operis. Quod quidem numquam adhuc typis est excusum, excudi tamen dignissimum, vtpote non tantùm Philosophis & Medicis, sed & Theologis, & omnium hominum generi profuturum. Nam creaturas reducit in creatorem, & ex earum proprietatibus informat mores hominum. Post hæc omnia, iam Doctor existens S. Theologiæ, (vnde passim vocari solet magister, quod phrasi medię ætatis auctoribus vsitata, Doctorem Theologiæ significat.) & episcopus, ętatis suę an 60. minùs vno, hos duos edidit libros, quos è tenebris situq; proferimus, quibus titulum dedit, quem in hac editione restituimus: Bonum vniuersale de Apibus. In his enim meminit operum omnium præcedentium, quæ diuulgauit in sacro existens Prædicatorum ordine. Compleuisse autem videtur hoc opus sub annum 1263. tametsi Christianus Massæus Cameracenas, in chronicis ad annum 1269. ita habeat: Eodem anno Wilhelmus Brabantinus, ordinis Prædicatorum conscripsit librum Apum.] Nam eo anno videlicet 1263. Magisterio ordinis se abdicauit (vt plures consentiunt)

sentiunt) Humbertus quintus generalis, cui opus hoc ab auctore dicatum est. De hac re, cui libitum est, videat quæ notaui ad finem c. vlt. libri posterioris p. 60. Hæc sunt quæ ad Dei gloriam & lectoris ædificationem eum scripsisse compertum habeo.

Exstat insuper in prædicto codice Trudonensi, & Miræi, vita B. Margaretæ Iprensis, quæ vt ex stylo, & varijs circumstantijs datur colligere, à nostro etiam Cantipratano scripta est. Præter ista, sunt qui ab eo, S. Thomæ Aquinatis rogatu, libros Aristotelis è Græca lingua in Latinam scribant esse translatos: quod, etsi aliqua probabilitate non careat, solidam tamen eius rei probationem fateor me necdum comperisse. Meminerunt huius rei Tritthemius, Leander, & Antonius Senensis locis infrà citandis; item Gesnerus in epitome: asserit verò Ioannes Auentinus in Annalibus Boiorum l. 7. his planè verbis: Anno Christi M.CC. LXXI. Hainricus Brabantinus, Dominicanus, rogatu S. Thomæ è Græco in linguam Latinam de verbo ad verbum transfert omnes libros Aristotelis. Albertus vsus est vetere translatione, quam Boëthianam vocant. Ita ille. Nec mouere debet quempiam quòd Hainricum appellet. Nam Brabantini appellatione, vt fieri solet, notior fuit, quàm nomine proprio. Vnde quem alij Ioannem, alij Guillelmum dixerunt (qui vsitatiùs, & verè Thomas est, vt constat ex vita B. Christinæ cap. 36. vt auctor capita distinguit) Auentinus, & quos ipse secutus est, Henricum nominauit. Guillelmum vocat Ioannes Herold ordinis Prædicatorum, qui sermones Discipuli in vnum conflauit, & Massæus vbi suprà. Alia huius rei nota mihi ratio est, quòd (vt suprà diximus) præ humilitate libris suis nomen non asscripserit. Vnde in epistola dedicatoria ad Humbertum: Frater, inquit, humilis, cuius nomẽ ad præsens non vrget necessitas nominari. Nec vllum erat exemplarium, quibus vsi sumus, quod nomen habebat asscriptum. Solummodo tertium impressum in fine nomen exprimit. In tertio autem libro de vita Marię Oigniacensis, loco nominis sui, solam posuit N. literam. Hinc igitur factum est, vt vnus hoc, alius alio appellarit eum nomine. Quæ nominis varietas ex eo etiam prouenire potuit, quòd in religionis ingressu nomen mutauerit. Ex quo forsitan accidit, quod Thomas Aquinas ab Henrico de Gandauo, in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, Iacobus appelletur. No-

tur. Nouam fuisse operum Aristotelis versionem editam ætate B. Thomæ Aquinatis, doceri potest ex ipsius commentarijs ad text. 116. libri primi de cælo, vbi ex alia translatione citat hanc Aristotelis in illo textu sententiam, & in Summa Theol. 2. 2. q. 23. art. 3. in 2. arg. & alibi sæpius: Virtus est vltimum potentiæ, cùm interim versio, quam B. Thomas explanat, ita habeat: Virtus autem ipsius excellentiæ est. Quænam igitur est antiqua translatio, quam illic B. Thomas commemorat? ea sanè, quæ ipsius tempora antecesserat, & eò vsque in vsu apud Latinos fuerat: noua autem illa ipsius seculo facta per hunc fortè Cantipratensem, quam exponit in suis commentarijs, quę superiore demum seculo, postquam Trapezuntius, Gaza, Argyropylus, alijque nouas versiones operum Aristotelis vulgauere, antiqua cœperit appellari. Præterea quum fuerit Cantipratanus nobilibus ortus parentibus, mirandum non est, fuisse liberaliter institutum, etiam in lingua Græcanica: quod eo seculo, dum Latini tenuerunt Constantinopolitanum Imperium, haud fuisse constat difficile. Frequenter enim tum nostri commeabant in Græciam; eaque ratione & Græcorum aliquot docti viri in orbem hunc Latinum (vt credibile est) perueniebant, qui semina iacerent literaturæ Græcanicæ. Postremò quòd in philosophia insigniter eruditus fuerit, clamant hi eius libri, in quibus etiam Græcas locutiones reperias; quales hæ sunt: Licet propter hoc fieri non dubitaret, pro futurum esse non dubitaret. Vnde tibi in tam horrendis supplicijs exultare? & similes. Sed hæc solummodo probabiliter. In indice Ioannis Bunderij mss. librorum, qui per Belgium reperiuntur, sic legitur: Guilielmus Brabantinus de Moerbeka transtulit de Græco in Latinum omnes Aristotelis libros Naturales, & Morales ad instantiam B. Thomæ Aquinatis. Transtulit librum Procli, ms. Gandaui apud Prædicatores. Transtulit Simplicium super libros de Cælo & mundo. ms. in Boudeloënsi monasterio apud Gandauum. Sic ille. Qui an à nostro Thoma Brabantino, quem alij Guillelmum vocant, diuersus sit, aliorum esto iudicium. Valerio Andreæ in sua bibliotheca Belgica (qui & hunc fuisse scribit ord. Prædicatorum) idem esse videtur, sicut & mihi, & probant ea, quæ de eo scribit Antonius Senensis, quæ habes infrà in elogijs. Vt enim hoc addamus, sicut de nomine ipsius non omnes consentiunt, ita nec de cognomine. A Tilmanno Bredenbachio libro primo collationum sacrarum cap. 8. &

l. 1, c. 1. p. 4.
l. 2. c. 53. p. 31.

Guillelmo Gentio lib. de miraculis Eucharistiæ, appellatur, Doctor Thomas Desez. Alij scribunt (inquit Antonius Se- nensis) hunc Thomam, cognomento dictum de Barbansane] Nisi ita fortè perperam legatur, pro Brabanson, id est, Bra- bantinus. Nam mendosè admodum liber excusus est: sic alij eum Guilielmum de Moerbeka nominauerunt. Cæterùm in scriptis eius, tametsi nonnullæ admixtæ sunt phrases à purita- te Latini sermonis exorbitantes, stylus tamen supra multos id ætatis scriptores attollitur, & plurima effert quàm ornatis- simè. In diuinis verò scripturis, & Patrum, atque Ethnico- rum monumentis quantopere fuerit exercitatus, declarat in duobus his libris, vbicumque doctrina aliqua traditur, densis- sima scripturarum concatenatio: & quasi continuata series; ac frequens Patrum atque Philosophorum allegatio. Verita- tis autem in scribendo tanta vbique ei cura fuit, vt præter- quam quòd plurima eorum, quæ describit, oculis suis ipse lu- strarit, libro tertio vitæ beatæ Mariæ Oigniacensis capite de- cimo quinto ita scripserit: Ad me non pertinet, nisi ea, quæ pro certo nouerim, legentibus indicare. In ijs verò, quæ alio- rum relatu didicit, ne quis existimet leuiter cuiquam referēti aurem præbuisse, ita protestatur in prologo libri de vita bea- tæ Christinæ: Certus autem sit quisquis hæc legerit, ijs me testibus fidem adhibuisse, à quibus tam longè abfuit fingendi libido, vt vitam potiùs ipsam prodituri fuerint, quàm à veri- tatis tramite deflexuri. In præfatione item vitæ B. Lutgardis (vt de singulis penè eius operibus delibem testimonium) Quod si quædam, inquit, minùs litteratè vel eruditè à me dicta e- runt, ferant quæso æquo animo, quandequidem non nisi vera dicentur. Quare meritò auctorem hunc fide dignissimum ap- pellat Laurentius Surius tom. 3 23. Iunij: alij virum & ma- gistrum consummatissimum: alij doctorem egregium, alij alijs eum titulis exornarunt.

Neque verò ita se scriptioni dedit, vt interim ab alijs va- caret suæ vocationis exercitijs, sed zelo feruentissimo fla- grans, assiduus erat, vt diuinæ prædicationis semen in agro Domini quaquauersum spargeret, pigros excitaret, errantes ad viam reduceret, pœnitentes ad reconciliationem admitte- ret, infirmos visitaret, desolatos consolaretur, dubitantibus re- cta consuleret, dissidentes conciliaret, & vno nomine, omnia quæ ad animarum lucra pertinent diligenter obiret. Quibus cùm vigilanter insisteret, & ipse dæmonum aliquando pulsa- tus in-

l.2.c.29. par.30.

tus insidijs, ijsdem fortiter obluctatus est. Nec solùm Brabantis suis hæc prçstitit, sed diuersas orbis plagas perambulans, nunc in Germania, nunc in Gallia, nunc in Belgio residebat. Perfunctus est autem prædictis muneribus tempore non exiguo. Dum enim hæc scriberet, quæ iam edimus, triginta annis & eò amplius, in diuersis prouincijs & diœcesibus vices gesserat episcoporum quoad iam dicta munia & potissimùm in excipiendis confessionibus. Præ ceteris autem id tempore perlongo præstitit in Episcopatu Cameracensi, cuius ecclesiæ sub Nicolao de Fontanis, huius nominis tertio illius sedis episcopo, peculiariter episcopus exstitit Suffraganeus. Quibus ex rebus, dici non potest, quantum ei scientiæ accreuerit & experientiæ, quæ duo simul iuncta, consummatum reddunt Theologum practicum. In dictis & factis, Brabantorum more, interdum facetus apparet & vrbanus. Ex hoc preterea magnam consequutus est rerum experientiam, quòd, vt vir nobilis, cum summis Principibus, Ducibus, Comitibus, & Baronibus, iugiter eorum saluti intendens, cum episcopis item, abbatibus, & viris doctissimis, postremò cum personis cuiuscumque sexus & conditionis sanctitate conspicuis, semper fuerit conuersatus: vt perpetuò ob oculos habuisse videatur, quod ait Ecclesiasticus: Cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoueris obseruantem timorem Dei. Quanta autem fuerit tum temporis piè viuentium frequentia, constat tum ex his libris, tum ex historia Occidentali Iacobi de Vitriaco cap. 15. & eiusdem præfatione in vitam B. Mariæ Ogniacensis. Ab his velut argumentosa apis, de singulorum conuersatione, quos sanctæ ac probatæ vitæ cognouerat, flores virtutum in alueolum pectoris sui conferens, copiosissimum mel spiritualis dulcedinis & sanctitatis procreauit. Vnde, quod ad præcipuam eius laudem attinet, quæ nimirum ex vita bene, beateque traducta comparatur, tanta fuit in eo vitæ sanctitas cum eruditione coniuncta, vt etiam inter sanctos numerari meruerit. Etenim Ioannes Gilemans canonicus regularis S. Augustini, & Supprior in Rubea valle iuxta Bruxellam (vbi obijt 1487.) in suis tomis Sanctorum, prolixè vitam & gesta eius describit, collectis in vnum omnibus illis locis, in quibus hisce duobus libris de se, aut de patre suo loquitur.

l. 2. c. 30. par. 51.

Eccli. 6

Hanc eius vitam ex meo exemplari ms. & aliunde, typis euulgauit R. P. Hyacinthus Choquetius S. Theol. Doctor eximius Duaci anno 1618. in suo libro de sanctis Belgij ord. Prædi-

Prædicatorum cap. 14. quod inscribit de B. Thoma Cantipratano, huiusmodi præfixo elogio: Hunc sibi locum vendicat aliorum beatorum illustrator, & ipse quoque beatus Thomas Cantipratanus, Conuentus Louaniensis olim Supprior vir omni laude spectatissimus. Eam denuo cum ms. & originalibus locis collatam huic editioni integram preposui.

Præterea R. P. Ioannes à Zichenis, quondam conuentus Louaniensis Prior, & Prædicator generalis, eumdem Cantipratanum nostrum in suis Litaniis Sanctorum ac Beatorum Brabantiæ reponit. Scribit quoque R. P. Nicolaus Serarius lib. 2 Litaneutico q. 7. dici solere: B. Thomam Cantipratensem, vt B. Albertum dicimus: quærens ibidem: An beati omnes etiam sancti? Respondet affirmatiuè, sed vsum quemdam non ita pridem inualescere cœpisse, vt de quorum sanctitate ac felicitate in viuorum animis eximia est opinio, neque tamen publico ecclesiæ testimonio decorati adhuc sunt, ij non sancti, sed beati solùm appellentur. Exempla ponit, vt B. Antonius Triumphus. B. Bruno, B. Albertus Magnus, B. Thomas Cantipratensis, &c. Denique post hos omnes eum suis Fastis Belgicis & Burgundicis inseruit Autbertus Miræus, & Arnoldus de Raisse Auctario suo ad Natales SS. Belgij Ioannis Molani die XV. Maij. Vitam enim hanc eo die beato fine conclusit, & feliciter in Domino requieuit. vt constat ex libro anniuersariorum fratrum Prædicatorum Louaniensium. Sed quo ætatis suæ, vel Dominicæ incarnationis anno, certò non constat. Hoc tantùm alicubi annotatum inuenio, eum obijsse anno 1280. Vnde Lipsius hauserit eum vitam finiuisse anno 1263. me latet. Certè diutiùs vixisse, & ad annum 1280. peruenisse, probatur ex elogijs sequentibus Ioannis Tritthemij in catalogo illustrium virorum Germaniæ, Guilielmi Eysengrein, & Ioannis Molani. Item non obijsse eo anno, quem habet Lipsius, ex eo ostenditur, quòd l. 2. c. 29. p. 21. refertur res gesta anno 1265. conformiter in omnibus exemplaribus.

ILLV-

ILLVSTRIVM AVCTORVM DE THOMA CANTIPRATANO, TESTIMONIA ET ELOGIA.

HENRICVS DE GANDAVO Archidiaconus Tornacensis in libro de illustribus ecclesię scriptoribus cap. 51.

THOMAS ordinis Prædicatorum Louanij habitans, scripsit vitam cuiusdam sanctæ mulieris in Hasbania, quæ vocabatur Christiana. Scripsit etiam vitam cuiusdam monialis in Aquiria, dominæ scilicet Lutgardis.

DIONYSIVS RICHEL Carthusianus in libro contra pluralitatem beneficiorum art. 7.

Quidam reuerendus Pater de ordine fratrum Prędicatorum secundum carnem nobiliter natus, sed secundum spiritum nobiliùs conuersatus, & magna scientia decoratus, qui & episcopus suffraganeus fuit, & multum expertus, in libro suo, qui communiter Liber Apum intitulatur, contra pluralitatem beneficiorum &c. ait: Volo vt quicumque hæc legerit, sciat me anno ab incarnatione Domini] &c. Verba habentur lib. 1. c. 19. p. 5.

IDEM lib. de quatuor nouissimis art. 50.

Vitam admirabilis virginis Christinæ, quæ per excellentiam mirabilis appellatur, descripsit vir literatus, religiosus, ac nobilis, de ordine fratrum Prædicatorum, qui etiam edidit librum, qui communiter Liber Apum vocatur.

IOAN-

IOANNES TRITTHEMIVS de Scriptoribus ecclesiasticis.

Thomas de Cantiprato, natione Brabantinus, ordinis fratrum Prædicatorum, Alberti Magni quondam (vt ferunt) discipulus, vir deuotus, & tam in diuinis scripturis, quàm in secularibus literis egregiè doctus, ingenio promptus, eloquio Scholasticus, fertur quædam præclara scripsisse volumina, quibus nomen suum ad notitiam posteritatis deduxit. E quibus exstat opus de Apibus mysticis, quod prænotauit, Bonum vniuersale, lib. 2. Reuerendo in Christo.
De rerum natura, lib. 1.
Vita sanctæ Christinæ, lib. 1.
Et cetera quæ non vidi. Claruit sub Rodulpho Imperatore, anno Domini 1270. Et sunt qui scribant eum Græci sermonis habuisse peritiam, & libros Aristotelis, quorum iam vsus in scholis est, transtulisse.

IDEM in catalogo illustrium virorum Germaniæ.

*Thomas de Cantiprato, ordinis Prædicatorum, patria Brabantinus, Alberti Magni (vt ferunt) quondam discipulus, vir certè doctissimus, & tam in seculari philosophia, quàm in diuinis scripturis eruditissimus, ingenio præstans, & clarus eloquio: non minùs honestate morum, quàm scientia venerabilis. Scripsit non spernenda opuscula, quibus nomen suum posteritati commendauit. E quibus exstat volumen omnibus Christianis non minùs vtile, quàm iucundum de mysticis Apibus, quod prænotauit, Bonum vniuersale lib. 1. Aliud quoque de natura rerum volumen composuit lib. 1. Vitam cuiusdam sanctæ mulieris in * Hasbania, quæ vocabatur * Christina, lib. 1. Scripsit etiam vitam*

rest. pro Hispania, & Christiana.

vitam sanctæ Lutgardis monialis lib. 1. Alia quoque multa edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Sunt autem qui scribant eum Græci sermonis habuisse peritiam, & libros Aristotelis, quorum nunc vsus in scholis est, transtulisse. Claruit Louanij habitans, temporibus Rodulphi Imperatoris, anno Domini M. CC. LXXX.

LEANDER ALBERTVS Bononiensis libro 4. de viris illustribus ord. Prædicatorum.

*Thomas Brabantinus, auctor libri Apum, libri inquam moralissimi & optimæ eruditionis, & libri de *earum naturis: quem etiam asserunt Aristotelis Philosophiam Græcam, Latinam fecisse iussu Thomæ Aquinatis.* Rerum.

GVILIELMVS EYSENGREIN in catalogo testium veritatis orthodoxæ matris ecclesiæ.

Thomas de Cantiprato, ordinis Prædicatorum, Germanus, patria Brabantinus, Alberti Magni auditor quõdam atque discipulus, vir doctissimus, adeoq́; humanissimus, Græco & Latino instructus eloquio, colligens omnia diuinæ scripturæ testimonia, de Apibus mysticis, cui Vniuersalis boni titulum dedit, volumen scripsit. Vitam porrò sanctæ Christinæ doctis commentarijs absoluit anno 1278.

ANTONIVS SENENSIS, Lusitanus, in bibliotheca FF. Prædicatorum.

Frater Guillelmus Brabantinus S. Theol. Baccalaureus, vir ingeniosus, linguæ Latinæ & Græcæ notitia

titia clarus, philosophus eximius, & Theologus non ignobilis, ad instantiam D. Thomę dicitur ex Græco in Latinum transtulisse textum Aristotelis. Composuit etiam librum de naturis & proprietatibus rerum, quem quidam perperam & falsò tribuunt fratri Bartholomæo Anglico, ord. Minorum. Composuit etiam l. 1. de apibus. Claruit anno 1262. Citatur etiam frater Guillelmus Corinthiensis, vir pius & doctus tanquam auctor libri de apibus. Sed an diuersi sint libri de eodem argumento tractantes, scilicet de apibus, an vnus tantùm, vel etiam vnus & idem auctor sit hic & ille, me fugit.

IDEM infrà.

Frater Thomas de Cantiprato, natione Brabantinus, Alberti Magni quondam discipulus, qui sui magistri doctrinam & regularem obseruantiam æmulatus, euasit quoque magnus, scripsit opus de apibus mysticis, quod vocauit Bonum vniuersale. Vitam quoque D. Christinæ. Librum vnum de naturis rerum, cuius ipsemet meminit in præfato libro de apibus. Hunc librum de naturis rerum putant aliqui esse illum, qui de proprietatibus rerum inscribitur, & Bartholomæo Anglico ord. Minorum supponitur. Aliqui etiam scribunt hunc Thomam, cognomento dictum de Barbansane, & fuisse natione Gallicum, & episcopum Lusentinum, & patriarcham Hierosolymitanum. Sic enim legi Toleti in conuentu nostro D. Petri Mart. in libro antiquo manuscripto, coniuncto summę Alberti Brixiensis. Sunt & qui scriptum reliquere, quòd idem Thomas iussu D. Thomæ, vel suasibus, libros Aristotelis ex Gręca lingua in Latinam transtulerit. Claruit anno 1260.

IOAN-

IOANNES MOLANVS, Doctor Theologus Louaniensis, in bibliotheca Theologica, quæ est ms. apud Autbertum Miræum canonicum & Decanum Antuerpiensem.

Thomas à Cantiprato, dictus Brabantinus, natus Lewis D. Petri apud Bruxellas, Supprior & Lector Prædicatorum Conuentus Louaniensis, & postea Suffraganeus episcopi Cameracensis, scripsit Bonum vniuersale, siue de Apibus mysticis libros duos, Parisijs in magno 4. 1516. Et ex vetustiori editione in folio absque anno & loco. Vitæ sanctæ Lutgardis libros tres. Christinæ mirabilis totidem, to. 3. Surij. Claruit senex 1276.

Non mireris, plures libros hîc à Molano non enumerari, quòd impressos tantùm, pro instituti sui ratione soleat recensere in Bibliotheca sua Theologica.

ROBERTVS BELLARMINVS è Societate Iesu S. R. E. Cardinalis in libro de Scriptoribus ecclesiasticis. De Thoma Cantipratensi 1265.

Thomas Cantipratensis, quem alij Gulielmum, alij Henricum appellarunt; fuit natione Brabantinus, professione religiosus S. Dominici, dignitate episcopus suffraganeus episcopi Cameracẽsis, auditor Alberti Magni, vt ipse in opere suo testatur lib. 2. c. vlt. nu. 50. condiscipulus S. Thomæ Aquinatis, quem nobilem adolescentem vocat lib. 1. cap. 20. num. 10. Scripsit vtilissimum opus de Proprietatibus apum duobus libris comprehensum, in quo sub figura apum multa scribit de officio prælatorum, & subditorum: & miracula atque exempla sui temporis verè, fideliterque describit.

Hæc fuit I. editio per nos facta, II. facta est 1605.

Editum est hoc opus Duaci anno 1597. cum annotationibus, & vita auctoris.

Scripsit præterea idem auctor vitam B. Christinæ mirabilis, quæ extat apud Surium, mense Iunio, die 23. & vitam sanctæ Ludgardis, quæ exstat apud eumdem mense eodem, die 16. & addidit vnum librum ad vitam sanctæ Mariæ de Oegnies. Scripsit autem magno labore, & longo tempore librum de Natura rerum, cuius ipse meminit in præfatione libri de Proprietatibus apum. Sed hoc opus tam laboriosum non videtur exstare. Dicitur denique hic idem auctor in gratiam Sancti Thomæ vertisse Aristotelem è Græco idiomate in Latinum. De qua re consulat lector vitam huius auctoris præpositam libris de proprietatibus apum.

IVSTVS LIPSIVS in suo Louanio 2. edit. in nota ad cap. 2. libri primi.

Thomas Cantipratanus inter discipulos Alberti Magni, atque ordinis eiusdem siue cœtus, obijt M.CC. LXIII. Scripsit de Apibus mysticis varium, & iucundum opus, salubribus monitis exemplisq́; refertum: sunt & qui Aristotelis versionem veterem, quæ in scholis obtinet, illi eant adscriptum.

PETRVS ANTONIVS SPINELLVS Neapolitanus Soc. Iesu in lib. de laudibus beatissimæ Virginis Mariæ, cui titulum dedit: Maria Deipara thronus Dei, in admonitione ad lectorem de nonnullorum auctorum testimonijs, quibus in eo opere vtitur, ac de eorum vi & auctoritate nu. 18.

Thomas Cantipratensis, seu Cantipratanus, natione Brabantinus, genere nobilis, teste Carthusiano lib.

contra

contra pluralitatem beneficiorum ar. 7. Alberti Magni discipulus, episcopus suffraganeus Cameracensis, teste Tritthemio de scriptoribus ecclesiasticis nō solùm pius ac deuotus, verùm etiam in diuinis scripturis, & in secularibus litteris egregiè doctus fuit. Is libros 2. Miraculorum, ac memorabiliū exemplorum sui temporis ex apum proprietatibus mysticè ad hominum bene viuendi rationem explicatis conscripsit, singula exemplis, quæ sua ferè ætate contigerant, quęq́, vel viderat ipse, vel ab hominibus fide dignis acceperat, confirmauit. Hinc opus ipsum liber apum appellatur. In plurimis etiam, quò magis eorum firma sit veritas, incarnationis Dominicæ annum, quo gesta, ciuitatem, vel pagum in quo gesta sunt, ac non rarò personarum nomina adijcit. Idem quoque auctor vitam B. Christinæ mirabilis, & B. Lutgardis, quas Surius tomo 3. ponit, litteris mandauit. Et sanè complures honorificam de eo mentionem faciūt. Nam Iacobus de Vitriaco Cardinalis in vita B. Mariæ Oegniacensis apud Surium 23. Iunij, eum fide dignissimum, alij magistrum consummatissimum, alij alijs titulis eum exornant, vt propterea eius exempla magnam sibi auctoritatem apud eruditos compararint.

His plura recentiorum testimonia, etsi nobis haud desint, vt R.P. Antonij Posseuini in Apparatu sacro, Valerij Andreæ I.C. in bibliotheca Belgica, non adijcimus, quia nihil habent à præcedentibus diuersum, & ea quæ habent ex vita auctoris per nos ab hinc 30. annis conscripta, desumpta sunt, sicut & ea, quæ habet Bellarminus & Spinellus: ob hoc tamen huic editioni adiecta, quia iudicium nostrum & sententiam de hoc auctore egregiè confirmant.

AVCTORES QVI A CANTIPRATANO CITANTUR IN HOC OPERE.

tano citantur in hoc opere.

Adam de S. Victore.
Albertus Magnus.
Ambrosius.
Aristoteles.
Augustinus.
Beda.
Benedictus.
Bernardus.
Biblia sacra.
Boëtius.
Chronica.
Gesta Caroli Magni.
Gesta Cypriani & Justinę.
Gesta philosophorum.
Glossa ordinaria.
Gregorius Magnus.
Hieronymus.
Joannes Cantipratensis.
Ius Canonicum.
Ius Ciuile.
Lucanus.
Petrus Cantor.
Plinius.
Philippus Galtherus à Castellione.
Possidius.
Priscianus.
Seneca.
Seuerus Sulpicius.
Vitę Patrum.
Volusianus.

Ex his, nomine non expresso duos citat, lib. 1. c. 15. Philippum Galtherum de Castellione, lib. 2. cap. 34. par. 4. Priscianum.

AVCTO-

AVCTORES IN ANNOTATIONIBVS ALLEGATI.

Abraham Ortelius.
Abrahamus Bzouius.
Adelagus Bremensis archiepiscopus.
Adrianus Iunius.
Adrianus VI.
Agellius, siue Aulus Gellius.
Alanus de Rupe.
Albertus Crantzius.
Albertus Magnus.
Alexander Halensis.
Alexander papa III.
Alexius de Salo.
Alphonsus à Castro.
Amalarius.
S. Ambrosius.
Ambrosius Calepinus.
Andreas Eborensis.
Antiphonarium Gallicanum.
S. Antoninus.
Antonius de Balinghem.
Antonius Bonfinius.
Antonius Demochares.
Antonius Senensis.
Apuleius.
Aristoteles.
Arnoldus Pontacus.
Arnoldus de Raisse.
Arnoldus Wion.
Auctarium Aquicinctinum ad chro. Sigebert.
S. Augustinus.
Augustinus Eugubinus.
Auicenna.
Autbertus Miraus.
Balduinus Deglen.
Baptista Fulgosius.
Baptista Mantuanus.
Bartholomæus Anglicus.
Bartholomæus Cassanæus.
S. Basilius.
Benedictus Pererius.
Berengosius abbas.
S. Bernardus.
Biblia sacra secundum 70. & vulgata editionis.
Boëtius.
S. Bonauentura.
Breuiarium Atrebatense.
Breuiarium Cluniacense.
Breuiarium Romanum.
Breuiarium Vedastinum.
Burchardus.
Cæsar Baronius.
Cæsarius Heisterbachcēsis.
Carolus Blandecq.

Capitula

Capitula Caroli Magni & Ludouici Pij.
Carolus Sigonius.
Cassiodorus.
Christianus Massæus.
Cicero.
Claudius Robertus.
Coloniensis additio ad Martyrologiũ Vsuardi.
Columella.
Concilium Cameracense 1. & 2.
Concilium Lateranense sub Innocentio III.
Concilium Tridentinum.
Concilium Viennense.
Concordantiæ bibliorum.
Conradus Gesnerus.
Conradus à Liechtenau abbas Vrspergensis.
Conradus Lycosthenes.
Cornelius Ianssenius.
Demosthenes.
Dionysius Carthusianus.
Dominicus Soto.
Domitius Brusonius.
Durandus.
Epitaphia & inscriptiones.
Erasmus Roterodamus.
S. Eulogius Cordubensis.
Eusebius Cæsariensis.
Euthymius.
Ferreolus Locrius.
Festus.
Franciscus Arnoldus Riensis.
Franciscus Haræus.
Franciscus Lamata.
Franciscus Lucas.
Franciscus Samarinus.
Franciscus Toletus.
Franciscus Valesius.
Franciscus à Victoria.
Fulbertus.
Gabriel Biel.
Gabriel Prateolus.
Gabriel Putherbeus.
Gaspar Bruschius.
Gaufridus Episcopus Asaphensis.
Gennadius Massiliensis.
Georgius Wicelius.
Gerardus de Franchetto Lemouicensis.
Glossarium Isidori.
Glossa Iuris Canonici.
Glossa iuris Ciuilis.
Glossa ordinaria.
Godefridus Tilemannus.
Godscalcus Hollen.
Goffridus Vindocinensis.
Gratianus.
S. Gregorius Papa.
S. Gregorius Turonensis.
Guido de Mõte Rocherij

Guil-

Petrus

Petrus Antonius Spinell⁹
Petrus Blesensis.
Petrus Boisteau.
Petrus Comestor.
Petrus Cratepolius.
Petrus Damianus.
Petrus Louwius.
Petrus Messias.
Petrus de Natalibus.
Petrus Reginaldetus.
Philippus Diez.
Platina.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Pontificale Romanum.
Pratum spirituale.
Prosper Stellartius.
Psellus.
Rabanus Maurus.
Radulphus Ardens.
Ratbodus archiepiscopus Treuirensis.
Reginerus Vitellius.
Renatus Choppinus.
Richardus Premonstratensis.
Robertus Bellarminus.
Robertus Gaguinus.
Robertus Holkot.
Robertus de Monte.
Robertus Richardinus.
Rogerius Cisterciensis.
Ruffinus Aquileiensis.
Rupertus abbas Tuitiensis.
Scholia seu notæ noui Corporis Canonici.
Sebastianus Baradius.
Sebastianus Munsterus.
Sebastianus Rouillart.
Seneca Philosophus.
Seruius.
Sequētia de nomine Iesu.
Seuerus Sulpitius.
Sigebertus.
Siluester Prieras.
Sisenna.
Sixtus Senensis.
Socrates.
Solinus.
Sophronius.
Speculum exemplorum eiusq́; appendices.
Stella Clericorum.
Stephanus de Sampayo.
Symphorianus Champerius.
Terentius.
Tertullianus.
Theodoretus Cyri episc.
Theodoricus de Apoldia
Theodoricus Loër.
Theophylactus.
S. Thomas Aquinas.
Thomas Cantipratanus.

Præter hos 307. auctores, in præliminaribus 26. citantur ab his diuersi.

EX BI-



EX BIBLIIS SECVNDVM LXX. *Interpretes Latinè redditis, & ex auctoritate Sixti V. Pontificis Max. editis Romæ, anno 1588. Prouerb. 6. post exemplum de formicis.*

Vade ad formicam. ô piger, & ęmulare vias eius, &c.
Aut vade ad apem, & disce quomodo operaria est: operationem quoque quàm venerabilem facit, cuius labores, reges & idiotę ad sanitatem afferunt. Appetibilis autem est omnibus, & clara: etiam cùm sit robore infirma, sapientiam honorans euecta est. Vsquequo piger iaces? &c.

Eadem habentur in Græca editione Argentinensi anni 1526. quæ Aldinum exemplar per omnia est secuta.

TESTIMONIA SS. PATRVM DE EODEM SCRIPTVRÆ LOCO.

S. EPHREM SYRVS ser. ascetico de vita religiosa, atque monastica to. 3. aliàs de compunctione cordis cap. 8.

Imitare apem chariſſime, & admirabile eius cerne myſterium, quo pacto illa ex varijs ſparſiſque terræ floribus ſuum colligit opificium. In hoc ergo paruo ac vili animante ſolertiam magnam conſidera. Si enim omnes ſapientes terræ, cunctique orbis philoſophi cōgregati fuerint, ſapientiam illius ediſſerere haud quāquam valebunt: quomodo nimirum illa, ex floribus quaſi quædam monumenta ædificet, in quibus & ſoboles ſuas ſepelit: cumque iam eas viuificauerit, tum demum velut dux quidam militiæ, ſua illas voce excitat: qua audita, illę pariter ex ſuis ſedibus ac tumulis euolare incipiunt: poſtquam autem euolauerint, operatur ac replet eadem monumenta mirabili eſcarum dulcedine, diſtenditque nectare cellas: ita vt omnis, qui opus ac laborem illius prudenter conſiderat, glorificet creatorem Deum, admirans ſecum, quòd ex tam vili atque abiecto animante tanta procedat ſapientia: Et tu ergo chariſſime, eſto ſicut & illa: atque ex diuinis ſcripturis diuitias tibi congrega, & theſauros, qui numquam eripi tibi poterunt, illoſque in cælum pręmittere ſatagito.

S. BASILIVS homil. 8. hexaëmeron diuini opificij.

Quin & apes, quę non ſequuntur ac imitantur regis exemplum, citò admodum temeritatis pœnitet ſuæ:

ſuę: propterea quòd mox poſt ictum intereunt. Audiant iſta Chriſtiani, quibus lege ſancitum eſt, nemini vmquam homini pro malo reddere malum, ſed malum vincere, ſuperareque bono. Imitare mores apis peculiares, quę nemini prorſus officiens, nec alienos vllos fructus demoliens, fauos exſtruit & compingit ſuos. Etenim ceram quidem à floribus aperte colligit: mel autem, humorem, qui ſpeciem pręfert roris inſperſum floribus, ore libatum atque attractum, in cauos fauorum ſinus immittit. Vnde & humidum primum eſt: deinde tempore concoctum, ad ſuam propriam craſſitudinem ſuauitatemque redit. Pulchra decoraque laude à Prouerbiorum auctore prędicata eſt apis, ſapiens operatrixque nuncupata, adeò pabulum diligenter elaborateque congerens. Cuius labores (inquit) tam reges, quàm priuati homines ad tuendam ſanitatem edunt. Adeo ſapienter, adeo exacta miraque arte apothecas mellis exſtruens atque fingens &c.

IDEM homil. in Pſal. XIV.

Formica poteſt neque rogans, neque mutuò accipiens, nutriri, & apes propij nutrimenti reliquias regibus gratuitò condonant, quibus nec manus, nec artes natura dedit: tu autem induſtrium animal, homo vnam tantùm ad vitæ vſum viam reperire neſcis?

S. GREGORIVS NAZIANZENVS orat. in nouam Dominicam.

Nunc ſedulę apes, ſolutis pennis, & relictis aluearibus, ſapientię ſuæ documentum prębent, atque ad prata conuolant, floreſque diripiunt: ac partim cellulas elaborant, ſexangulas & inter ſe oppoſitas fiſtulas atte-

attexentes, rectásque angularibus alternantes, non minùs ad operis elegantiam, quàm ad securitatem: partim mel in horrea recondunt, atque hospiti suo dulcem fructum & † inaratum proferunt, quemadmodum vtinam nos quoque, qui Christi apiarium sumus, ac tale partim sapientię, partim industrię & laboris exemplum accepimus.

† i. sine aratro.

Ad quem locum NICETAS SERRONIVS in suo commentario multò copiosiùs de apibus differit, nos hæc pauca ex eo atteximus.

Veris etiam tempore sapiens & industria apis, vt est apud Salomonem, pennam suam, ab hyberno frigore, quasi à vinculo quodam torpescentem, velutque constrictam soluit, atque ab aluearibus, in quibus habitat, ac mel tanquam in horreis recondit, egreditur, atque in hortos, & floribus amœna loca cōuolat, ac ceram quidem ex floribus apertè colligit: mel autem, hoc est inspersum floribus humorem ore attractum fauorum cauitatibus immittit &c. *Et infrà:* Vtinam nos quoque, qui Christi apiarium sumus, spiritualem, & nobis dignum fructum ipsi porrigamus, qui tale partim sapientiæ, partim industriæ, & sedulitatis exemplum ab ape accepimus. Nam vtramque laudē Salomon in Prouerbijs api tribuit, dicens: Perge ad apim, ac disce, quàm industria sit, quamque honestum & præclarum quæstum faciat: cuius labores & principes & priuati, bonæ valetudinis ergo percipiunt, & quamquam viribus imbecilla, apud omnes tamen amabilis est & illustris, sapientiæque laude instructa à Deo procreata est.

S. EPIPHANIVS hæresi 80.

Nullus est Dei famulus, qui non ad obtinendam iustitiam

iustitiam manibus suis opus exerceat, quò in egentes beneficus esse possit. Quod in vno quoque monasterio, tam in Ægypto, quàm in alijs prouincijs nosterio, tam in Ægypto, quàm in alijs prouincijs fieri cernimus: vbi iustitiæ gratia sic ad opus incumbunt omnes, tanquam apes quædam, quæ ceram pedibus, stillas mellis ore comportantes, communem vniuersorum Dominum, pro sensu suo atque captu, quodam velut vocis cantu, ac prædicatione celebrant, prout testatur Salomon: Sapientiam, inquit, honorans prouecta est.

S. AMBROSIVS libro V. hexaëmeron cap. XXI.

Meritò quasi bonam operariam scriptura apem prædicat, dicens: Vade ad apem, & vide quomodo operaria est. Operationem quoque quàm venerabilem mercatur; cuius laborem reges & mediocres ad salutem sumunt. Appetibilis enim est omnibus & chara. Audis quid dicat propheta? mittit vtique te vt apiculæ illius sequaris exemplum; imiteris operationem. Vides quàm laboriosa, quàm grata sit. Fructus eius ab omnibus desideratur & quæritur, nec pro personarum diuersitate discernitur, sed indiscreta sui gratia regibus pariter ac mediocribus æquali suauitate dulcescit. Nec solùm voluptati, sed etiam saluti est, fauces obdulcat, & curat vulnera, internis quoque medicamentum infundit vlceribus. Itaque cùm sit infirma robore apis, valida est vigore sapientiæ, & amore virtutis. Denique regem suum summa protectione defendunt, & perire pro eo pulchrum putant. Incolumi rege nesciunt mutare iudicium, mentem inflectere: amisso, fidem seruandi muneris derelinquunt, atque ipsæ sua mella diripiunt,

ripiunt, quòd is, qui principatum habuit muneris interemptus eſt. Itaque cùm aues aliæ vix in anno edant ſingulos fœtus, apes geminos creant, & duplici ceteris fœcunditate præponderant.

S. HIERONYMVS in cap. III. Ezechielis.

In Prouerbijs de ape dicitur, quamquam hoc Hebræa non habeant exemplaria: Vade ad apem; & diſce quomodo operatrix ſit, & opus ſuum caſtum faciat; cuius laboribus reges, & imperiti pro ſanitate abutuntur.

Alium eiuſdem Hieronymi locum citauimus ſuprà in præfatione ad lectorem ex epiſt. 4. ad Ruſticum monachum.

GAVDENTIVS BRIXIENSIS epiſcopus in reſponſione ad Paulum diaconum.

Conſtat ſine coitu generantis, futuræ apis vermem naſci: cuius labores reges & mediocres ad ſanitatem afferunt, ſicut ſcriptum eſt. Labores enim paſſionis Chriſti, quem velut apem virginem permanſurum virgo mater dedit, tàm reges à regendo (ſummi videlicet ſacerdotes) quàm mediocres quique ſe ſequentium, vel ordinis Leuitici, vel fidelium plebis in figura corporis eius ac ſanguinis pro ſalubritate vitæ communis afferimus, & agnitam dulcedinem myſteriorum, conſcio ore teſtamur: Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.

S. AV-

S. AVGVSTINVS *in benedictione cerei paschalis.*

Exstat to. 6. biblioth. patrum 2. editionis : to. 15. quarta editionis in orationibus Missalibus ex vetustissimo ms. Gottico Missali, hoc præfixo titulo : Benedictio cerei, beati Augustini episcopi, quam adhuc diaconus cùm esset edidit & cecinit, incipit : Exultet iam angelica turba cælorum, exultent diuina mysteria &c. Habentur in ea, quæ etiam hodie sunt in Missali Romano, & plura alia, & hæc inter cetera.

Apis ceteris, quæ subiecta sunt homini, animantibus antecellit. Cùm sit minima corporis paruitate, ingentes animos angusto versat in pectore: viribus imbecilla, sed fortis ingenio. Hæc explorat temporum vicem, cùm caniciem pruinosa hyberna posuerint, & glacialem senio verni temporis moderata deterserint, statim prodeũdi ad laborem cura succedit, dispersæque per agros libratim paululùm paruis cruribus suspensis incedunt, pars ore legere flosculos, & oneratis victualibus suis ad castra remeant. Ibique aliæ inęstimabili arte cellulas tenaci glutino instruunt: aliæ liquentia mella stipant: aliæ vertunt flores in cera: aliæ ornatus fingunt, aliæ collectis è folijs nectar includunt. O verè lecta & mirabilis apis, cuius nec sexum masculi violant, fœtus non quassant, nec filij destruunt castitatem: sicut sancta concepit virgo Maria, virgo peperit, & virgo permansit.

S. IOAN-

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS
in Psal. 110.

Vade ad formicam ô piger &c. Vel vade ad apem, & disce quòd sit operaria, cuius labores reges & priuati ad sanitatem offerunt. Atqui licet sit imbecilla viribus, vt quæ sapientiam honorarit, prouecta est.

IDEM homil. 17. in Matthæum.

Ad irrationalia quoque animalia homines sæpe transmittit (scriptura sacra) ac dicit: Vade ad formicam ô piger, & æmulare vias eius: & vade ad apem, & disce quàm operatrix sit.

IDEM homil. 68. ad populum Antiochenum.


Nonne vides apem quemadmodum immoritur aculeo? Per illud nos animal docet Deus, ne proximos afficiamus tristitia: ipsi namque priùs mortem excipimus. Et illos quidem fortè paululùm lædimus, nos autem non ampliùs viuemus, quemadmodum nec illud animal. Etsi laudat illud scriptura, quod operarium sit asserens, cuius opes reges & priuati ad sanitatem offerunt: nihil tamen ipsi prodest ne moriatur, sed omnino moriatur est opus. Ergo si illam non liberat malefacientem in reliquis præstantia, multò minus nos.

S. PAV-

S. PAVLINVS NOLANVS Episcopus epist. 22. qua est 3. ad Amandum episcopum.

Non apis mysticę studio, non formicę solertis exemplo, ad prouidentiam vitæ & vtilitatis operam suscitamur, sed modicum dormimus, modicum verò dormitamus, modicum autem manibus complectimur pectus, & interea nobis inopia tanquam bonus cursor occurrit.

AVCTO-



AVCTORES ALIQVOT, QVI PRÆTER CANTIPRATANVM SCRIPSERUNT *de apibus, & earum admirabili politia.*

ARistoteles libro 5. de historia animalium c. 21. 22. & 23. & lib. 9. c. 40. Item libro 3. de generatione animalium cap. 10. & alibi.

Virgilius lib. 4. Georgicon.

Columella de re rustica lib. 9. per totum.

Seneca lib. 1. de clementia cap. 19. Item ep. 85. & 122.

Plinius l. 11. hist. naturalis à c. 5. vsque ad 22.

Plutarchus in tractatu de industria animalium.

S. Basilius homil. 8. hexaëmeron.

S. Ambrosius l. 5. hexaëmeron c. 21. & 22.

Rabanus Maurus lib. 8, de Vniuerso cap. 6.

Michaël Glycas parte prima Annalium.

Hugo à Sancto Victore libro 3. Institutionis monast. de bestijs & alijs rebus cap. 38.

Albertus Magnus lib. 26. de Animalibus c. 1.

Petrus Messias in suis varijs lectionibus p. 4. cap. 13.

Petrus Constantius de republica apum: Gallico idiomate.

Caro-

Carolus Stephanus, & Ioannes Liebault medicinæ doctores in prædio rustico, Gallicè maison rusticque lib. 2. c. 63. vsque ad 73.

Vbi inter alia docetur, quomodo tractandæ & gubernandæ toto anno sint apes, & sanitas earum conseruanda, quomodo aluearia componenda, quomodo mel & cera colligenda, & quanta ex apum nutritione patrifamilias ad augendam rem domesticã accedere possit vtilitas. Quæ longè profectò iam maior est, quã ante 40. annos, dum pondo flaua ceræ vendebatur solummodo 12. stuferis nunc 18. & lotum mellis 20. stuf. nunc 48. Hinc ad fertilitatem Terræ sanctæ significandam toties in scriptura dicitur: Dabo vobis terram lacte & melle manantem. Certè hunc indicem eo fine adieci, vt quibus libitum est oculis conspicere admiranda illa, quæ de apibus scribuntur, vel apes enutrire, auctores aliquot cognoscant, ex quibus ea discant. Quæ cura non solùm plebeis digna est, sed etiam non indigna viris honestißimis tam laicis, quàm ecclesiasticis, vt religiosis & pastoribus ruri commorantibus, ad vitandum ocium, & alia mala: vt ostenditur ex illo Hieronymi loco epist. 4. ad Rusticum monachũ: Apum fabricare aluearia, ad quas te mittunt Salomonis Prouerbia, & monasteriorum ordinem ac regiam disciplinam in paruis disce corporibus.

Ex his omnibus visum est pauca ex ijs, quæ habet Ambrosius subtexere, in quibus ferè omnes

 proprie-

proprietates apum continentur, quas explicat mystice Cantipratanus.

S. AMBROSIVS cap. XXI. lib. V. Hexaëmeron.

De natura & admiranda industria ac diligentia apum, quæ velut quamdam rempublicam curare videntur.

Nunc age quæ aues velut quamdam rempublicam curare videantur, expediam, atque vitæ huius ætates agere sub legibus. Hic enim reipublicæ vsus est, leges omnibus esse cōmunes, atque obseruari eas deuotione cōmuni. Vno omnes teneri vinculo, nō alterius esse, quod alius intelligat sibi non licere: sed quod liceat, licere omnibus: & quod non liceat, omnibus non licere. Esse etiam communem reuerentiam senatorum, quorum consilio respublica gubernetur, commune omnibus vrbis domicilium, communis conuersationis officium, vnum præscriptum, omnibus vnum esse consilium. Magna hæc, sed quantò in apibus præstantiora, quæ solæ in omni genere animantium communem omnibus sobolem habent, vnam omnes incolunt mansionem, vnius patriæ clauduntur limine, in commune omnibus labor, communis cibus, communis operatio, communis vsus & fructus est, communis volatus. Quid plura?

plura? Communis omnibus generatio, integritas quoque corporis virginalis omnibus communis, & partus: quoniam neque vllo concubitu miscentur, nec libidine resoluuntur, nec partus quatiuntur doloribus, & subitò maximum filiorum examen emittunt, è folijs & herbis ore suo prolem legentes. Ipsæ sibi regem ordinãt, ipsę sibi populos creant, & licet positæ sub rege, sunt tamen liberę; Nam & prærogatiuam iudicij tenent, & fide deuotionis affectum: quia & tanquam à se substitutum diligunt, & tanto honorant examine. Rex autem non sorte ducitur, quia in sorte euentus est, non iudicium, & sæpe irrationabili casu sorte melioribus vltimus quisque præfertur: neque imperitæ multitudinis vulgari clamore signatur, quæ non merita virtutis expendit, nec publicæ vtilitatis emolumenta rimatur, sed mobilitatis nutat incerto: neque priuilegio successionis & generis regalibus thronis insidet: si quidem ignarus publicæ conuersationis, cautus atque eruditus esse non poterit. Adde adulationes atque delicias, quæ teneris inolitę ætatibus vel acre ingenium eneruare consueuerunt, tum institutiones spadonum, quorum plerique suo magis quæstui, quàm vsui publico animum regis inclinant. Apibus autem rex naturæ clarus formatur insignibus,

vt magnitudine corporis præſtet & ſpecie: tum (quod in rege præcipuum eſt) morum manſuetudine, nam etſi habet aculeum, tamen eo non vtitur ad vindicandum. *Et infrà.* Non Jndi, non populi Sarmatarum tantam, quantam apes reuerentiam deuotionis obſeruant, vt nullæ è domibus exire audeant, non in aliquos prodire paſtus, niſi rex fuerit egreſſus, & volatus ſibi vindicauerit principatum. Proceſſus autem eſt per rura redolentia, vbi inhalantes horti floribus, vbi fugiens riuus per gramina, vbi amœna riparum: illic ludus alacris iuuentutis, illic campeſtre exercitium, illic curarum remiſſio. Opus ipſum ſuaue, de floribus, de herbis dulcibus fundamina caſtrorum prima ponuntur. Quid enim aliud fauus, niſi quędam caſtrorum ſpecies? Denique ab his præſepibus apum fucus arcetur. Quæ caſtra quadrata tãtum poſſunt habere artis & gratiæ, quantum habent crates fauorum, in quibus minutę ac rotundæ cellulæ cõnexione ſui inuicem fulciuntur? Quis enim architectus eas docuit hexagonia illa cellarum indiſcreta laterum æqualitate componere, ac tenues inter domorum ſepta ceras ſuſpendere, ſtipare mella, & intexta floribus horrea, nectare quodam diſtendere? Cernas omnes certare de munere, alias inuigilare quęrendo victualia,
alias

alias ſollicitam caſtris adhibere cuſtodiam, alias futuros explorare imbres, & ſpeculari curſus nubium, alias de floribus ceras fingere, alias rorem infuſum floribus ore colligere: nullam tamen alienis inſidiari laboribus, & rapto vitam quærere: atque vtinam raptorum inſidias non timerent. Habent tamen ſpicula ſua, & inter mella fundunt venenum ſi fuerint laceſſitę, animaſq; ponunt in vulnere ardore vindictæ.



PROPRIETATES APVM QVÆ TANQVAM TEXTVS, duobus his libris per singula capitula moraliter explicantur, quorum index è regione respondet: in quibus tota simul cernitur præclara apum respublica.

1. Rex apum mellei coloris est, ex electo flore, & ex omni copia factus.

2. Reges plures in vno alueario sæpius inchoantur.

3. Qui cùm adulti esse cœperint, concordi suffragio omnes deteriores necant, ne distrahant agmina, & excitent seditiones.

4. Rex apum nullum habet aculeum, maiestate tantùm armatus.

5. In vno alueario princeps vnus, qui tantùm regijs insignibus dominatur.

6. Rex in fronte macula quadam, quasi quodam dia-

CAPITVLA LIBRI primi.

1. Quòd prælatus debet esse bonæ vitæ & bonæ famæ.

2. Quòd ingenio pollentes præferendi sunt.

3. Quòd insolentes reprimendi sunt.

4. Quòd Prælatus debet esse clemens.

5. Vnus Prælatus sit in ecclesia, cui omnes subditi obediant, tanquam filij patri.

6. Prælatus fulgeat eloquentia, & puri-

dem ate

demate candidatur.

tatem habeat in conscientia.

7. Notabili signo cultus alterius rex præ ceteris non ornatur.

7. Quòd Prælato damnabilis est cultus superfluus.

8. Hic forma semper egregior, & duplo ceteris maior.

8. Quòd prælatus eligitur extra gregem propter probitatē, ideo humeris suis habet portare onera suorum subditorum.

9. Alæ eius breuiores sunt, & perfectorum formam suscipit.

9. Prælatus non conqueratur si alas habuerit breuiores.

10. Dum procedūt apes, rex in medio earum est, & se vnaquęque proximam esse cupit.

10. Quòd prælatus debet suis subditis hilarem faciem præstare.

11. Et in officio illius omnes conspici se gaudent.

11. Quòd bonus subditus non tantùm bonum operatur in præsentia Prælati.

12. Cùm autem rex procedit, vnà est totum agmen, & circa eum globatur, cingitque eum ac protegit.

12. Subditi orent pro vita Prælatorum.

13. Si qua alam regis, transiens iuxta, destruxerit, non effugiet agmen.

13. Subditi non perturbent contemplationem Prælatorum.

14. Migraturo agmine nullæ è domibus exire audent, nisi rex primò fuerit egressus, & volatus sui vendicauerit principatum.

14. Prælatus subditis viam exemplaris vitæ ostendat.

15. Reliquo tempore, cùm popu-

15. Prælatus subdito-

populus in labore est, ipse operantes circuit, & solus immunis est ab opere.

rum opera inspiciat, & eos exhortatione, & quandoque etiam manibus adiuuet.

16. Circa eum satellites quidam sunt assidui custodes auctoritatis eius.

16. Prælatus innocentia suæ custodes fideles semper secum subditos habeat.

17. Sunt & circa eum lictores sæui, qui morte puniunt delinquentes.

17. Prælatus sedulus sit in corrigendis & extirpandis vitijs.

18. Intus semper rex est sollicitus, & non de facili cerni patitur.

18. Prælatus sine causa non facilè foris vagetur.

19. Neque enim foras egreditur, nisi agmine migraturo.

19. Prælatus necessariò egrediens, Deum, vt eum egredientem tueatur, exoret.

20. Si qua lassata est, aut fortè aberrauerit, rex eam odore suo prosequitur.

20. Prælatus oberrantes reducat, & lassos releuet.

21. Hæc regis benignitas & sollicitudo maxima est circa populos, & circa regem populi obedientia adeo perseuerat, vt nũquam odio, aut discordia ad inuicẽ moueantur.

21. Prælatus sit benignus, & sollicitus pro pace seruanda.

22. Circa regem mira populi obedientia conseruatur.

22. Subditi obediant Prælatis.

23. Rex in expeditione à plebe sustollitur.

23. Subditi Prælatis orationum iuuamen impendant.

24. Fessum regem humeris

24. Perfectiores sub-

sustol-

sustollũt validiores, & ex toto portant.

25. Regem si mori contigerit, tristis populus circa eius funera glomeratur, spectantesque exanimem, lugent: & tunc, nisi subueniatur eis, fame moriuntur.

diti Prælatos in officijs releuent.

25. Quòd subditi in morte boni Prælati iure tristentur.

JN TRIBUS DIStribuuntur ordinibus apum plebes.

1. Pars autem prima illarum est, quæ matres & emeritæ sunt, ceterisque maiores existunt: istæ autem officijs singulis & operibus præsunt.

2. Secunda pars illarum apũ est, quæ iuuentutis vigore opera multa præstant.

3. Disciplina quadam matribus subditæ sunt, nec quidquam agunt sine maiorum imperio.

4. Tertia pars illarum apum est quæ fucæ dicuntur: hæ sine aculeo sunt, velut imperfectæ apes.

5. Istæ sunt quasi clientes, & quasi serui primarum & verarum apum.

6 Has primas expellunt in opere, tardantes & sine clementia necant.

CAPITVLA LIBRI secundi.

1. De primo hominum genere in monasterijs degentium, nempe de Officiarijs.

2. De vigore subditorum in iuuentute.

3 De virtute humilis subiectionis.

4. De reuerentia accusationis laicorum erga clericos.

5. De seruitio laicorum.

6. De expulsione peruersorum laicorum.

7. Apes

ſudores

ſudores amaros habent, & ex natura fœtidi ſunt, hos perſequuntur & pungunt.

17. Apes, quę aculeum perdunt, mella de cetero facere non poſſunt. | *17. De periculo carentium Zelo correctionis.*

18. Sunt & apes ruſticę, aſpectu horridæ, multò iracundiores, ſed labore & opere præſtantes. Illæ aliquando in tantum adacto aculeo pungunt, vt inteſtinum ſequatur, & tunc illico moriuntur. | *18. De culpæ remiſſione.*

19. Inter omnia animalium genera illud ſupra modum mirabile eſt, quòd apes communem habent ſobolem, & eis communis eſt fructus. | *19. De non quærendo gloriam propriam.*

20. Mira apes amicitia fouentur inuicem. | *20. De mutua & vera amicitia.*

21. Sunt & apes hoſpitalitatis virtuti deditæ. Apes enim extraneas, dummodo bonæ & mitis naturæ ſint, ſecum recipiunt. | *21. De bono hoſpitalitatis.*

22. Cùm plura animalium genera cupida ſint & auara, apum tamen genus nullis auaritiæ ſpurcitijs ſcatet, ſed ſuper beneficium gratulatur. | *22. De auaritia cauendą.*

23. In apibus quàſi habitualiter totius virtutis inſigne reperies, & quæ in alijs ani- | *23. De laude & commendatione virtutis.*

malibus

ge liberæ tamen ſunt. | *quæ in Chriſti ſeruitute comprobatur.*

34. Sicut regem ordinant, ſic & populos creant. | *34. De electione Prælatorum à ſubditis.*

35. Prærogatiuum examen iudicij tenent: incorrigibiles enim notant, caſtigant, mox & morte puniunt. | *35. De peruerſa & iniuſta iuſtitia.*

36. Miro modo innocuæ ſunt. | *36. De virtute innocentiæ & ſimplicitatis.*

37. Fructibus nullis nocent: ſed nec mortuis quidem. | *37. De innocentia boni hominis & iuſti, qui nemini cupit nocere, ſed omnibus prodeſſe.*

38. Non ſolùm ab odoriferis, verùm etiã à fœtidis herbis, mellis alimoniam trahunt. Mirè tamen bonis odoribus delectantur, & naturaliter fœtida fugiunt: ſed in eis, propter mellis bonũ, ad tempus vtiliter demorantur. | *38. Quilibet ſtudeat occaſionem proficiendi & emendandi ſumere, non ſolùm à bonis, verùm etiam à malis.*

39. Mira munditia circa eas. Admoliũtur namque omnia in medium, nullę inter opera ſpurcitię iacẽt: quin & excrementa operantium intus ponunt, ne longiùs recedant: vt congeſta in vnum locum, turbidis diebus, & operum ocio foras efferant aggregata. | *39. Quòd rigor iuſtitiæ & zelus correctionis in Capitulis ſtrictè ſit ſeruandus.*

40. Pariter aggregatę ſuauiter cantant. | *40. Quòd conſonantia vocũ in pſalmodijs ſit vigili mente ſeruãda.*


41. Habent gratam miramque vocis suauitatem.	*41. Quòd ex suauitate cãtus dulcedo & deuotio mentis sit trahẽda.*
42. Habent priuatim consilia.	*42. Quòd qui nolunt decipi omnia faciunt cum consilio.*
43. Tempora pręnoscunt.	*43. Quòd prouida circumspectione præteritorum, præsentium, & futurorum cuncta sunt prospicienda.*
44. Prædiuinant enim imbres, ventosque, & tunc se continent tectis.	*44. Quòd tribulationes & persecutiones patiẽter sunt tolerãda.*
45. Si dies futurus est mitis, prouolant vniuersæ.	*45. Quòd quies mentis & corporis multùm iuuat ad contemplationem scripturarum.*
46. Procedentes per rura redolentia, inhiant floribus, & fugientibus riuis per gramina, & herbis dulcibus inhærentes, curiosè satagunt redolentias experiri.	*46. Quòd multùm sit vtile, insistere studio sanctarum scripturarum.*
47. Vnius patriæ limine clauduntur.	*47. Quilibet in studendo, maneat in limine veræ fidei sanctæ Romanæ Ecclesiæ.*
48. Non transgrediuntur terminos constitutos.	*48. Quòd modus pius habendus sit in studio scripturarum.*
49. Gaudent plausu & tinnitu æris.	*49. Quòd prędicatione scripturarum, fidelium animæ ad vitæ perfe-*

FINIS.

Apud Ægyptios APIS ſymbolum erat hieroglyphicum REGIS. Teſtis Petrus Crinitus libro ſeptimo de honeſta diſciplina capite ſecundo, & alij.

EPI-





EPISTOLA AVCTORIS AD FRATREM HVMBERTVM, MAGISTRVM ORDINIS Prædicatorum.



REVERENDO in Christo Patri, fratri Humberto, Magistro ordinis Prædicatorum, frater humilis, quem ad præsens non vrget necessitas nominari. Instantissimè rogatus à quibusdam familiaribus meis, librum de prælatis & subditis, multa sollicitudine & labore cõscripsi. Reuolui autem librûm illum de natura rerum, quem ipse multo labore per annos 15. de diuersis auctoribus vtilissimè compilaui: In quo capitulum de apibus secundum Philosophos, Aristotelem, Solinum, Plinium, Magnum Basilium, Ambrosium Episcopum, & Iacobum Aconensem cum magna consideratione perspexi: cuius serie omnis status hominum, maximè in prælatis & subditis: necnon specialissimè modus viuendi claustralium poterat comprehendi. Hoc ergo capitulum exponere simpliciter & moralizare præsumens: Primum librum de prælatis, secundum de subditis, sub diuersis & intitulatis capitulis consummaui. Quibus etiam capitulis secundum materiam exempla aptata, & appropriata coniunxi, quę nostris temporibus, vel prope nostra tempora contigerunt. Et ego quidem

in pluribus hoc vitaui, vt terras, ciuitates, vel opida nominatim non ponerem in quibus rerum gesta patrata sunt: eò quòd, personis adhuc viuentibus, & * hunc fauorem gloriæ fugientibus, verecundiã facere formidarẽ. Et vtique in hoc nihil imitari volenti deperit, vel legenti. Interdum etiam & dicta Philosophorum diuersis locis inserui. Et ego quidem indignus, ex mandato vestro huius operis audaciam sumpsi; cùm in quodam Capitulo generali fratribus demandastis, vt in singulis prouincijs digna memoriæ scriberentur; si per fratres, vel occasione fratrum, siue alias nota fratribus contigissent. A te, igitur, Pater sancte, laboris mei studium corrigatur, & correctum diuersis domibus, filijs, & fratribus nostris rescribendum ociùs ordinetur: vt in nepotes filiorum semen sanctum vberiùs transfundatur. Hoc autem in fine libri lectores singulos humiliter deprecor, vt in missa vna mihi misero subueniant, vel subueniri faciant decedenti: quod vnum à vobis pro tanto labore, pro summa remuneratione requiro. Neque enim spernendum opus legentibus credo, vt mihi hanc vicem rependere negent, cùm vnusquisque rationis capax lucidè videat, omni statui, omni conditioni hominum: per diuersificatas ipsius textus sententias, & diuersa rerum narrata gestarum iucundè nimis & gratissimè conuenire: & vix fortè in multis tractatibus generalius aliquid inueniri. Vnde & nomen ipsius libri, Bonum vniuersale de apibus prænotaui. Valeat igitur vestra paternitas, & in æuum longum, ad decus ordinis nostri, incolumem vos Christi pietas tueatur. Amen.

*ms. s. humane.

THOMÆ

THOMÆ CANTIPRATANI BONI VNIVERSALIS DE APIBVS, LIBER PRIMVS.

In quo reſpublica Apum, quoad ſuos reges, ſtupendis miraculorum & hiſtoriarum memorabilium exemplis myſticè declaratur.


Quòd Chriſtus eſt ſummus prælatus Eccleſiæ, cui omnes prælati obedire tenentur:

Vnum caput Chriſtum in vnitate Eccleſiæ fideles habent, & huic obedire ſatagunt tanquam regi. Sub hoc rege, omnes particulares Eccleſiæ Prælatos habent, tanquam reges: qui vtique in clero miniſterio fidei dominantur. Qualis autem Prælatus eſſe debeat, in principio textus oſtendit.

Quòd prælatus debet eſſe bonæ vitæ, & bonæ famæ.

CAPITVLVM PRIMVM, *quod in quinque partes diuiditur.*

Rex (inquit) apũ mellei coloris eſt, ex electo flore, & ex omni copia factus.



VID in melle, niſi morum ſinceritas? Et quid in flore, niſi famæ redolentia deſignatur? Quantum autem ad ſe, bonam conſcientiam neceſſe eſt habere Prælatum: quantum verò ad proximum, 1.

mum, bonam famam. Vnde beatissimus pater
Aug. ser. 1. de com. vita cleric. Augustinus: Conscientia tibi: fama autem proximo tuo. Sed vt Seneca dicit: Plerique famam, conscientiam pauci verentur: Et tales vtique metu peccare cessant, non innocentia. Quanta dementia est, vereri ne infameris ab infamibus? quid nostra refert, sursum isti an deorsum sonent? Sapiens cogitat semper qualis vita, non quanta sit. Non enim viuere bonum est, sed bene viuere. Non vt placeas viuas: sed qualis sis studeas. Magnum est nolle laudari, & esse laudabilem. Gaudium verum nisi sapienti non contingit: quod est animi suis bonis * verisque fidentis. Cogita ergo hunc esse sapientiæ effectum, * gaudij qualitatem: & hoc est gaudium conscientiæ bonæ. Veruntamen necesse est ad alienam virtutem exercendã, exercere quemlibet & suam; & talẽ suam instituat, vt prouocet alienam. Ipse salutis nostræ Princeps Iesus suis præcepit, dicens: Sic luceant opera vestra bona coram hominibus, vt glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. Et hoc quidem necesse est, vt sit resultantia lucis intus primò, secundò foras ad proximos deferatur. Hoc & Paulus ad Romanos scribit, dicens: Prouidentes bona non tantùm coram Deo, in conscientia scilicet: verùm etiam coram omnibus hominibus, in fama.

apud Senecã in Prouerb. Sen. ep. 92. Epist. 71. In pro. ep. 60. or. viribusque. or. add. hãc. Epist. 110. Mat. 5. Rom. 12.

Prælatus debet eligi, non seipsum intrudere.

2. NOtandum est autem quòd textus dicit: Ex electo flore. Ex redolentia enim bonæ famæ, Prælatus eligi debet, non seipsum intrudere: quia nemo assumit sibi honorem: sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.

Heb. 5.

Prælatus

Prælatus debet esse perfectus, vt prosit subditis.

EX omni, inquit, copia factus, supple esse debet. Qui enim offendit in vno, factus est omnium reus. De tali ergo Prælato Ozeas propheta gratulabundus exclamat, dicens: Vitis frondosa Israel: fructus adæquatus est ei. Bonus enim Prælatus bonos subditos facit. Vnde Seneca dicit: Nulla res magis animos in malum declinabiles reuocat ad rectum, & prouocat ad honesta, quàm maiorum nostrorum conuersatio bona. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet, frequenter aspici, frequenter audiri, occursúsque ipse sapientium iuuat, & vix aliquid in eorum actibus transit, vnde non rectè proficias. Et reuera si nobis animum boni viri liceret inspicere, ô quàm * pulcherrimam faciem, quàm sanctam, quàm ex magnifico, placidoque fulgentem videremus?] Quicunque ergo instituitur culmine aliquo, & non proficit, hic omni amente deterior. 3. Iac. 2. Osee 10. Sen. ep. 95. Epist. 116. or. pulchrā.

Mirabilis electio Mauritij episcopi Cenomanensis.

DE modo electionis, & electo nostri temporis quiddam memorabile referam, quod nobili & sancto viro Philippo milite de * Monte mirabili narrante cognoui. Cenomanensis ciuitas inclyta & nota est, quæ dudum sub rege Angliæ, nunc autem regis Fráciæ subiacet potestati. Hæc multis annis sine veræ vitæ pastore languerat: & mortuo Episcopo electionis dies instabat. At quoniam vix est congregatio aliqua in personis adeo 4. Gallicè Montmiral.

adeo desolata, quin vnum saltem habeat, qui filiali pietate de materno defectu Ecclesiæ doleat, & gaudeat de profectu: quidam ipsius Ecclesiæ verè canonicus ad quandam famosissimæ sanctitatis reclusam, pro digno Episcopo eligendo, orationes petiturus, accessit. Cuius precibus illa commota, ab oratione reuersa est, & dixit: Carissime: ego quidem, rapta in cælum, vidi quod beata Maria virgo, patrona Ecclesiæ, pro delato negotio ad pedes filij rogatura processit. Cui filius dignanter assurgens: Tuum, inquit, erit mater & domina, statuere quemcunque volueris. Secedens ergo mater Christi cum Angelis sanctis, quasi de negotio tractatura, tandem reuersa dixit: Placet mihi fili de consilio beatorum, Mauritium quondam Archidiaconum Trecensem in Episcopum præfici Cenomannis. Et filius: Dignè, inquit, elegisti mater, sic fiat. Et mox reclusa canonico: Vide ergo carissime, vt secretum habeas, quoadvsque factum sit quod audisti. Effusus ergo vir pius in lachrymas, præ gaudio & stupore, Dominum benedixit. Quo autem ordine fieret, propter eligentium peruersitatem, nec suspicari quidem poterat: licet propter hoc † fieri non dubitaret. Quis autem hic Mauritius fuerit, breuiter referamus. In Trecensi Ecclesia Archidiaconus constitutus, circuibat diœcesim pedes, & eam in solo baculo, prædicationis officio visitabat. Archidiaconatu verò postmodum derelicto, nigrarum monialium monasterium, quarum eleëmosynis nutritus fuerat, adhuc puer, expetiit: vt eas ad emendatiorem vitam corrigeret, & rudem terræ populum prædicationibus erudiret: nec eum fefellit effectus. Quid plura? Ad electionem

Intercessio B. Mariæ virg. & potestas.

Id est futurum.

nem ventum est Cenomannis. Electi sunt duo: Præpositus scilicet, & Decanus: quorum primus vir sensatus & nobilis: alter verò litteratus & diues erat. Neutro igitur alteri volente cedere, dixit Decano Præpositus: Mihi quidem Episcopatum expedire non video: sed nec tibi. Mihi sufficit honor: tibi diuitiæ. Cedere tibi nolo, nec tu mihi. Nihil ergo restat, nisi iam in parte dilapidatam Ecclesiam per nostrum litigium funditus eneruari. Vellem igitur, si velletis & vos, vt inter nos virum vita probatum & humilem concorditer postulemus: qui confusionis nostræ ruinas velit & valeat restaurare. Ecce venerabilis ille Mauritius, vir in omni norma iustitiæ singulariter decoratus: qui etiam totum mundum posset * diuina prouidentia gubernare. Præsto sum enim cum meis omnibus tantum hominem postulare, & credo certius, quòd Deo & saluti suæ aduersabitur contradicens. Mox Decanus subridens, sic fiat, inquit, sed illa conditione, vt si idem Episcopatum acceptare noluerit, mihi cedat. Cui mox Præpositus exultabundus inclamans ratificetur, inquit, & fiat. Et mox facta est postulatio consensu omnium, & firmata. Decanus autem præsumebat Mauritium nunquam acceptare præsulatum, Præpositus verò dignius præsumebat, Christi amore coactum sanctum virum, propter salutem multorum non audere respuere sibi oblatũ. Missi ergo duo canonici inuenerũt eum, secundum quod solebat, in via peditem ad prædicandum euntem. Litteris ergo suæ vocationis ostensis, respondit ille. Ibitis ad hospitium nostrum, vespere autem, facta prædicatione, redibo, & mane quod Dominus dederit respondebo. Et

ms. s. digna.

factum est sic. Redeuntibus illis ad hospitium, pr[illegible]cessit ille, prædicauit, audiuit impransus confessiones vsque in vesperam, redit domum, salutat hospites, incœnatus oratorium intrat, pernoctat in precibus, respondet mane canonicis. Consilium Dei, inquit, est & matris eius, negare non conuenit quod offertis. Quid plura? Condigno honore receptus incathedratur, consecratur, & tanto regimine claruit, vt infra quingentos annos similis ei fuisse non credatur. Quid mirum? Valde congruum fuit, vt taliter electum, tale regimen sit secutum.

Qualis Prælatus esse debeat, & eius officium.

5. QValis autem Prælatus esse debeat, beatus Augustinus in regula sua ostendit, dicens: Ipse qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed caritate seruiente felicem. Honore coram vobis prælatus sit vobis: timore coram Deo substratus sit pedibus vestris. Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum. Corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes. Disciplinam libens habeat, metuendus imponat. Et quamuis vtrumque sit necessarium, tamen plus amari à vobis appetat, quàm timeri; semper cogitans Deo se pro vobis redditurum esse rationem. Vnde vos magis obediendo, non solùm vestri, sed etiam ipsius miseremini, qui inter vos, quantò in loco superiore, tantò in periculo maiore versatur.] Ecce discretissimus hominum, quàm bene, & quàm perfectè, statum debitum Prælatorum, & nihilominus compendiosè descripsit.

August. in reg. c. 40.

scripsit.

ſcripſit. Sed & ſanctus & venerabilis Benedictus in regula ſua, quam poſt Auguſtini tempora annis multis edidit, Prælati ſtatum planè diſtinxit: Abbas, inquit, qui præeſſe dignus eſt monaſterio, ſemper meminiſſe debet quod dicitur, & nomen maioris, factis implere. Christi enim vices agere in monaſterio creditur: & infra: Memor ſit ſemper, quia doctrinæ ſuæ vel diſcipulorum obedientiæ, vtrarumque rerum in tremendo iudicio Dei facienda erit diſcuſſio. Sciatque culpæ paſtoris * imminere, quidquid in ouibus paterfamilias vtilitatis minus potuerit inuenire. Et infra: Cùm aliquis ſuſcipit nomen paſtoris, duplici debet doctrina ſuis præeſſe diſcipulis, id eſt, omnia bona & ſancta factis amplius quàm dictis oſtendere: vt capacibus diſcipulis mandata Domini verbis proponat, duris verò corde & ſimplicioribus, factis ſuis diuina præcepta demonſtret. Omnia verò, quæ diſcipulis docuerit eſſe contraria, in ſuis actibus vel factis indicet eſſe non agenda: ne alijs prædicans ipſe reprobus efficiatur. Qui autem aliter præeſſe geſtit, loco ignominiæ eſt apud indignum dignitas. Prælatus enim qui ſubiecto non proficit, nec ſibi prodeſt. Magna verò pars iuſtitiæ in ſe redit, qui proderit alteri. Opus eſt enim aliquo ad quem mores noſtri ſe erigant, * vbi ad regulam praua corrigas. Aliquis vir bonus eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, quo tanquam ſpectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus.] Hic eſt rex, Prçlatus Apum fidelium, qui mellei coloris exiſtens, ex electo flore, & omni copia factus eſt.

Benedic. in reg. c. 2.

or. incumbere.

1. Cor. 9.

Sen. ep. 11.

or. niſi ad regulã praua non corriges, quomodo videbatur primò etiam ms. p. legiſſe.

Quòd



Quòd ingenio pollentes præferendi sunt.

CAPITVLVM SECVNDVM.

Reges plures in vno alueario ſæpius inchoantur.

1. *Jndebitæ electiones.* ET quidem ſi tempore Apoſtolorum in primitiua Eccleſia, ſecundum quod Paulus ad Corinthios ſcribit. Non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi nobiles, non multi potentes, poſtea tamen,& maximè nunc, vt in præſenti videri poteſt, multi ſapientes. Sed heu propter carnem: multi nobiles, ſed in carne, non in mente: multi potentes, non ad protegendum:ſed ad opprimendum pauperes clericos per Eccleſias prælati procreantur. Tales, morigeratis & ſpiritualibus viris, per ſuos complices præferuntur. De talibus Eccleſiaſtes dicit: Vidi ſeruos in equis,& principes quaſi ſeruos ambulantes in terra.

1.Cor.1.

Eccl.10.

Ingenioſi ſtolidis & idiotis præferendi.

2. SI ergo culpabiles ſunt, qui literatos, potentes, nobiles ſine moribus, & carnales, morigeratis & ſpiritualibus viris præferunt, qualiter illi damnandi ſunt, qui ſtolidos & idiotas, & ſine vllo ingenio naturali, eligunt in prælatos. Nam ingenio callentes & prouidi ſemper habiliores ſunt ad omnem actum bonum: dummodo non dominetur

minetur malignitas voluntati. Tales enim & ſine multa ſcientia litterarum rationis capaces ſunt, & ideo facilius à leuioris vitæ diſpendio ad viam ſtabilem gratiæ conuertuntur. Qui verò idiotæ ſunt & ſine litteris: rudes intellectu & mentis ſtoliditate mutabiles, vix vnquam flectuntur in bonum, ſed de malo in peius facillimè deuoluuntur. Vnde Seneca: Humilis res ſtultitia, abiecta, ſordida, ſeruilis, multis affectibus, & ſæuiſſimis ſubiecta euentibus. Horum heu! in maioribus dignitatibus plures conſtitutos & vidimus, & videmus. De illis verò qui naturali callebant ingenio, etiam in ſtatu vitæ leuioris electos, in regimine probatiſſimos vidimus, & tantò feruentiores in cura proximorum ſuſceptis officijs extiterunt, quantò tepidiores à cura propria ante regimen in vanitatibus defluxerant.

Sen. ep. 37.

Exemplum de quadam inſueta electione.

3. HInc accidit quòd quidam canonici in electione Pontificis conuenire concorditer non valentes, ea cõditione in Præpoſitum & Decanum vota ſua ſinguli tranſtulerunt, vt nullum extra gremium Eccleſiæ poſtularent. Illis igitur in partem ſecedentibus, vt de Pontificis electione liberiùs ordinarent, vnus canonicorum prandij horam differre recuſans, extra capitulum in tabernam proximam cucurrit, pranſuſque ad teſſeras ludere conſedit. Erat enim iuuenis vitæ leuiſſimæ, ſed mirabili ſupra modum callebat ingenio, affabilis omnibus, & bonis naturalibus inſignitus. Cùm autem Præpoſitus & Decanus, facta inter ſe collatione, viderent quia in ſuis omnibus,


omnibus, ſpiritualem vel idoneum neminem inuenire poſſent; conuenerunt in hoc, quòd canonicum illum iuuenem, qui tam mirabili callebat ingenio, in Pontificem eligerent. Facta ergo denunciatione capitulo, ordinatur proceſſio, pergunt proceſſionaliter * in tabernam. Inueniunt ibi iuuenem ludo nudatum, renitentem cum lachrymis in aëra rapiunt: portant ad Eccleſiam: in cathedra collocant: & ſic oportuno tempore conſecratur. Qui ſtatim vt ſe vidit Epiſcopum, mutatus in virum alterum, omnia, quæ erant digna officio adeo in ſe perfectiſſimè ordinauit, vt nullum antiquæ vitæ veſtigium remaneret: ſed credi poſſet omni tempore præfuiſſe. Negocia autem Epiſcopatus tali modo gubernabat extrinſecus, vt nihil horum eum in exercitio ſpiritualium impediret. Quid mirum? Bonum ſuperueniens virtutis gratuitæ, naturalis boni conuenientiam informauit. Hinc Seneca dicit: Si vis tibi omnia ſubijcere, te ſubijce rationi. Multos regere poteris, ſi te ratio rexerit. Quemadmodum flamma quæ ſurgit in altum, iacêre & deprimi non magis poteſt, quàm quieſcere: ita noſter animus in motu eſt, eo mobilior & actuoſior, quo vehementior fuerit. Sed felix qui ad meliora hunc impetum dedit.]

ms. p. ad. — *1. Reg. 10.* — *Senec. epiſt. 37.* — *Epiſt. 39.*

Certior via in electione ſemper tenenda.

4\. LIcet autem in iuuene iſto priùs vanitati dedito, eligentibus eum tam bene & fortunatè ſucceſſerit, nullo tamen modo in conſuetudinem eſt trahendum, vbi via certior poterit inueniri. Proinde quid facto opus ſit, vbi in congregatione ali-


ne aliqua plures sapientes, nobiles, siue potentes sine vita vel moribus præeminere voluerint, textus sequens eleganter ostendit.



Quòd insolentes reprimendi sunt.

CAPITVLVM TERTIVM.

Sed cùm adulti esse cœperint(supple hi,quos dicimus insolentes) omnes concordi suffragio deteriores necant, ne distrahant agmina, & excitent seditiones.



STATIM enim vbi tales cornua cœperint erigere libertatis, ab illis qui * sanctiores sunt, & in virtutibus prouectiores reprimendi sunt, & arctandi, & ab omnibus officijs subtrahendi: ne vlla detur eis occasio malignandi. Contra tales clamat Ezechiel: Aufer cidarim, tolle coronam. Quid ergo? Numquid contra literatos inuehimur? Numquid nobiles abominabiles dicimus, aut potentes? Minimè. Immo si tales aliqui congruis apti moribus comprobantur, secundum Apostolum, duplici honore digni sunt,

ms.s.seniores.

Ezec.21.

1.Tim.5.

Virtus

Virtus nobilitati est præferenda.

2. 1. Cor. 8. SEd heu! maximè nunc ſine caritate ſcientia inflat, nobilitas carnis plerumque in moribus degenerat: potentia ferè omnes turpiter abutuntur. Paulus quondam mundum circuiens, & in lege doctiſſimus, ſtultitia tamen prædicationis ſaluos fecit credentes. Petrus proiecto reti, & nauicula derelicta, Romanum ſubegit imperium. Et nunc noſtri ſummi apicis Pontifices, credunt nobili, ſed tepido ſanguine infantilium, Eccleſiam, quæ fundata fuit ſanguine robuſtorum martyrum ſtabiliri? Abſit. Ille, qui ſanctificatus fuit ab vtero Hieremias, cùm à Domino, vt præeſſet populis, vocaretur, clamauit, dicēs: A, a, a. Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum. Nec mirum, quia Ioſeph in figura Chriſti & omnium prælatorum conteſtans fratribus paſtoribus, dixit: Non videbitis faciem meam, niſi fratrem veſtrum minimum adduxeritis vobiſcum, minimum intelligens ſubditorum: quem illi non traxerint, quantum in eis eſt, exhortationibus & exemplo.

Actor. 9. & 22. — *1. Cor. 1.* — *Mat. 4.* — *Hierem. 1.* — *Gen. 42. & 43.*

Durum iudicium his qui præſunt.

3. ET heu! quàm multi carebunt tunc beatiſſima viſione deificæ faciei. Vnde præcepit Moyſes, vt hircus emiſſarius, prælatum ſignificans, portaret iniquitatem filiorum Iſrael, ſubditorum ſcilicet, in terram ſolitariam inferni, quæ deſerta eſt omni bono. Et vt lucidiùs figura myſterij videatur, infrà iuſſit Dominus, vt tolleret cunctos principes

Leuit. 16. — *Num. 25.*

principes populi & suspenderet in patibulis contra solem: & hoc ideo, quia populum permiserunt cum Madianitis fornicari. O quàm durum *Sap. 6.*
iudicium in his qui præsunt!

Visio de Episcopo repente mortuo & damnato.

DE vno talium, suppresso tamē nomine, quid 4.
actum sit, referente quodam spirituali viro Theutoniæ atque probato, referam. Iuuenis quidam in Theutoniæ partibus ex sanguine principum plenissimè generosus, sed moribus & vita degener, Episcopatum, malè functus, accepit. Qui rapinis & luxurijs verecundè primò: sed inuerecundissimè postmodum operam dedit. Castigauit autem eum Dominus flagello multipli- *Iob 24.*
ci. Sed cùm abuteretur eo in superbiam, dedit eum Dominus in reprobā mortem. Qua in hora venerabilis Conrardus Deo dignus Hildemensis Episcopus ad matutinas intempestæ noctis silentio surrexerat, illisque dictis resedit ad studium, facturus in die sermonem. Nec mora, raptus in spiritu, videre se visus est Episcopum quemdam velata facie, sed infulis insignitum ad tribunal iudicis rapi. Mox adsunt truci vultu satellites, accusant Episcopum: vnus in rapina: alius in cæde hominum: atque alij in luxurijs lubricantem. Tunc iudex assessoribus suis ait: Accusata discutite, librate iudicium, ferte sententiam. Nec mora, assessores parent iudici, ferunt in commune sententiam, iudex approbat latam, accedunt ministri super fuliginem nigriores, qui ablata Mitra de capite, Anulum, Casulam, Dalmaticam, ac reliqua Episcopalia vestimenta detracta, ad pe-

des iu-

des iudicis ponunt, nudumque relictum, cum clamore rapiunt eiulantem, & à facie iudicis trahunt ad Tartara, nihil ſecum, præter peccata, portantem. Mox aſſeſſores iudicis ſurgunt, & cum cantu ſonoro ſubiungunt: Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. His viſis in ſpiritu, dictus Hildemenſis Epiſcopus, reuerſus in ſe, cogitare cœpit, quiſnam fuerit ille miſerabilis præſul, & ecce quidam ad oſtium pulſans intromiſſus eſt, clamans cum lachrymis talem Epiſcopum in proximam villam veniſſe de veſpere & ſub eadem noctis hora repentina morte ſubtractum. Quo audito ſanctus præſul miſerrimo illi defuncto condoluit, & licet inaniter quo ad ſubuentionem, pro pietate tamen lachrymas amariſſimas fudit.

Gal. 6.

Aliud exemplum, & viſio de Archiepiſcopo damnato.

5. CONſimilis in malitia, vt mihi frater altioris ordinis & vitæ retulit, quidam Archiepiſcopus Teuthoniæ fuit, qui infeliciſſima morte defunctus, cuidam ſanctiſſimo in vita viro in viſione oſtenſus eſt tali modo. Vidit quod anima illius cum miro cruciatu à corpore trahebatur, & in inferno principi dæmoniorum in cathedra reſidenti præſentabatur. Quem officioſè ſalutans valde, poculum ante ſe poſitum obtulit venienti, dicens: Bene venias Archipræſul, bene venias. Bibas ecce de poculo meo, quia mihi longo tempore fideliter & infatigabiliter deſeruiſti. Quod quidem Archiepiſcopus acceptare recuſans (conſcius enim erat nihil boni eſſe in poculo) tandem à miniſtris violenter compulſus eſt accipere poculum

Simile refert Cæſarius lib. 12. dial. c. 2. de Lodevvico Lätgrauio.

culum de manu principis, & bibere quod horrebat. Nec mora, per aures & oculos, os, & nares sulphurea flamma surrexit; & sic æternis incendijs est addictus. Ecce qualis finis indignè pastoralem curam suscipientes acceperit, & nihilominus indignè regentes, quàm terribilis vindicta damnauerit. Vide ergo lector, quàm vtile est, non solùm Ecclesiæ, sed & ipsis, concordi suffragio promotionem talium impedire.

De Archiepiscopo repente mortuo qui combustionem Thalmudicorum librorum à S. Ludouico Rege Franciæ sub pœna mortis decretam, impediuerat.

VIdi & ipse alium Archiepiscopum in Galliæ partibus, virum literatum, & nobilem, circa quem talis vindicta nutu Dei contigit. Deuotissimus in principibus Rex Franciæ Ludouicus, anno circiter ab incarnatione Domini, M. CC. XXXIX. instigante fratre Henrico, dicto de Colonia, ordinis Prædicatorum, prædicatore peroptimo, sub pœna mortis congregari fecit Parisijs nefandissimum librum Iudæorum, qui Thalmud dicitur; in quo inauditæ hæreses & blasphemiæ contra Christum, & matrem eius, locis plurimis erant scriptæ. Huius itaque libri diuersa exemplaria ad comburendum Parisios allata sunt. Flentes ergo Iudæi adierunt Archipræsulem, qui regis consiliarius summus erat, & pecuniam ei pro conseruatione librorum innumerabilem obtulerũt. Quâ corruptus, regem adijt, & ad voluntatem suam iuuenilem animum mox inuertit. Redditis ergo libris, Iudæi solemnem diem agi constituunt omni anno: sed in vanum, aliud spi-

ritu Dei ordinante. Reuoluto enim anno, die certo, & ipso loco quo libri execrabiles redditi sunt Iudæis, hoc est in Vicennijs prope Parisios, dictus Archiepiscopus ad consultationem regis veniens, diro viscerum dolore correptus est, & eadem die, cum eiulatu maximo, vitæ finem accepit. Fugit autem rex de loco cum tota familia, * nimium verens, ne cum Archiepisco diuinitus feriretur. Nec multò post, vt prius, instigante dicto fratre Henrico, Iudæorum libri congregati sunt sub mortis pœna, & in maxima multitudine sunt combusti. Nota autem lector, quòd omnes Orientales Iudæi, hæreticos & excommunicatos reputant hos Iudæos, qui contra legem Moysi & Prophetas, hunc librum, qui Thalmud dicitur, recipiunt & conscribunt, & tamen Archipræsul legis Christi talem defendit.

ms.s.duo imp. nimirum.

Quot modis peccent malè eligentes.


7. QVot autem modis peccat & reus est, qui tales prælatos creat, & eligit, duobus versibus dici potest.

Peccat in auctorem, peruertit ius, tribulatur
Pax status Ecclesiæ, pro quo reus hic feriatur.

Peccat in auctorem, Deum, scilicet, vnde per Ezechielem dicitur: Sufficiant vobis scelera vestra domus Israel, eò quod inducitis alienos & incircumcisos corde. Peruertit ius, Ecclesiastes: Vidi seruos in equis, & principes quasi seruos ambulantes in terra. Tribulatur pax status Ecclesiæ. Vnde Salomon in Prouerbijs: Qui mittit lapidem in aceruum Mercurij: ita qui dat insipienti honorem. Pro quo reus hic feriatur, i. qui indignos

Ezec.44. *Eccl.10.* *Prou.26.*

dignos eligit. Vnde per Ezechielem Dominus clamat: Aufer cidarim, tolle coronam. Talibus enim auferendus est omnis honor, & plectendi sunt insuper ira Dei. Ezec.21.



Quòd Prælatus debet esse clemens.

CAPITVLVM QVARTVM.

Constat inter auctores, quòd rex Apum nullum habet aculeum, maiestate tantùm armatus. Sen. l.1. de clem.c.19.



ACVLEVS pro seueritate vel crudelitate ponitur in scripturis. Isto aculeo carebat princeps pastorũ Christus, qui discipulos suos instruens, dixit: Discite à me quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Vbi enim humilitas, ibi & pax: & arma & gladij in via superbi. Maiestate tantùm armatus est Prælatus, dum sola facies eius in oculis bonorum subditorum timori est pariter & amori. 1. Apoc.9. Mat.11. Prou.11.& 22.

Prælatus sit rigidus peruersis, sed moderatè.

VBi verò tales subditi non sunt, contra naturam tandem in corde prælati seueritatis debet aculeus generari: sicut quondam aduersus Saulum recalcitrantem stimulus in ipso fonte bonitatis exortus est: dum eum maiestatis suæ luce 2. Act.9.

Iob 16. cæcatum, potēti virtute proſtrauit. Sed numquid concidit eum vulnere ſuper vulnus? Non. Audi
Act. 9. ergo qualiter aculeus mitigatus eſt: Surge & ingredere ciuitatem. Et ſtatim infra: Et ceciderunt
Ibid. ab oculis eius tanquam ſquamæ, & viſum recepit. Non hoſtiliter, ſed miſericorditer pupugit aculeus. Cæcatus eſt, vt gratiori lumine potiretur: proſtratus, vt ſtabili charitatis affectu infatigabiliter fulciretur. Huius exempli gratia, malle debet quiſque prælatus de nimia pietate, quam remiſſionem dicunt, quàm de ſeueritate nimia iudicari. Medium autem tenere, optimum iudicamus.

De clementia principis ex Seneca.

3. DE clementia verò principis, ad Neronem
Sen. l. 1. de clem. c. 2. Seneca ſcribens ſic ait: Nec promiſcuam, nec vulgarem oportet habere clementiam: quoniam tam omnibus ignoſcere crudelitas eſt, quā nulli. Modum autem tenere debemus. Sed quia difficile eſt temperamentum, quidquid æquo plus futurum eſt, in partem humaniorem præ-
Ibid. c. 5. ponderet. Clementia in quamcunque domum peruenerit, eam felicem, tranquillamque præſtabit. Sed in regia, quò rarior, eò mirabilior. Non decet itaque prælatum ſæua, nec inexora-
Cap. 7. bilis ira. Optimum exemplum prælato conſtituam ad quod formetur: vt ſe talem quilibet exhibeat, qualem ſibi Deum velit. Clementia non
Cap. 11. tantùm honeſtiores, ſed potentiores præſtat, ornamentumque Imperatorum eſt, ſimul & certiſſima ſalus. Placido, tranquilloque regi fi-
Cap. 12. Cap. 13. da ſunt auxilia ſubditorum. Nec poteſt quiſ-


quam

quam habere bonæ ac fidæ voluntatis ministros; quibus iniuriosè tempore pacis vtitur. Hæc clementia principem decet, vt quocumque venerit, mansuetiora omnia faciat. Nullum animal morosius, nullum maiori *humanitate tractandum est, quàm homo, nulli magis parcendum. Iracundissimæ ac pro corporis capacitate pugnacissimæ apes sunt, & aculeos in vulnere relinquunt. Rex ipse sine aculeo est, vt audistis. Noluit illum natura sæuum esse, sed virtute constantem, exemplum hoc magnis regibus ingerens. Errat, si quis existimat tutum ibi esse regem, vbi nihil à rege tutum: sed securitas securitate * paciscenda est. Tantum necesse est vt timeat, quantum timeri voluerit. Vnum est inexpugnabile * iuuamentum, amor ciuium. Cum ciuibus, & ignotis, atque humilibus eò moderatiùs agendum est, quò minoris est afflixisse eos.]

Cap. 16. *Cap. 17.* *or. arte.* *Cap. 19.* *or. addit mutua.* *or. munimentum.* *Cap. 21.*

Exemplum contra nimis seueros prælatos Guiardi Episcopi Cameracensis.

4 VEnerabilis & Deo dignus Guiardus Cameracensis Episcopus, sicut à fratribus ordinis Prædicatorum audiui, cùm in via cōtra Antuerpienses hæreticos, apud Affligeniense monasteriū Brabantiæ, in regulari obseruatione strictissimū, vitam suam fine beatissimo terminasset: in ipso tempore migrationis cuidam fratri Prædicatorum per somnum apparuit in Gandauo. Cui frater: Quomodo, inquit, pater tibi est? Et ille: Mortuus, inquit, sum, debitum commune soluens conditionis humanæ: & ecce ad satis graues transeo pœnas, expurgandus priusquam ad gloriam transfe-



Prælatus fulgeat eloquentia, & puritatem habeat in conscientia.

CAPITVLVM SEXTVM.

Rex apum in fronte macula quadam, quasi quodam diademate, candidatur.

1. 
Zach. 6. ET hoc quidem est, quod Zachariæ prophetæ præcipitur: Sume argentum & aurum, & facies coronam in
Psa. 118. capite Iesu. Quid in argento, nisi eloquia Domini, eloquia casta: & quid in auro, nisi conscientiæ puritas & pretiositas designatur? De his bonus prælatus coronas in capite portat, dum verba veritatis, quæ alijs prædicat, ipse intus in mente gerit, & in opere proximis foris ostendit.

De infulis seu mitris Prælatorum.


2. VEl coronas ad litteram dicere possumus, secundum statuta Ecclesiæ, infulas prælatorum quibus non omnibus, sed ferè solis Episcopis licet vti. Abusiuè tamen quidam Abbates de nouo in magna mole pecuniæ his vtuntur. Abusiuè, inquam, nisi fortè vsum paucorum dierum dixerim, contra iura Ciuilia, quæ vsum temporis non dicunt, nisi * quãtum ætas legitima hominis in octoginta annis plenius approbasset. Certus sum autem, quod istud, nisi in paucissimis & specis-

ms. b.c.ter. imp quam Arg. l. cum habitatio 10. §. 1.

specialissimis quibusdam Galliç monasterijs, vt in monasterio sancti Dionysij, & Cluniacensi, antiquis temporibus non fiebat: quibus tamen hoc tunc propter vitæ eminentiam, specialibus priuilegijs est concessum. Vtuntur & his dignè satis Romanç curiç Cardinales, qui gemina scientia præditi, noui & veteris testamenti, videntur regere totum orbem. Et hoc bina cornua in infulis prætendere comprobantur. Et hæc quidem, in his plerumque, qui de nouo vtuntur illis, locum nequaquam habent. *Vers. Vtrum autem, ff. de vsu & habit.*

Exemplum de quodam Abbate.

CVm verecundia referam hoc quod vidi. Aquiscinctum monasterium est maximum atque ditissimum in Atrebatensi diœcesi constitutum. Huius monasterij Abbas, qui vix prima spiritualis regulæ elementa cognouit, tanta summa pecuniæ cornuum istorum apicem attigit, quòd ecclesiam suam plusquam in decem librarum millibus obligauit. Res fœda nimis, & plena ridiculis. 3.



Quòd Prælato damnabilis est cultus superfluus.
CAPITVLVM SEPTIMVM.

Notabili signo cultus alterius rex præ cæteris non ornatur.



HIc cultus superfluus in prælato damnatur. Vnde magnus ille prælatus beatus Pontifex Augustinus: Purpura, inquit, fortè decet Episcopum, sed nullatenus Augustinum. 1 *Aug. ser. 2. de com. vita cler.*

num. In iconia beatissimi patris Augustini scriptura his versibus legebatur.

Ordo gemmarum designat septuagenus
Ipse quibus praerat septuaginta polos.
Soli pro meritis est tradita tanta potestas.
Nec successit ei pastor honore pari.

Si ergo Augustinum viuentem non decebat ornatus, claustralem qualemcumque magnum, quomodo decebit?

De Abbate irregulariter vestito.

2. HEu iterum cum erubescentia referam grauius, quod vidi. Occurrit mihi in via quidam altioris ordinis Abbas, cum multorum equorum robore atque familia, vt potius Ducem, aut Comitem credidissem, nisi eum in facie cognouissem. Spreuerat in sacerdotibus rotundam communis habitus cappam, & tabardum, quem Gallici canem dicunt, id est, *vlieger*, induerat. Vestes eius ex scarleta forrata vario, duplices, vix genua contingentes. Ocreas habebat in cruribus, quasi eis innatæ essent, sine plica porrectas. Nec aliud defuit, nisi sertum in capite, quod non noui tirocinij militem loqueretur. Proh dolor! Vbi senatus principis Christi in Hierusalem venientis?
Mat.21.
Mat.3. Vbi nobilissimi Ioannis Baptistæ ex pilis hirsutis camelorum zona? Vbi melota, vel cilicium beati Benedicti, aut Hilarionis?

De tri-

De tribus monachis dissolutis, & quantum peccatum habitus depositio.

DIcto quidem de præfato Abbate, qui indutus tabardo, habitum spreuerat monachalem, videamus exemplum, quantæ enormitatis sit atque peccati cuique religioso habitum deponere vel ad horam. Erant in quodam monasterio nigri ordinis tres monachi in omni lasciuia dissoluti: cumque vna dierum seorsum in thalamo ad epulas consedissent, vnus, buccella panis inuersa, subitò strangulatur. Cuius morte, nec verecundiam saltem passi duo residui, derelicto loco eminus, iuxtà prandium perfecerunt, & sic in claustro socijs euentum mortui nunciauerunt, Nec diu postea, dum dicti duo socij, non recogitando quid actum sit, ad balneandum, in fluuium iuxta cœnobium, nudati vestibus, descendissent, vnus ad profundiora digressus, submersus, extractus est & sepultus. Relictus post hæc tertius, cùm vespere dormitum pergens, discalciasset se, monachus qui fuerat submersus, nudus ei apparuit, dicens: Ecce quanta pœna damnatus sum, tu autem quid facias nunc saltem recogita. Ego quidem immundus & lubricus dignè punitus excrucior: sed illud multum ad verecundiam damnationis meæ accumulat, quia sine habitu nudus à dæmonibus irrideor. Tu autem da mihi aliquid in quo signum meæ damnationis ostendam. Hoc autem audiens turbatur monachus, & citò detrahens togam tibiæ femoralem, roganti dedit, & sic defunctus repentè disparuit. Mira res. Vix dies illuxerat, cùm tan- 3.

tus

tus fœtor claustri ambitū occupauit: vt se omnes extingui horrore fœtoris prę angustia conclamarent. Narrante autem monacho quid sibi vespere contigisset, quæsita est vndique dicta toga, quæ tandem inuenta est fœtidior omni cadauere, & super fuliginem denigrata. Qua humo celerius operta, in admirationem conuersi monachi, plorauerunt. Dictus verò socius defuncti ad ordinem fratrum Minorum repente transiuit, & vsque nunc tantæ rei certus testis, & felix viuit.

De ægro monacho habitum deponente.

SImili modo quidam monachus Cisterciensis ordinis in Theutonia, sicut certissima fratris cuiusdam ordinis Prædicatorum relatione didicimus, in acuta febre laborans, & intolerabili ardore æstuans, cùm cucullam sancti habitus exuisset, fragor tantus auditus est, vt subitò domus infirmorum corruisse, ab his, qui iacebant in dormitorio putaretur. Et cùm quidam vir sanctus iuxta positus oraret, & supra modum territus extitisset, apparuit ei dæmon, dicens: Præ indignatione nimia fragorem istum maximum excitaui, quia impediuisti me oratione tua, ne monachum illum habitum Ordinis exuentem, in corpore raperem cruciandum. Nec mora, monachus ille deuotus & sanctus hoc audiens, statim ad ægrotantes ingreditur, inuenit monachum habitum Ordinis exuisse: quem leniter correptū, & habitu reindutum confiteri admonuit. Nec diu post, vt confessus est, & absolutus, creticauit optimè: sed passus posteà recidiuum, in magna deuotione defunctus est.

Qualis

Qualis esse debeat habitus monachorum.

QValis autem seruorum Dei in religione habitus esse debet, beatus Augustinus in regula sua describit, dicens: Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus. Et infrà. Vestes vestras in vnum habeatis, sub vno custode, vel duobus, vel quot sufficere possunt ad eas excutiendas, ne à tinea lædantur. Et sicut pascimini ex vno cellario, sic induamini ex vno vestiario. Si fieri potest, ad vos non pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur, vtrum hoc recipiat vnusquisque, quod deposuerat, an aliud quod alter habuerat: dum tamen vnicuique, prout cuique opus est, non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones & murmura oriuntur, cùm conqueritur aliquis, deterius se accepisse, quàm prius habuerat, & indignum se esse, quòd non ita vestiatur sicut alius frater eius vestiebatur: hinc vos probate quantum vobis desit in illo interiori sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis.] Et beatus Benedictus in regula sua de vestibus præcipit, dicens: Vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem vbi habitant, vel* aëris temperiem dentur. In frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis verò minus. Hæc ergo consideratio penes Abbatem est. Et infrà: De colore autem & pretio monachi non causentur, sed quales inueniri possunt in prouincia vbi habitant, aut quod vilius comparari potest.] Ecce quales vestes, quanta pretij forma determinatur à sancto patre. Quod vilius, inquit, comparari potest.

Nunc

5. *Aug. in regul. c. 15.*

Cap. 23.

Benedic. in reg. c. 55.

or. ms. p. aërum.

Ibid.

Bernard. in apolog. ad Guil. abba. Nunc autem isto tempore, miles pannum & monachus; miles pro pallio, monachus pro cuculla, vel tunica parem partiuntur. Hinc Seneca de moderamine vestis insinuat sic: Omnia, inquit, nostra foris populo conueniant: Nec splendeat toga: nec sordeat quidem. Emas ergo non quod placet, sed quod necesse est. Quæ est virtus superuacua contemnere? immo tunc admireris, cùm necessaria contempseris. Nec hæc sola: sed & discas ipsam vitam contemnere: quia illam nemo bene rexerit, nisi qui contempserit. Quis est pauper? qui sibi videtur diues. Quæ sunt maximæ diuitiæ? non desiderare diuitias. Quis nimium habet? qui minimum cupit. Miror in illis ambire superflua, qui se iactant omnia reliquisse. Paupertatis nomen habere gestiunt, non virtutem. Videri volunt mundum fugere, sed rebus hærent. Væ, væ, etsi vsitatior secularium vel nobilium pompæ: sed væ, væ iterum, atque tertiò væ pompæ inconuenientissimæ monachorum.

Sen. ep. 5. Epist. 91. Epist. 111. Epist. 112. Apud Sen. lib. de morib. & in pro.

De Abbate cælitus reprehenso exemplum.

6. ET hæc quàm perniciosa sit atque damnabilis religiosis atque claustralibus, exemplo manifestissimo declarabo. Vidi Abbatem Cisterciensis ordinis, virum eruditum scientia, atque probatum: hic cùm die quadam aquam manibus sumeret, & manutergium coram eo magnates quidam ex vtraque parte tenerent, facta est vox ad eum huiuscemodi, & hoc Latinis verbis, dicens: Quare pannus ante pannosum? Quod vt venerabilis ille Abbas audiuit, cum timore

more & horrore manutergium repentè dimisit. Pro sericis enim vestibus, coloratis, & mollibus, pannus posset antepositus tolerari. Sed quid faciat indutus vilibus non discerno. Et dignè quidem, bono & perfecto viro, ad reprobandum honorem exhibitum, vocem factam considero: quia soli Deo honor, & gloria; vtpote, qui olim *1.Tim.1.* per Isaiam prophetam clamauerat: Gloriam *Isa. 42.* meam alteri non dabo.

De pompa, & obitu Mariæ comitissæ Campaniæ.

SCio enim, & certus sum, quòd in secularibus *7.* & in nobilibus personis pompa gloriæ secularis notabiliter reprehensa sit & damnata. Prope autem nostra tempora fuit mulier nobilissima, Maria Campaniæ comitissa: hæc nupta nobilissimo Henrico Campaniæ Comiti, filia fuit Lodouici Pij, regis Francorum; Philippi regis soror, æquè regis Francorum. Quatuor fratres reges in Anglia habuit; filium regem in Transmarinis. Hæc multis annis mortuo marito cum pomposissima ambitione circuiens; & moriens, talem finem sortita est. Laborans hæc in extremis, Abbatem Persaniæ, sanctissimum ac eloquentissimum virum, migratura, venire mandauit. Qui vt venit, intromissus non est, & pre foribus expectauit. Iam enim comitissa decesserat, & distrahebantur à militibus, & ministris, & suis omnibus vtensilia; vasa aurea, & argentea, vestes pretiosæ, culcitræque purpureæ, & tandem linteamina ipsa cum peplis. Extremò quidam ex garsio-


garſionibus, mora inſcia retardatus, lectum per cornua comprehendit, & reſupinatum corpus emortuum, eminus in ſtramenta diuoluit. Moras autem Abbate cum tædio ſuſtinente, quidam nobilis ex circumſtantibus indignatus, oſtium violenter infregit, & virum venerabilem intromiſit. Qui cùm introiſſet, & nobile illud corpus nudum in ſtramine reperiſſet, volente quodam ex familia illud ſtraminibus operire, Abbas, exempli prouidus, non ſinebat, ſed libera voce clamabat: O vos omnes, venite, cernite pompam nobiliſſimæ comitiſſæ Mariæ. Videte illud delicatiſſimum corpus, quanto dedecore pudoris deuolutum eſt: videte quid ei pro multiplici honore, & gloria finaliter mundus exſoluit: Ecce quàm ſtricta illi mundus computatione concluſit.

Exhortatio & capitis concluſio.

8 SI ergo honor gloriæ ſecularis in tam nobili perſona damnatus eſt, quid fiet cum monacho, quid fiet cum clerico, qui cum verecundia etiam mundi, ambit glorias ſeculares. Nullius ergo Prælatorum, niſi tantùm hi, quibus Iura concedunt, aliquo corporali ornatu pompæ, vel gloriæ; ſed virtutis exemplaris diademate candidetur.

Apud Gra. d. 100. & extra de auctorit. & vſu pallij per totum.

Quòd



Quòd prælatus eligitur extra gregem propter probitatem, ideo humeris suis habet portare onera suorum subditorum.

CAPITVLVM OCTAVVM.

Hic forma semper egregior est, & duplo cæteris maior.



ANTIQVAM nota, lector, grammaticam: & hoc idem, quod de Saule in libro Regum primo legitur; quòd ab humero, & sursum, super omnem populum eminebat. In humeris onera portare solemus. In humeris bonus pastor Christus peccata nostra pertulit super lignum, vt iustitiæ viuamus: vt qui prius eramus quasi oues errantes, ad ouile aliarum ouium, angelorum scilicet, rediremus. Quid igitur? Si nos quorum capitibus prælati homines imponuntur, inuicem alter alterius onera, secundum Apostolum, portare debemus, vt sic impleamus legem Christi: quantò amplius hoc facturus est, qui personam plurium gerit, & tot habet portare onera, quot habet regere capita: & totiens sufferre singulorum importunitates, quotiens variauerint voluntates. Bina ergo caritate, quæ forma virtutum est, semper erit egregior, & duplo cæteris in virtutibus maior. Paruum quidem, vt vulgo dicitur, parua decent, & magnum magna. Et licet omnes ma-

1. 1. Reg. 9. 1. Pet. 2. Ibid. Gal. 6.

gna, quia magni vocamur; maiores tamen maiora decent. Maiorum enim facta ad exempla ponuntur. Et licet tutela tutiſſima ex proximo ſit, & ſibi quiſque commiſſus ſit:tamen propriè maiorum eſt inſtituere & prouocare minores.

De Mauritio archiepiſcopo Rothomag.

2. Cap. 1. p. 4. HInc de illo venerabili Mauricio, de quo ſuprà retulimus, Cenomanenſi Epiſcopo, poſtea Archiepiſcopo Rothomagenſi; domino Roberto, quondam Abbate Bleſenſi narrante, cognoui. Inſtante hyeme, ipſimet Roberto, tunc dicti Archiepiſcopi capellano, pellicium à diſpēſatore domus emptum eſt, & oblatum. Cumque ipſe Robertus vir ſenex & debilis, aliud pellicium leuius, & ex ſubtilioribus pellibus poſtularet: Archiepiſcopus, ſine, inquit, ſine me videre pellicium, quod reſpuit nimis groſſum. Quod mox vt manibus contrectauit; vade, inquit, & domino Roberto ſubtilius emas: iſtud verò mihi loco * pennæ ſub ſcortocio meo ponas. Hoc autem dominus Robertus audiens, multùm erubuit; quòd ipſe capellanus pro pellicio portare noluerit, quod Archiepiſcopo, domino ſuo, pro ſupertunicalis forratura ſuffecit. Et mirum valde in ipſo Archiepiſcopo videri potuit, quòd ſibi tam parcus, & pauperibus tam largus fuit. Vix enim cum patientia potuit videre, quòd in vna die, in tota familia ſua libras tres aut quatuor procuratores expenderent, & tamen eius eleëmoſynarius omni die libras decem aut duodecim in pauperes expendebat. Sed & mirabilius viſum eſt, quòd tria paria corrigiarum in vnum par calcarium;

* pœna.

rium; & in ferro vnius freni, quinque lora vel quatuor consumebat. Vestes verò frequenter mutabat, quas senibus sacerdotibus, vel clericis pauperibus tribuebat. Dicebat autem œconomis, cùm annuos redditus suæ diœcesis ad duodecim librarum millia computarent, duo aut tria millia ad strictissimum victum nostræ familiæ conseruetis: in reliquis omnibus nihil habeo. Pauperum enim sunt, & in pauperes dispensate. Illis autem quæ mihi manent dispensatoris vtar loco, non domini: ne in die iudicij sugillent me, & qui vnum pro mille respondere non possum, quasi seruus inutilis obmutescam, dum à me, sub iusto iudice Christo, computatio strictissima requiratur. *Iob 9.* *Mat. 22. & 25.*

Exhortatio ad malos prælatos.

Eia nunc Prælati, vos præsules, vos cornuti, qui testibus gemmatis anulis, in fide desponsastis Ecclesiam; cuius dotem, cuius bona, vtinam non peius quàm prodigè dissipetis. Ditatis diuites, indignos extollitis, & familiam sponsæ, quin potius membra, pauperes non curatis, immo certè deprimitis. Certus sum, & verè certus, quòd sponsa vestra libenter interpellaret sub calo iudicem si haberet, & libenter à vobis separaretur diuortio, qui vos ab eius contubernio facitis alienos. Veniet certè dies, cùm iustum iudicem Christum, non tantùm læto, sed audaci vultu aduersum vos interpellabit Ecclesia, & secundum Isaiam: Incuruabitur omnis altitudo virorum, subaudias prælatorum: Et exaltabitur dominus solus. Tunc vestram pompam, vestramque superbiam in confusione pessundabit, & quantum glori- 3. *Isa. 5.* *Apoc. 18.*

glorificastis vos in delicijs, tantum dabitur vobis tormentum & luctus.

Conclusio. Mat. 24. QVæ si velis euadere tu prælate, & cum Mauritio sponsus ecclesiæ recognosci: esto fidelis seruus & prudens, & non tantùm sicut vnus ex bonis subditis: sed forma semper egregior sis, & duplo cæteris maior.



Prælatus non conqueratur si alas habuerit breuiores.

CAPITVLVM NONVM.

Alæ eius breuiores sunt.



1. Luc. 10. VID mirum? Martha satagebat circa frequens ministerium, & ideo querulosa circuit; nec potest cum Maria domi sedere, & obseruare pedes Iesu ad vacandum &
Psa. 33. videndum quàm suauis est dominus. Ideo Dauid
Psa. 54. pluribus intentus, optat pennas sibi dari sicut co-
Psa. 83. lumbæ: vt à terrenis euolans in contemplatione, videre posit Deum deorum in Sion. Non causetur autem prælatus, nec conqueratur, si alas breuiores habuerit. Sequitur enim in textu, quòd *perfectorum formam suscipit*: quia qui bene præ-
1. Tim. 5. sunt, secundum Apostolum, duplici honore digni habentur: vt in benedictionibus gloriantes, pinguedinem terræ, per præsentem gratiam: rorem
Gen. 27. cæli in refrigerijs æternorum fratres Domini recipiant constituti.

De Con-

De Conrardo abbate Villariensi actiuam & contemplatiuam vitam ducente.

VIdimus venerabilem Conrardum, virum nobilissimum, primò abbatem Villariensem, postea Cisterciensem, demum Romanæ curiæ Episcopum Cardinalem: qui licet in administratione prælationis suæ mirabili sagacitate vigeret: nihilominus tamen deditus erat contemplationi diuinæ quotiescunque sibi soli vacare poterat. In tanto enim moderamine rerum, animum spiritui seruire coëgerat; vt nunc ad libitum causis secularibus: nunc spiritualibus omnino deditum, ex hoc in hoc liberè transiens, inclinaret. 2.

Miraculum de digitis eius.

DE hoc viro excellentissimo, quiddam dictu mirabile ab abbate Villariensi Guillelmo, probatissima veritate cognoui; quòd digiti manuum eius, quos in cõsecrationem corporis Christi extendebat, ad studium & inspectionem litterarum, vel librorum, nocte instar candelarum, in tenebris relucebant. 3.

Quomodò Parisijs fratres Prædicatores visitauit, & ad quid institutus sit ordo Prædicatorum.

HIc cùm legatus in Alemanniam, vnde nobilissimè natus erat, à sede Apostolica mitteretur, venit Parisios. Et videns fratres ordinis Prædicatorum, qui de nouo illuc aduenerant, visitauit 4.

ſitauit eos. Dubium autem quid gerens de eis in corde, orauit Dominum, vt ſibi, ad quid Ordo iſte veniſſet, oſtendere dignaretur. Nec mora, oblato & aperto libro, ad quid Prædicatorum ordo veniſſet reſponſum eſt cogitationi eius: laudare ſcilicet, benedicere, & prædicare. Qui ſtatim effuſus in laudem Chriſti, coram omnibus dixit. Licet alterius profeſſionis ſim habitu; frater tamen veſter ero quamdiu ſubſiſtam in vita, nec vlla vnquam à vobis aduerſitate diuellar.

Ratio nominis ordinis Prædicatorum.

5. ET hinc quidem nacta occaſione, videndum eſt, Prædicatorum ordo qualiter tali nomine ſit vocatus. Cùm enim Ordo confirmari ab Apoſtolico debuiſſet, præcepit notario, vt in inſcriptione ordinis fratres Prædicantes poneret. Qui ordinans litteram confirmationis, fratres Prædicatores poſuit recto modo. Littera ergo inſpecta, Apoſtolicus dixit notario, vt quid, ſecundum quod tibi dixeram, non poſuiſti fratres Prædicantes, ſed Prædicatores ponere voluiſti? Tunc ille conſtanti vultu reſpondit: Prædicãtes, inquit, nomen eſt adiectiuum, licet à participio ſubſtantiuari poſſe concedatur, & eſt commune nomen in actu: Prædicatores verò nomen eſt propriè ſubſtantiuum, & eſt nomen verbale ſimul & perſonale, in quo nomen officij manifeſtiſſimè declaratur. Vide ergo, lector, quàm veridicè notarius ad obiecta reſponderit. Prædicans enim nunquam ſignificat rem ſuam, niſi per modum actus. Prædicator verò ſignificat rem ſuam per modum habitus, licet non ſit ſemper in actu; & ideo

ideo debuit poni congruè Prædicator. Consentiente ergo domino Apostolico euidentissimæ rationi, Ordo intitulatus est nomine Prædicatorum, & inter Cardinales solemniter confirmatus.

De presbytero parochiali contra Prædicatores murmurante.

PRoinde dictus Cardinalis postea verbum memorabile respondisse fertur cuidam in 4.
Colonia sacerdoti. Illo enim in Synodo præsidenti, quidam sacerdos parochialis conquestus est, dicens: Ecce fratres ordinis Prædicatorum, qui in damnum nostrum Coloniam intrauerunt, falcem mittunt in messem alienam: subditorum nostrorum confessiones audiunt; & per hoc in fauorem homines sibi attrahunt. Cui mox Conrardus legatus respondit, Quis est numerus hominum in parochia tibi subditorum? Et ille, nouem millia, inquit. Tunc consignans se cruce Legatus, dixit: Quis es tu miserrime, qui tot milibus solus sufficis debitam gubernationis curam impendere? Nescis hominum perditissime, quia in illo debes tremēdo iudicio ante tribunal Christi de his omnibus respondere. Et tu, si tales habes vicarios querularis, qui onus tuum gratis releuent, sub cuius pondere nescius conquassaris? Quia igitur ex hac querela indignum te cura omnimodè iudicasti, ideo priuo te omni beneficio pastorali.

Publicatio priuilegiorum ordinis Prædicatorum.


7. HOc facto publicauit auctoritatem, qua à sede Apostolica fratribus ordinis Prædicatorum specialibus priuilegijs prædicare populis, & confessiones audire, per sanctissimos patres dominum Innocentium tertium, dominum Honorium tertium, dominum Gregorium nonum, commissum sit & iniunctum. Sanè tamen in hac auctoritate collata subaudiendum est; quòd Prou. 27. quia pastores debent vultum sui pecoris agnoscere, nullus ad confessionem talem recipiat, qui se subtrahere nititur, ne suus eum pastor agnoscat.

Visio ostendens Sanctorum pro nobis intercessionem.

8 DE isto etiam venerabili Conrardo indubitabili fide suscepimus, quia cùm existens in partibus Brabantiæ tumulum beatæ mulieris Mariæ de Oignies sedulus visitaret, intempestæ noctis silentio, cùm oraret, vidit in spiritu, ipsam Dei famulam flexis genibus pro se Dominum exorantem, & post orationem, eius labores & solicitudinem dulciter consolantem.

Conclusio. HVius ergo alæ contemplationis, & inter diuersarum curarum negocia extentę fuerunt ad Dominum, & formam perfectorum ex adiecto suscepit.


Quòd



Quòd Prælatus debet suis subditis hilarem faciem præstare.

CAPITVLVM DECIMVM.

Dum procedunt apes, in medio rex earum est.



ACEPHALVM, hoc est sine capite, conuentum esse non decet. Stetit Iesus in medio discipulorum suorum, & ait illis; Pax vobis. Idem si Prælatus faciat, pax* vera sequitur in subiectis. Ideo in textu sequitur. *Et se vnaquaeque regi proximam esse cupit.* Non veræ oues sunt, quæ pastorem fugiunt. Christus enim dicit: Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me. Si ergo verè religiosus es, agnosce pastorem, prælatum sequere, non fugias quasi lupum. Si fugis, signum est ingratitudinis, signum alienationis, signum diffidentiæ atque discordiæ. In libro Regum primo, Nabal, etsi stultus, pro malo tamen habuit, quòd increuissent serui, qui fugissent dominos suos.

1. *Subditi à prælatis nō sint alieni.* *Luc. 24.* *Ioa. 20.* *ms. p. s. re- uera.* *Ioan. 10.* *1. Reg. 25.*

Prælati subditis suis sint mansueti.

SEd & væ maioribus, si subditis occasionem fugiendi præbuerint. Hinc Seneca dicit quales se debent exhibere seruis suis domini; vel subditis prælati: Sic, inquit, cum inferiore viuas, quem-

2. *Sen. ep. 47.*

quemadmodum tecum ſuperiorem velis viuere. Quotiens tibi in mentem venerit, quantum tibi in ſeruum liceat, veniat & in mentem, tantumdem in te domino tuo licere. Quidam cœnent tecum quia digni ſunt; quidam vt ſint. Si quid enim in illis ex ſordida conuerſatione ſeruile eſt, honeſtus conuictus excutiet. Non eſt quòd amicum tantùm in foro, & in curia quæras, ſi diligenter attenderis, & domi inuenies. Viue cum ſubdito clementer, comitem quoque, & in ſermone illum admitte, & in conſilio & conuictu; ſæpe enim bona materia ceſſat ſine artifice. Tenta & experire. Seruis tuis hilarem te præſtes, & ſubditis non ſuperbè ſuperiorem: colant te potiùs, quàm timeant. Non poteſt quiſquam bene regere, qui ſe tantùm intuetur, qui omnia ad vtilitates ſuas conuertit. Alteri viuas oportet, ſi tibi viuere vis.] Si paci, ſi tranquillitati ſtudere vis, ſocium te exhibeas, nec oſtentes vt dominum.

Epiſt. 48.

De bona vita Genta abbatiſſæ Vallis Floridæ.


3. VIdi abbatiſſam Ciſtercienſis ordinis in partibus Brabantiæ, in monaſterio quod Vallis Florida nuncupatur. Hæc mulier Genta nomine, primò monialis nigri ordinis fuit: hæc nobilis genere, ſed nobilior virtute; pulcra facie, ſed mente decentior. De hac femina veritate teſtatiſſima referebant; quia cùm annis fere triginta monaſterio præfuiſſet, nunquam pro cibo vel potu extra conuentum quinque ſolidos expendiſſet. Lectus ei in dormitorio communis erat, refectorium in conuentu. Si hora prandij feſſa itinere aforis adueniſſet, conuentum intrabat, & ſocias moniales

Floriual, non procul Louanio.

ad infirmariam mittebat. Si moniales suas ad solatium educebat, in medio omnium considebat; & aliquid de Deo, vel de scripturis, vel etiam de moribus proponebat. Affectus verò monialium talis erat circa eam, vt vix possent eius visione & colloquio satiari. Hæc ante mortem per longum tempus elanguit, vt breui compendio in hoc corpore totaliter purgaretur. Cùm autem ego ipse languidam visitarem; eam super statu suo secretius requisiui. Quæ humiliter respondens, dixit: Noueris charissime intima cordis mei in pace locata per gratiam Dei; & animam meam in omni tranquillitate spiritus venientem dominum præstolari. Nec frustrabor, vt spero, de eius misericordissima pietate, desiderata eius facie, solutis carnis vinculis, satiari, qua me interdum viuentem dignatus est consolari. Hæc dicens, de lectulo prout potuit exsurrexit, & videntibus monialibus, quæ ei sedulæ ministrabant, locum ante fenestram cui incumbebat, digito demonstrauit, & ait: Hîc coram nobis omnibus, quæ astamus, tribus noctibus lucidissimi splendoris globus apparuit, & per maximum noctis spacium immobilis perdurauit. Cui ego, nescio quid respondens, præsagium futuri minimè dubitaui. Nec mora, cùm vale dicto omnibus recessissem, audiui non multò post, beatam mulierem ab hoc seculo ad Dominum transmigrasse, globumque lucidissimum ignis, eius transitum præcessisse quò foret claritate siderea illico migratura.

Sit ergo prælatus apum fideliū semper in medio, paratus omnibus; & tunc vnusquisque se proximum esse cupit, & vide quàm aptè textus prosequitur. *Conclusio.*

Quòd



Quòd bonus subditus non tantùm bonum operatur in præsentia Prælati.

CAPITVLVM VNDECIMVM.

Et in officio illius omnes conspici se gaudent.

1 VID mirum? Bonus subditus, & fidelis Christo, Domino omnium, non seruit ad oculum: sed tantò libentius & gratius quod bonum est operatur, quò prælatum semper præsentem respicit, & meminit congaudentem.

Prælati non agant imperiosè.

2. *Iudith 3.* IN libro Iudith, Syri & Libij dixerunt Holoferni: Veni nobis pacificus dominus, & vtere seruitio nostro sicut placuerit tibi. Nihil enim grauius, quàm seruire ingratis, & importunum semper dominum insistere seruienti. Olim
Gen. 10. Nemroth robustus venator exercére tyrannidem inchoauit, & in perditis sine lege hominibus perseuerauit insania. Nunc autem in lege Christi, in lege inquam gratiæ atque clementiæ, crudelitas finem accepisse debebat. Et ecce contumacior pullulat, quàm vnquam antè, eoque periculosius, quò magis grassatur interius. Sæuum enim vulnus in scapulis, sed intolerabiliter viscera dolent: nec sine vitæ periculo vulnera patiuntur,

tiuntur. Sic in secularibus quidem persecutio duta * perpetitur; sed in claustralibus sine vitæ dispendio, & graui iactura virtutum, non exercetur † tyrannidis vllo modo. Et vide quare. Secularis quis patitur à maiore; sed cùm voluerit locum mutat. Claustralis verò per prælatum passus iniuriam fugere nequaquam potest, sed quasi obicem oportet in ostio semper ęmulum habere pręsentem: nec restat aliud, nisi solum Deum inuocare precibus adiutorem. Sed heu! non omnium posse, non omnium virtus hæc: mole grauaminum suffocati conentur tamen necesse est. Non deerit qui manum porrigat pius Christus, succurrent angeli, protegent & sancti eius.

ms.b.perpetratur. *Vtitur nominatiuo tyrannidis, vt infrà necis.*


De confortatione cuiusdam canonici regularis à Prælatis vexati.

NOui secretius canonicum in ordine Regulari, qui assiduè orationibus & meditationibus deditus, & ordinis sui scrupulosissimus obseruator, vix poterat prælatos suos erga se aliquatenus mitigare. Econtra obsequiosus, & deuotus in omnibus tentabat euincere in bono malitiam; sed non poterat. Vespere ergo quodam, super id quòd ferre poterat tribulatus, lachrymas amarissimas fudit ad exorandum sanctos Martyres, quorum dies solemnis instabat, Mauricium scilicet, sociosque eius, vt eorum mereretur consolari precibus, & iuuari. Nec mora, vbi post longas vigilias intrauit cubiculum, vix somno leuissimo releuatus, audiuit choros angelorum cantantium in sublimi: Gaudent in cælis animæ sanctorum, qui 3.

Rom. 12.

Antiphona de martyribus. qui Christi vestigia sunt secuti, & quia pro eius amore sanguinē suum fuderunt, ideo cum Christo regnant in æternum. Dixit autem mihi, quòd descensus notularum in ipso cantu, quos Gallicè *auallées* dicimus, tantæ melodiæ ac dulcedinis existebant; quòd nisi Deus aliter ordinasset, ferè eius animam extra corpus sine reditu rapuissent. At quoniam illo in tempore grauissima infirmitate detentus erat, in sola delectatione ipsius cantus, & corpore & spiritu ita integrè sospitatus est, vt vix eum postea vlla perturbatio, quantumcumque magna lædere potuisset.


Conclusio. SIs ergo sedulus erga qualemcumque prælatum, & maximè si bonus est, & recto animo senseris congaudentem, & in officio eius conspici te gaudeas.



Subditi orent pro vita Prælatorum.

CAPITVLVM DVODECIMVM.

Cùm autem rex procedit, vnà est totum agmen, & circa eum globatur, cingitque eum ac protegit.

1. N his notatur quàm sollicitos esse oporteat subditos erga prælatum, vt foris ad negotia procedentem cum compassione & motu cordis, etsi non corporis, comitentur, & in omni necessitate deuotis eum precibus tueantur. Sic Dauid, & Iudam,

dam, cæterosque reges, duces, ac iudices Israel, 1. Reg. 4. &
bella populi prælιantes, sacerdotes Domini lacry- 7.
mis & orationibus adiuuabant. Sic Moyses, sacerdotum personam gerẽs, principes populi Dei
pugnantes contra Amalech, in eleuatione ma- Exod. 17.
nuum protegebat. Sic Machabæus suscepit po- 1. Mac. 3.
puli principatum, & adiuuabant eum fratres sui.

De paupere à seruis Comitis Campaniæ neglecto, qui ideo orare non potuit, cum magno damno Domini sui.

REfertur de nobilissimo quodam Comite 1.
Campaniæ, qui in remotis orbis partibus recessurus, virum quemdam pauperem, & languidum, atque deuotum, quem diu eleëmosynis pauerat, suppliciter exorauit, vt pro se quotidie rogaret Dominum, vt eum sanum, & sine periculo euntem duceret, ac reduceret redeuntem. Cui pauper. Sine diligenti, inquit, sustentatione corporis orare non possum, cùm sim exinanitus cerebro, corde debilis, & viribus penitus destitutus. Mox Comes, duobus dispensatoribus, quos in domus suę custodiam relinquebat, præcepit, dicens: Languidum istum cibis, & omnibus corpori necessarijs diligentissimè procurate. Quod illi promiserunt se facturos; & sic Comes profectus est. Et primùm quidem, per dies quindecim dispensatores illius pauperis recordati, eidem necessaria ministrauerunt: deinde minus ac minus, ad vltimum ipsius penitus obliti sunt. Quid plura? Neglectus pauper, orare cessauit. Comes autem in via non modicè tribulatus, post moram multam ad patriam est reuersus. Nec mora, recordatus

datus pauperis, quærit an viuus sit vel defunctus; quem adhuc viuum intelligens, visitauit, dicens: Mortuum te putabam charissime, iuxta solitum orationum tuarum suffragia non expertus. Exceptis enim quindecim diebus, aut non multò plus, postquam iter arripui, vsque in diem, qua ad propria sum reuersus, nunquam mihi tribulationes & angustiæ defuerunt. Mox igitur pauper obortis lachrymis, ait: Quando tua beneficia cessauerunt à me, adiutorium diuinum cessauit à te. Et Comes * priorum oblitus: Qualia, inquit, in te mea defuere beneficia? Cui pauper: Recedens hinc, inquit, duobus domus tuæ dispensatoribus præcepisti, vt me debilem in omnibus necessarijs procurarent, quod parum plusquam diebus quindecim impleuerunt: ego autem viribus destitutus, ad mortem ferè deductus sum, & sic orare pro te non potui.


ms. p. 5. c. 2. imp. posteriorum.

De punitione eorumdem seruorum.

3. STupefactus ergo Comes dictos dispensatores præcepit aduocari, & eis coram omnibus dixit. O cunctis seruientibus nequiores, qui contra præceptum meum nequissimè bonis meis pepercistis; & pauperem hunc, quem patronum salutis & pacis meæ frequenter expertus fueram, non pauistis: & nunc frustratus orationum eius suffragijs, pericula & tribulationes inueni, quales nunquam ante in vita mea sustinui: quas quidem, vt certus sum, euitassem, si pauperis suffragium habuissem. Vos ergo reos periculorum meorum bonis omnibus priuo, & exules à terra mea constituo. Depulsi igitur à terra Campaniæ, exules per triennium extiterunt; inde per interuentum nobilium

bilium in conſpectu Comitis ſunt admiſſi. Quibus ille ait: Nullam prorſus aliam gratiam vobis exhibebo, niſi quam vobis dominus Papa, veritate narrata, dare cenſuerit. Quod mox illi cum inſperato gaudio rapientes, cum litteris ſecretum Comitis continentibus, quia eos nō exheredare, ſed pro culpis vexare volebat, ad ſummū Pontificem peruenerunt. Cui relata cauſa aduentus ſui, litteras Papæ in hanc ſententiam Comiti retulerunt: quòd quilibet nummum aureum Comiti ſolueret, & ſic adepti gratiam, facultatibus redderentur. Tunc Comes: Latitudinē, inquit, nummi, & ſpiſsitudinem eius ab ore Pontificis volo ſcire, & ſic vos ad gratiam, quam mandauit, admittam. Denuo ergo reuerſi ſatellites, domino Papæ reſponſum Comitis oſtenderunt. Mox Papa conſcius quid reſponderet, reſcripſit Comiti, debere nummum aureum habere latitudinem terræ, & ſpiſsitudinem eius extendi vſque ad altitudinem cæli: eò quòd oratio iuſti, qua Comitem fruſtrauerunt, cælos penetret, & virtus eius corroboret vniuerſa. Ad hoc mandatum, Comes ſatellitibus ait: Videte miſertimi, quid mihi dominus Papa reſcripſit, hunc nummum aureum exoluere quis ſufficiet? Videte quanta vos pœna dignos exiſtimet, qui vos debitores tantæ ſolutionis addixit, quam nec totus mundus ſoluere præualeret. Hinc ergo tertiò redeatis ad papam, & abſolutionis veſtræ litteras pro culpa, qua in me peccaſtis enormiter, apportate: & ſic pœnis ſufficienter exactis, liberi ad propria redeatis. Sic inclytus Comes ille, & in ſeruis quòd deliquêre puniuit, & alijs poſt futuris, dignam orationis fiduciam dereliquit. *Eccli. 35.*


Conclusio. DIſcant ergo apes fidelium, ſubditi ſcilicet, prælatum ſuum foris ad negocia procedentem precibus tueri, & cordis compaſſione iuuare.



Subditi non perturbent contemplationem Prælatorum.

CAPITVLVM XIII.

Si qua alam regis, tranſiens iuxta, deſtruxerit, non effugiet agmen, ſupple, quin vindicet.

1. LAM contemplationem, vel ſpiritualem vitam intelligo. Hanc ſi quis ſubditorum in Prælato non debita, vel indiſcreta fatigatione turbauerit, aliorum debet indignationem grauiſſimam experiri. Vnde non incongruè Spiritus ſanctus in Canticis admonet, dicens: Adiuro vos filiæ Hie-
Can.2.& 3. ruſalem per capreas, ceruoſque camporum; ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectā quoadvſque ipſa velit. Et Dominus ipſe Chriſtus primitiuæ Eccleſiæ prælatis ad conſolationem dixit:
Ioan.16. In mundo preſſuram habebitis: in me autem pacem. Hanc in Prælato foueas, hanc exoptes; quia
Ier.29. in pace eius erit pax tua.

Cui caput infirmum, cetera membra dolent.

De

De Abbate S. Matthiæ Treuerensi à contemplatione retracto.

VNum de prælatis vidimus, quem malo suo 11
à vita contemplatiua, à suis subditis nouimus excitatum. Abbas monasterij sancti Matthiæ Treuerensis, vir nobilis, & stirpis regiæ, patrem & fratrem duces illustres habuit, hic ab adolescentia sua in omni puritate innocentis & contẽplatiuæ vitæ fuerat educatus. Electus ergo à suis omnibus in abbatem, annis pluribus adeo deditus fuit actibus spiritualibus, & monastici ordinis disciplinis, vt cum difficultate non modica, & nisi maioribus vrgẽtibus causis, ab ambitu claustri poterat euocari. Quod vtique vidit, & inuidit diabolus, & suos officiatos hostiliter instigauit, vt quasi importunis impulsibus, Abbatem ab ipso secreto vitæ cælestis deturbarent. Quod ille quidem in primis grauiter pertulit, sed paulatim exterioris vitæ delectamentis illectus, totas tandem terrenis actibus manus dedit. Ipse tamen adhuc honestate seruata, & spirituales diligit, & virtutis decus in alijs benedicit.


Admonitio de eadem re.

QVod vtique, etsi bonum in alio est, melius 3.
tamen & optimum sibi, & suis; tam in temporalibus, quàm in spiritualibus extitisset, si gratioris vitæ primordia tenuisset. Et hoc quidem, qui sedebat in throno, contra Ephesiorum *Apoc.* 2.
Episcopum habuit, quòd fidem primam irritam fecit, & prima opera dereliquit. Quamobrem

prima eum opera facere hortatur: alioquin se citò venturum, & candelabrum eius amouere minatur. Porrò etsi vnum est necessarium, & optimam partem quis contemplatiuus elegerit: nunquam tamen, procurante Deo, vacantibus sibi, & suos obseruantibus pedes, rei familiaris necessitas auferetur. Quinimo persæpe conspeximus, quòd hi, qui sub specie venantium prospera, in curribus & in equis curias frequentant Principum, infinitas copias dissiparunt inaniter, & nihil secum præter peccata, & amarissimarum remorsionum stimulos reportauerunt.

Luc. 10.

Conclusio. IN Prælato ergo alam contemplationis non destruas, ne, etsi hîc effugias agmen apum, angelorum agmina, ad vindictam, pro iniuria summi principis, non euadas.



Prælatus subditis viam exemplaris vitæ ostendat.

CAPITVLVM XIV.

Migraturo agmine, nullæ è domibus audent exire, nisi rex primò fuerit egressus, & volatus sui vendicauerit principatum.



1 *Num. 10. Ios. 3. Tob. 11.*

VNDE in libro Numeri, & libro Iosue, sacerdotes, qui portabant arcam fœderis Domini, præcedebant. Tobias etiam familiam suam præcedebat, & Dominus de Scribis & Pharisæis dicit, quòd imponunt humeris homi-

hominum onera grauia & importabilia, digito *Mat. 23.*
autem suo nolunt ea mouere. Qui sunt limites domus apum, nisi termini monasticæ regulæ, quam vnusquisque in sua vocatione professus est, quos Patres nostri singuli statuerunt? Hos exire, hos prætergredi nullus audeat subditorum, vt *sibi *ms. p. 2.* per se supererogationis regulas ordinare præsumat, *imp. scilicet.* nisi primò prælatum viderit arctioris & altioris viæ vendicare volatus. Non est enim discipulus *Mat. 10.* super magistrum, nec seruus maior domino suo. Maiorum est regulas ponere, ordinare statuta: minorum verò ac subditorum est, secundum regulam viuere, & statuta seruare. Nulli tamen maiorum licet graue aliquid ac difficile per se, quod stabilimentum obtineat, ordinare, nisi per consensum subditorum, qui ad alia non tenentur, nec obligari possunt in aliquo, nisi ad illa quæ tempore conuersionis statuta per regulas inuenerunt. Maiorum tamen est, si quid minus fit, & statutum est in obseruantia regulari, supererogationis opera facere: in se prius supplere quod parum est, & sic ad melius subditos prouocare.

Exemplum de quodam optima vita pastore.

TAlium quosdam prælatorum & in claustris vidimus, & in seculo experti sumus. Dilectum valde socium in scholis habui, coæuum ferè, & propè parilium studiorum. Hic à puero vsque ad finem vitæ à mulieribus incommixtus omnino semper fuit. In adolescentia sacerdos factus, in Brabantiæ partibus regimen suscepit animarum, quibus tam diligenti, tamque sincera cura præfuit: vt quos in bonum vincere admonitio- 2.

ne non potuit, multimodis prouocare studebat exemplis. Alijs comedentibus, ieiunus ipse manebat, alijs dormientibus vigilabat, atque alijs intentis aliàs, ipse orationibus incumbebat. Quidquid verò in vsus suos deputatum erat, commune pauperibus faciebat. Si quam ex ouibus oberrare videbat, importunè, & opportunè ad reuocandum instabat. Hæc foris, præter illa, quæ intrinsecus maiora latebant. Talibus actibus viginti ferme annis cunctis imitandus * emicuit. Cùm autem Altissimo placuit, tali fine defunctus est. Febre acutissima per dies aliquot laborauit: & ecce, vbi sacramentis salutaribus præmunitus est, & attenuato spiritu animam felicem emisit, mox sine vllo interstitio coruscatio * tanti luminis resplenduit, vt per vnam leucam circumquaque, & eò amplius, quasi dies esset clarissima, in lucem subitam noctis tenebræ verterentur. Quid mirum? Illum sine luce recedere non decuit, qui multis illustratis vitæ exemplo altioris, volatus primos feliciter vendicauit. Facta est autem in morte beati viri dicta coruscatio lucis, diffusa per patriam, prima hora noctis, plurimis adhuc vigilantibus: & ipsum lumen emissum multa milia hominum vndecumque viderunt, qui ad maioris & gratioris agnitionis, & veritatis lucem, in tanti visione miraculi profecerunt.


2. Tim. 4.

ms. s. b. c. e. g. ter. imp. enituit.

ms. p. s. e. g. tanta.

Conclusio. BEatus ergo ille Prælatus, qui subditis suis viam vitæ exemplaris ostenderit, & volatus altioris exercitij vendicauerit principatum.

Prælatus



Prelatus subditorum opera inspiciat, & eos exhortatione, & quandoque etiam manibus adiuuet.

CAPITVLVM XV.

Reliquo tempore cum * apibus in labore est. Ipse autem operantes circuit, & solus immunis est ab opere. *ms. s. populis.*

PAVLVS tamen supplebat ea, quæ sibi deerant, & his qui secum erant, proprijs manibus laborando. Hoc tamen non ex necessitate, sed ex gratia faciebat. Suffecisset * enim labor eius, quem habebat in studio prædicationis, & sollicitudine omnium ecclesiarum. Non enim secundum discretissimum Augustinum, putandus est otiosus, qui verbo Dei studet: ita nec qui præest in sollicitudine. Illis autem, quos oportet esse subiectos, ex otij periculo corporis labor incumbit, vt labor manuum: cordis autem, vt psallere, vel legere: vel vtrumque, temporibus constitutis. His ergo vt acrius præinstent, sollicitè adhibenda est exhortatio prælatorum: & quandoque, si locus est, manus corporis adhibenda, ne onera grauia & importabilia subditis videantur imponere, digito autem suo nolint ea mouere. Vnde modernus nostri temporis ille Poëta in persona Alexandri regis dixisse legitur.


Act. 20. *ms. p. ei.* *2. Cor. 11.* *Glos. ordin. ad vers. ps. 118. defecerunt ocu li mei, ex Aug.* *Matt. 23.* *Philip. Galther. l. 4. Alexand.*

Si quando dixero forti
I prior, i, sed in arma veni præcedere nisus,
Tunc demum socios sum dignus habere sequaces.

Exemplum de opere manuum B. Augustini, & VValteri Episcopi Tornacensis.

3. LEgimus in libro contra Academicos beatum Augustinum quandoque discipulos manibus proprijs laborando, ad opera prouocasse, & exemplum tantum posteris reliquisse. Audiui & vidi de illo venerabili, & Deo digno magistro Waltero de Marcuis, Tornacensi Episcopo, quòd vix vnquam ociosus, dum domi sedens viueret, apparebat: aut enim meditabatur, aut legebat, aut confessionibus audiendis incumbebat: aut causis discernendis intentus, lites hominum dirimebat. Horum si aliquid exercere tæderet, proprijs manibus laborabat.

Conclusio. TVum est ergo prælate, diligenter subditos inspicere, videre opera, singulos exhortari.



Prælatus innocentiæ suæ custodes, fideles semper secum subditos habeat.

CAPITVLVM XVI.

Circa eum satellites quidam sunt assidui custodes auctoritatis eius.

1. SOLVM enim, vbicumque sit, non decet esse prælatum, nec sine testimonio quidquam agere: ne cum Ioseph, etsi innocens, infamiæ scandalum patiatur: *Gen. 39.*
3. Reg. 12. Habebit autem secum, non sicut Roboam, iuniores, per

res, per quos perdidit decem tribus filiorū Iſraël: nec ſegnes, aut muliebres, vt Isboſeth, qui ideo occiſus fuit: ſed ſeniores & probatiores, ſicut Dauid, & robuſtiores, ſicut Salomon, qui lectum ſuum ambiant propter timores nocturnos. O timores & tremores nocturni; vbique tenebræ, vbique latent inſidiæ: tenebræ ſunt, & ideo laquei ſparguntur. Vix ſecerni poteſt amicus ab inimico. Quid mirum? Dauid dicit in perſona Chriſti: Qui edebat panem meum, magnificauit ſuper me ſupplantationem. Si ergo in viridi hoc factum eſt, in arido quid fiet?

2. Reg. 3. & 4. *2. Reg. 8. & 23.* *Cant. 3.* *Pſa. 40.* *Luc. 23.*

De Henrico Abbate Bleſenſi nequiter occiſo à ſuis, & eorum punitione.

2. Venerabilis Henricus ſub noſtro tempore canonicus regularis in vrbe Bleſenſi in monaſterio S. Mariæ de Burgo medio, cùm diu Pariſijs ſtuduiſſet, in abbatem, licet inuitus, ab omnibus eſt electus. Erant autem in eodem monaſterio, vt à quibuſdam eorum audiui, viri * viginti, ſecundum ſeculum quidem ſapientes, & prouidi: ſed minus, quàm decebat, religioſi & caſti. Aggreſſus ergo primùm eos blandis & rationabilibus verbis, hortabatur eos ad regulam ſeruandam, ad honeſtatem vitæ, & vt tenerent in moribus diſciplinam. Sed cùm per hæc nihil prorſus ſe proficere cerneret, nec litibus vellet eccleſiam diſſipare. Romanam curiam adijt, * cui vir ſanctus optimè notus erat. Qui inde, ſummi Pontificis auctoritate munitus, rediens, cùm eos aliter flectere non poſſet de facili, rigore vſus eſt paſtorali. Quod vt viderunt ſui, & nullatenus ſe poſſe

ms. s. quidā *ms. b. c. ter. imp. vbi.*

Act.9. Eccl.19. posse contra stimulum calcitrare, nequiter humiliantes se, colla regulæ subdiderunt. Vestitum autem, cibum, & potum largius, quàm antè, ministrabat omnibus, sed in claustro eos quietè sedere, & secundum ordinem viuere compellebat. Hic, sicut de Iulio Cæsare legitur:

Lucan. l.3. Pharsal. nonprocul à princ.

Omnia Cæsar erat.

Nullum de his, qui religiosi non erant, ministrare in aliquo officio obedientiæ, vt est cellarium, vel rerum procuratio, permittebat: sed si quos esse bonæ conscientię confidebat, illis officia committebat. Hæc videntes alij, finxerunt se per tempus religiosos & simplices, & in hypocrisi nequiter ambulantes, Abbati se quasi familiarissimos coniunxerunt. Qui, vt vir pius & bonus, omnia tolerans, omnia credens, eis liberioris vitæ frena laxauit. Quibus illi * tam damnabiliter sunt abusi, vt viginti octo ex eis pari malitia conuenirent, & tres viros scelestissimos ribaldos conducerent; & eos in mortem sancti viri per pecunias animarent. Qui quodam vespere, cùm Abbati extra opidum ad negotia properanti, sicut ordinauerant, obuiassent, salutantem eos, ac prædicantem salutis viam, extractis * ensibus crudeliter occiderunt. Roberto autem tunc socio eius, cuius suprà mentionem fecimus, euadente, corpus occisi ad monasterium delatum est, & in ecclesia collocatum. Et vide lector, quid actum sit & probatum. Statim enim, vbi sequenti die, ad sepulturam occisi, de locis vbi extra manebant rei criminis ecclesiam intrauerunt: ecce vox sanguinis fratris sui Abel de terra, quasi vindictam

1. Cor.13.
ms.p.s.2. imp. in tãtum.
ms.p.s. canipulis.
Cap.8.p.2.
Gen.4.


dictam clamans per vulnera, quæ à loco occisionis sicca remanserant, abundantissimo sanguinis impetu in eorum præsentia manauerunt. Et tale quid aliàs frequenter audiuimus factum esse. Quod vbi viri fratres, & filij, cum populis astantibus inspexerunt, dirum eiulatum cum lacrymis leuauerunt. Quid plura? Sepulto martyre, vt audacter dicimus, glorioso, vbi ad electionem ventum est, rei quidem, vt malitiam suam palliarent: boni autem, vt imitatorem sanctitatis haberent, dictum Robertum in abbatem vnanimiter elegerunt. Qui statim eadem die profectus ad Papam, acceptis literis ab eo ad Philippum regem, & ad Blesensem Comitem Ludouicum, capi omnes qui suspecti erant manu laica procurauit: quorum nonnulli veritatem salubriter confitentes, incarcerati perpetuò, pœnitentiam acceperunt: alij verò à sacris ordinibus degradati, morte puniti sunt. Sexdecim verò ex eis, qui in scelere potissimi credebantur, manus homicidas sibimet imponentes, seipsos in carceribus, suspendijs, vel alijs mortis generibus occiderunt. Ipse verò venerabilis Robertus Abbatis officio derelicto, à loco discessit, & circa prædictum Rothomagensem Archiepiscopum Mauritium, cum vidimus: post cuius mortem fratribus Prædicatoribus Parisijs se adiunxit, & inter eos felici fine quieuit.

De quo supra c. 8.

BOnos ergo, fideles custodes auctoritatis & innocentiæ suæ Prælatus habeat, per quos dignè & iuuari possit, & defendi.

Conclusio.

Prælatus



Prælatus sedulus sit in corrigendis, & extirpandis vitijs.

CAPITVLVM XVII.

Sunt & circa regem sæui lictores, qui morte puniunt delinquentes.

1. ERTVM est, quòd mortis pœnam Ecclesia non infligit. Quid autem in lictoribus, qui circa regem prælatum sunt, nisi officiatos, & prælatorum vices agentes accipimus? Hi vtique detractores, & susurrones, Deo odibiles increpatione corripiunt. Nam secundum Apostolum, vtilius est huiusmodi homines tradere Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat, supple, quàm æternis cruciatibus tribulari.

Rom. 1. *1. Cor. 5.*

Vitia moderatè corrigenda.

2. MOderatè tamen corrigi vitia Seneca docet, dicens: Esto vitiorum fugax primitus ipse tuorum: aliorum verò neque curiosus scrutator, neque acerbus reprehensor. Ex vicio alterius, sapiens corrigit suum. Optimum est semper moderatè corrigere, tanquam si ipse quotidie pecces. Obiurgationi aliquid semper benignitatis admisce. Odium oportet peccandi, non metum facias: & in hoc optimum est sequi maiorum vestigia, si rectè præcesserint.]

Apud Sen. l. de 4. vir. c. 3. in pro.

Vtilitas

Vtilitas correctionis & disciplinæ.

MVltum autem necessarium est in monaste- 3.
rijs, vt priores & seniores quique (quorum
tamen interest, & à superioribus iniūctum) pue-
rorum & adolescentium dorso immineant, ne per
dissolutiones varias inualescant. Beatus enim Au-
gustinus in libro Confessionum de seipso conque- *Aug. l. 2.*
ritur, dicens: Relaxabantur mihi puero habenæ *Confess. c. 3.*
vltra temperamentum dissolutionum variarum,
& prodibat quasi ex adipe iniquitas mea. *Psal. 72.*

De eadem re exemplum.

HVius exemplum in Angliæ partibus accidis- 4.
se narratur. In monasterio nigri ordinis
puer quidam nobilis à parentibus traditus est dis-
ciplinis regularibus educandus. Et quia erat for-
ma decorus, naturæque donis insignitus, & supra
ætatem suam morum honorificentia gratiosus,
seniores maximè, & qui officijs præerant, puero
vltra quàm necesse erat, libertatis habenas relaxa-
bant. Prior autem, qui conuentum sub Abbate
regebat, discretiori mente & regimine ipsius, li-
cet peroptimæ naturæ, in tali ætate credendum
non putabat, quia vt dicit Philosophus: Pueri
non tantùm monendi sunt, sed etiam arctandi*. *ms. p. 2.*
Aggressus itaque est iam aliquantulum insole- *imp. addit*
scentem puerum, verbis, interdum & verbere, ab *verbis, e.*
illicitis refrenare. Qui ad omnem informationem *verberibus.*
boni, statim, quasi cera mollis, Prioris corectio-
nem accipiens, in adolescentem sanctum, & per-
fectum creuit, & circa viginti annos ætate finita,
mortuus,

mortuus, Priori apparuit, dicens: Tuæ correctioni gratias ago pater, qui mecum tua prouidentia id egisti, ne insolentia puerili paulatim deflueren, & tandem prolaberer in damnanda. Hæc vt dixit anima beata, tanto fulgore resplenduit, vt vix angulus in loco remaneret, qui ab illo lumine expers existeret.

De canonico pœnitente occiso.


5. SImili prope modo, vt audiuimus à fratre ordinis Prædicatorum: cùm in Theutoniæ partibus circa annum Domini M. CC. XLII. adolescens quidam nobilis in lubricitate corporis excessisset, à * senibus concanonicis, & Decano ab ingressu ecclesiæ arctatus est, & infra septa monasterij, quasi pro agenda pœnitentia, in loco ad hoc deputato reclusus. Qui humiliter valde pœnam suscipiens, flagellabatur interim à Decano, & grauibus conuicijs culpabatur. Eo autem adhuc in pœnitentia existente, contigit eum à concanonico suo innocenter de nocte, & latenter occidi. Vno ergo, eadem nocte, ex concanonicis, viro sancto post matutinas orante suppliciter in secreto, vidit subitò totam ecclesiam illustrari, & apparente multo comitatu Sanctorum, gloriosam virginem matrem Christi in medio omnium, velut magistram & dominam consedere, & super diuersis negotijs vniuersalis ecclesiæ tractatum habere. His finem datis, patronus eiusdem ecclesiæ exorsus est, dicens: Et quis ex vobis miseribitur mei canonici, vt præsentem Domini nostri matrem pariter rogitemus, vt super piaculo eius solita pietate flectatur? Et mox suppli-

ms. b. c. ter. imp. suis.

Sancti gerunt curã eccl. & peculiariter patroni suarũ eccl.

ſupplicantibus Sanctis, allata eſt anima, & ab omnibus dicitur: Quia locus iſte ſpecialiter diſciplina viguit, & adoleſcens iſte iam mortuus diſciplinam libens accepit, & ex corde pœnituit, pro purgatorio cedat ei mors innocens, quam ipſe ſuſtinuit: tu autem anima, pete quod vis, & fiet tibi. Et anima: Pro occiſore, inquit, meo peto, qui me occiſo ſtatim valde pœnituit, & ad dominum Apoſtolicum cōfeſtim iter arripuit, vt ipſe miſericordiā conſequatur. Et mox reſponſum accepit: Sicut dignè petiſti anima, fiet tibi. Hæc vt audiuit orās, canonicis quid vidiſſet expoſuit. Locum igitur introeuntes, occiſum inueniunt, & deplangunt: occiſorem verò, mox poſt factum, de nocte iter arripuiſſe ad Apoſtolicum repererunt.

SEduli ergo Priores in cœnobijs, & Decani in canonijs in corrigendis & extirpandis vitijs ſemper exiſtant, ne etiamſi proprias non habuerint, ſubditorum * culpis obruantur. *Concluſio.* *ms.p.s,2. imp. negligentijs.*



Prælatus ſine cauſa non facilè foris vagetur.

CAPITVLVM XVIII.

Intus ſemper rex eſt ſollicitus, & non de facili cerni patitur, ſubaudi ſine cauſa.

ET HOC contra prælatos, qui impatientes quietis, circum circa, vltra, infra, ſine vlla neceſſitate negotij, cum maximis diſpendijs & impenſis crebriùs euagantur. Sed fortè videns Prophetam Dauid, imita- 1.

imitari vis, qui optat pennas, & auolare. Malè tu in verbis prouidētissimis discreuisti, quia vanam & friuolam in omnibus euagationē exclusit, dicēs:
Psa.54. Quis dabit mihi pennas? quales? Audi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ: quæ vtique gregaria est, & bonum commune diligit: Et volabo & requiescam. O rex, ô Propheta Dauid, quò optas fugere, quò optas auolare? Dixisti enim in consequenti: Ecce elongaui fugiens, & mansi in
Ibid. solitudine. Si fugiens elongasti, ergo populum, cui rex præeras, dimisisti? Absit, absit. Et hoc bene circa penultima Psalmi innuens demonstrasti: Ego, inquit, ad Dominum clamaui: & Dominus
Ibid. exaudiuit me. Quo fructu: Audi. Redimet in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erant mecum. Et hoc quomodo? Mecum in corde, mecum in quiete: à pusillanimitate spiritus & tempestate. Et hoc erat fugere à tumultu, & fugiendo auolare: in pace animas redimi, & inter multos sine tumultu esse cum Christo, & ibi inter humeros eius amantissimi Domini quiescere, vt in eo, & cum eo leue pondus sentiat quidquid pro illo habuerit sustinere. Sed numquid talis erit volatus tuus, ô prælate, qui vagaris instabilis, & fugiens euanescis? Num pennis columbæ vteris, vt quiescas à tumultu antecedentium, & subsequentium, & concomitantium; famulorum dicam, aut sociorum; & non potius dominorum? Vulgò dicitur: Miles in obsequio famulum, clericus socium, monachus habet Dominum. Si vis credas experto: frequentissimè vidi dominos quidem paucis esse contentos, & famulos superfluis inhiare Fœda res in prælatis, & detestabilis. Quid eo verecundius? quid

quid eo damnabilius? & hoc maximè in claustralibus; secus enim est in secularibus clericis (licet & in ipsis hoc malum sit pestilens) vbi res transit in dominium, quod in religiosis, hoc est in claustralibus, nunquam fieri potest; nisi fortè quis in Episcopum assumatur; cui tamen dispensatio creditur, non dissipatio. Absit tamen, vt dignis mercedibus obloquar famulorum, cùm dictum sit: Voca operarios, & redde illis mercedem. Sed non tantùm impium, immo sacrilegum iudico, vt quis Abbas, vel prælatus, spiritualibus filijs, quibus summè tenetur, detrahat necessaria, & famulis superflua largiatur. Pannis vilibus isti: illi Comitum mollibus vestiantur: isti vaccinis calceis sordeant; illi hircinis ocreis niteant. Et vtinam saltem ista sufficerent, quinimo etsi non iubentibus, propter verecundiam vel timorem, consentientibus tamen, vel dissimulantibus dominis, immensas pecunias aggregant, quibus, possessionibus emptis, natales suos transeant in nubendo, & viles rustici nobilibus coæquentur. Hi, si fratres, aut consobrini, vel consanguinei sint dominorum, tantò liberiùs & audaciùs faciunt, quæ prædixi. Non recordaris, ô monache responsionis senioris illius in vitis Patrum, qui dixit: Opera monachorum ignis sunt. Et vide quare. Sicut enim, si aliarum substantiam rerum igni miscueris, consumetur: sic &, si ecclesiasticis bonis bona tua patrimonialia contra iura miscueris, cum illis ad nihilum redigentur. Huius rei tot exempla vidimus, quòd nimium esset tædium singula pertractare, vnum tantùm de pluribus explicabo.

Mat. 20.

Lib. de hospital. nu. 11

De rustico nobili facto, & ditato bonis monasterij.

2. ERat quidam cliens natus ex rusticis, qui in ditissimo monasterio patruum habuit à monachis in Abbatem assumptum: Vocatus autem à patruo, eques ire didicit, qui prius ire pedes consueuerat. Ad mensas seruire prorsus ineptus ponitur, & qui solùm aratrum contorto collo regere & tenere didicerat, erecta ceruice cibos inferre principibus cogebatur. Quid plura? Ex rustico paupere factus est diues inclytus: domui domum coniunxit, redditus auxit redditibus, agrum agro distentiùs copulauit. Hinc villas emit & prædia, & qui olim fuit vnus ex rusticis, factus est dominus rusticorū. Tandem eum ad hoc fortuna leuauit, vt spreto cōnubio mulierum simplicium, factus miles, vxorem sibi nobilem copularet. Nec diu postea in hac eo gloria constituto, pes ei succisus est. cui nutans innixus stabat, & cecidit miser tantò deiectiùs, quantò sublimiùs fuerat eleuatus. Statim enim mortuo Abbate patruo eius, spernitur, eijcitur, fugatur ab omnibus, & ab Abbate successore defuncti, * nimirum, velut monasterij deprædator, impetitur. Conuictus autem, in plurimis minoratus est. Sed tamen diues in multis copijs remansisset, nisi eum fortius infortunium ad pauperiem impulisset. Mox enim contagia pecorum, agrorum sterilitas, ruina ædificiorum, ingratitudo suorum subsecuta sunt, vt nulli dubium esset, iusto Dei iudicio tantam infelicitatem ex iniusto & iniquo congregatis diuitijs successisse. Extremò ad tantam deuenit calamitatem miser ille, vt nullus eius misereretur; nullus ei vel in paruò succurreret. Et dignè, quia ex mi-

Isa. 5.

ms. b. c. tria imp. nimiū

ex minimo ferè, indignè se extulerat super magnos. In se ergo, etsi tardè, reuersus homo, iustum in se Dei iudicium benedixit. Misit igitur vxorem cum paruulis ad parentes, laborare proprijs manibus ipse cœpit, & in sudore suo comedere panem suum. *Gen. 3.* Quod vt viderunt sui, viderunt & monachi, vel quibus Abbas patruus suus bonus exstiterat, humiliato homini in pluribus benefici extiterunt. Paulatim ergo tam per laborem, quàm per iuuamina resurgere cœpit, & in paruo tempore pro statu suo satis habuit.


Bonus itaque prælatus intus sit sollicitus circa suos, & extra in tumultu cerni sine causa non facilè patiatur. Etsi egredi, si cerni necesse est, nō pomposè, sicut Comitem vel Principem: sed sicut religiosum & Christi famulum decet, familiam paucam habeat vtilem, & honestam. *Conclusio.*



Prælatus necessariò egrediens, Deum vt eum egredientem tueatur, exoret.

CAPITVLVM XIX.

Neque enim foras egreditur, nisi agmine migraturo.



AD IDEM hoc pertinet quod expositum iam præcessit, Migraturum autem agmen dicitur: cùm communis necessitas congregationis expostulat, vt pro negotijs Prælatus exeat, & cum instantia multa compulsus. *1. Prælatus non exeat sine necessitate.*

Exemplum de prælato semper ante egressum orante.

2. VIdi quemdam ex prælatis maioribus, qui quandocumque ad exteriora negotia vocabatur, ante egressionem secretum petebat: supplex prouoluebatur in precibus & à Domino lacrymis implorabat, vt se in omnibus egredientem & regredientem sua clementia tueretur,& in manibus suis negocia coram posita prosperarentur. Et vide lector quid inde sit secutum. Secura & indubitabili relatione didicimus de eodem, quòd vix in omni tempore prælationis suæ iniuriam passus sit,vel offensam.

De Brunone pastoratum resignante, vt religionem intraret.

3. QVantum autem periculum sit, & malum, nisi ex causa valde necessaria, curam susceptam animarum deserere, patet in eo, quod subiungam. Bruno in partibus Theutoniæ, in oppido magno, quod Mons Martis dicitur, bonus presbyter & castus fuit. Hic, referente mihi memorabili Henrico de Colonia fratre ordinis Prædicatorum, consobrinum habebat presbyterum, æquè Brunonem, virum scientia, & moribus approbatum. Hunc auunculus presbyter Bruno sæpius deuotè rogabat, vt dictæ parochiæ curam susciperet, & ipse iam senex religionem intraret. Annuit ille post multas preces, inuitus tamen, eò quòd regimen tantæ parochiæ formidaret. Hoc vt obtinuit, Bruno senior religionem intrauit, & citò post hæc ex hac vita migrauit. Differente autem Brunone iuniore animarum regimen attentare, eò

tare, eò quòd aliud beneficium capellaniæ viginti marcharum superius in castro teneret; vicarium pro se presbyterum in parochia collocauit. Brunone igitur eodem iuniore vna nocte in lecto quiescente, apparuit ei in cappa nigra Bruno senior iam defunctus, & dixit ei, in eisdem versibus loquens:

In grege commisso malè te geris, & pede scisso
Claudus es: inspicito, quæ pœna futura, redito.

Hæc dicens, cappam qua videbatur indutus, eleuauit, & se grauiter affligi incendijs demonstrauit. Ad hæc Bruno iunior expergefactus, recolit visionem, & versus, & mox in soporem iterum resoluitur. Cui eodem schemate defunctus apparens, dixit:

Tu pœnæ causa, requies per te mihi clausa.
Aspice sic vri, cibus ignis, & esca futuri.

Et hæc dicens iterum illi tormentum ignis ostendit. Cui iterum tertiò soporato apparens, dixit:

Mundi delicijs interdum seria misce,
Ex his primitijs cape partes, aut resipisce.

Ad hæc verba Bruno surrexit, & flexis genibus se impleturum quod auunculo viuenti promiserat Deo vouit. Nec mora, cum splendore nimio manifestè defunctus apparens, & vouenti congaudens, dixit: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. Et hæc dicens, in sublime conscendit. Vide ergo lector quanti periculi sit curam animarum suscipere, & in manu relinquere negligentis. Quod in Brunone seniori potes aduertere, qui curam negligenter deseruit; & in Brunone iuniori, qui susceptam, alteri incuratè commisit. *Psal. 121.*

Versuum priorum expositio.

4. SImul etiam in hac narratione diligenter aduerte, quod in primis versibus dicitur:

In grege commisso malè te geris, & pede scisso,
Claudus es: inspicito quæ pœna futura, redito.

Ibi namque manifestè significauit scissum eum habere pedem affectionis, quem integrum erga commissum gregem habere debuerat. Claudumque eum esse monstrabat, cùm vni beneficio, scilicet Capellaniæ, seruiret in castro, & curam sibi commissam parochiæ negligentiùs deserebat.

Quæstio de pluralitate beneficiorum determinata.

5. VOlo vt quicunque hæc legerit, sciat me anno ab Incarnatione Domini M. CC. XXXVIII. fuisse Parisijs, vbi venerabilis Guillielmus Parisiensis Episcopus, qui in Theologia iam rexerat, conuocationem fecit omnium magistrorum in capitulo fratrum Prædicatorum. Proposita ergo quæstione de pluralitate beneficiorum, solerti & valde longa disputatione probatum est, duo beneficia, dummodo vnum valeret quindecim libras Parisienses, teneri cum salute animæ non posse. Hoc determinauit prædictus Episcopus: hoc frater Hugo ordinis Prædicatorum, postmodum Romanæ curiæ Cardinalis: hoc frater Guerricus, & frater Gaufridus eiusdem ordinis: frater Ioannes de Rupella ordinis fratrum Minorum; & alij quamplures magistri Theologiæ determinauerunt in scho-

lis

lis proprijs ſucceſſiuè. Fuerat autem habita diſputatio longa valde, & multò ſolemnior ante annos tres: in qua etiam omnes Magiſtri Theologiæ, exceptis duobus, determinaſſe probantur idem per omnia quod & ſuprà: quorum vnus fuit Magiſter Philippus Cancellarius Pariſienſis, & alter Magiſter Arnoldus, poſtmodum Ambianenſis Epiſcopus.

Viſio de anima Philippi Cancellarij Pariſienſis damnata.

QVid autem de iſto Philippo contigerit; audiamus. Agonizantem in morte, dictus Guillelmus Pariſienſis Epiſcopus paterna ſollicitudine viſitauit, rogauitque eum, vt ſingulari opinioni cederet de pluralitate beneficiorum, & omnia beneficia ſua, excepto vno, in manus Eccleſiæ reſignaret; & hoc, conditione media, vt ſi conualeſceret, ei ſupplere vellet de ſuo proprio quod dimiſiſſet. Renuit ille, experiri ſe velle dicens, vtrum eſſet damnabile beneficia plura tenere. Mortuus eſt ergo ſic. Poſt paucos autem dies, cùm dictus Pariſienſis Epiſcopus, finitis matutinis, orare vellet, vidit inter ſe & lumen quaſi vmbram hominis, tetram nimis. Eleuata ergo manu conſignat ſe, & ſi ex parte Dei ſit, præcipit vt loquatur. Cui reſpondit apparens: Alienus à Deo ſum, ſed tamen miſerabilis factura eius. Et præſul: Tu quis es, inquit? Cui ille reſpondit: Ego ſum Cancellarius, inquit, ille dudum miſerrimus. Rurſus Epiſcopus elato altiùs gemitu, & quomodo, inquit, tibi eſt ſic dolenti? Malè, ait, immo quàm peſſimè, quia damnatus ſum æterna morte. Et 6.

Episcopus: Heu, ait, charissime, quæ causa tuæ damnationis? Tres sunt, inquit, causæ, quare morte perpeti sum damnatus. Vna est quòd recrescentes fructus annuos contra pauperes timidè reseruaui. Secunda est quòd contra sententiam plurimorum, de pluralitate beneficiorum, quasi licitè tenendorum, opinionem propriam * defensaui, & in hoc me periculo mortalis culpæ commisi. Tertia est, & illa grauissima omnium, quòd abominabili carnis vitio, in scandalum multorum, multo tempore laboraui; & ad Episcopum mox subiunxit: Estne, inquit, finitus mundus? Et Episcopus. Miror, ait, te literatissimum quondam virum hoc quærere, cũ me adhuc viuũ cernas, & omnes nos viuẽtes adhuc mori necesse sit, antequã mundus, instante iudicio, finiatur. Et ille. Non mireris, inquit, quia nec scientia, nec opus, nec ratio est apud inferos venienti. Et hæc dicens, vmbra ab oculis mirantis euanuit: ipse autem Episcopus (non tamen sub persona sua, quasi hæc vidisset) in prædicatione sua clericis omnibus recitauit.

*Tres causæ damnationis illius, auaritia. Pluralitas beneficiorũ * ms. p. defendi. Luxuria.*

Eccle. 9.

Visio de alio ob solam pluralitatem beneficiorum damnato.

7. SImili modo, cùm quidam clericus maximæ litteraturæ, pro me agonizans, in morte, mandaret, & consilium quæreret, quasi in proximo migraturus, reduxi ei ad memoriam disputationem illam solemnem, & determinationem de pluralitate beneficiorum Parisijs factam, cui ille interfuerat doctor magnus, consuluique illi cum magna instantia lacrymarum, vt vnam præbendarum dimitteret, quia duas contra animam suam tenuerat,

tenuerat,quarum vna ad omnē vitæ copiam omni clerico sufficere potuisset. Tunc ille facie cōuersa dissimulans,hoc tantùm respondit. Orate Dominum vt inspiret, nec diu postea cùm recessissem, & tenuissimo spiritu vix hærente,hoc idem,quod consulueram ei, quidam consobrinus suus iuuenculus cum maximis lacrymis inclamaret:cùm voce non posset, manu innuens,exspirauit. Post cuius obitum, cùm quidam ex nostris, stupefactus nimium, cogitaret cur tantus homo, & tantus clericus, si mortale peccatum esset plura beneficia retinere,in tali statu mortuus extitisset. Mox quasi semivigilanti defunctus apparens, dixit: Hæc duplicitas præbendarum sola causa est,pro qua infelix ego in perpetuum damnatus sum.

Magnorum virorum sententiæ contra tenentes plura beneficia.

SVper hac eadem quæstione, cùm beatæ memoriæ Iacobus de Vitriaco, tunc quidem Achonensis Episcopus, postea verò Romanæ curiæ Cardinalis magistrum quondam Theologiæ probatissimum Robertum de Chorton, Romani apicis Cardinalem morientem ante primam Damiatæ ciuitatis obsidionem interrogaret, respondit: Dico iam migraturus à vita,quòd mortale & damnabile est,dum tamen vnum competens sit, beneficia plura retinere. Hoc idem magister Petrus Cantor sanctæ Mariæ Parisiensis, & dixit, & scripsit. Hoc idem magister Guiardus Cameracensis Episcopus verbo huiusmodi confirmauit. Nollem,inquit, pro toto Arabiæ auro vna tantùm nocte duo beneficia retinere, & certus tamen essem, quòd de mane vnum illorum

Robertus Chorton.

Petrus Cãtor.

Guiardus Episc. Cameracensis.

rum idoneo homini conferretur, & hoc propter incertæ vitæ discrimen. Super hoc etiam, narrante fratre Bernardo, quondam pœnitentiario Domini Papæ, & fratre ordinis Prædicatorum, cùm
Gregor. IX. beatissimæ memoriæ Papa Gregorius nonus interrogaretur, si posset de plenitudine potestatis cum plurium beneficiorum detentoribus dispensare, respondit: Non possum, inquit, nisi tantùm super vexatione detinentium dispensare.


Admonitio de non retinendis pluribus beneficijs.

9. QVis ergo sapiens erit, qui fallat se, & sibi super dispensatione aliqua blandiatur? Esto quòd multi magistrorum dicant hoc, & multi alij opinentur in contrarium, hoc solùm, mortale ab Augustino omnium doctorum maximo iudicatur, quòd quis incertitudinis periculo, aut mortalis peccati discrimini se committit. Noli ergo fieri sub trina inuocatione diuini nominis vsurpator: vt sicut sub tribus personis inuocatur vnus Deus & colitur, ita tu clerice, tu sacerdos duorum, trium, aut quatuor beneficiorum, vel plurium
Ezech. 28. Isa. 14. possessor existas. Lucifer ille sapientissimus & pulcherrimus in creaturis, Lucifer, inquam, angelus assimulari Deo voluit, & contemptibiliùs cecidit vniuersis. Quantò ergo numerosior exititeris in præbendis: tantò te superbiùs, non solùm contra Deum, sed etiam supra Deum extollis.

Exempla de canonicis malè morientibus.

10. EGo in quadã ciuitate episcopali annis vndecim adoleui, vbi sexaginta duo canonici sub præben-

præbendis pinguiſſimis ducentarum ferè librarū Pariensium in matrici eccleſia ſeruiebant, quorum plures erant beneficiorum plurium detentores. Vide ergo qualem vindictam Dei in ipſos vidi turpiſſimos detentores. Mihi teſtis & iudex ſit ſancta Trinitas vnus Deus, quòd paucos eorum vidi communi hominum morte defungi, ſed ſubitò omnes & reprobè mori: ita quòd quidam eorum, audito quòd vnus ſociorum in nocte ſanus, manè mortuus inuentus eſſet, comploſis manibus dixit. Et quid vultis? Secundum vſum & conſuetudinē eccleſiæ mortuus eſt, vt videtis. Vidi ego ipſe in eccleſia eadem infra paucos annos quatuor Archidiaconos ſic defungi. Vide lector, mirare miraculum. Primus eorum de equo phalerato & grandi cecidit, fractiſque ceruicibus exſpirauit. Secundus manè in cathedra ſedens, mortuus eſt repertus. Tertius in choro ſtans, cùm ad miſſam eleuatio corporis Chriſti fieret, cecidit reſupinus, & ſubtracta loquela cum ſenſu, quaſi brutum animal, die tertia, ſine ſacramentis eccleſiaſticis, eſt defunctus. Quartus confeſſionem peccatorum, & ſacramenta recuſans mortuus eſt, & extra cœmiterium ſepultus. *Num. 16.*




Prælatus oberrantes reducat, & laſſos releuet.

CAPITVLVM XX.

Si qua laſſata eſt, aut fortè aberrauerit, eam rex ex odore proſequitur:

Subau-

Subaudi, vt releuet & reducat, releuet lassam, reducat errantem.

1 
ASSVS dici potest, qui à currenda via mandatorum Dei, vel penitus destitit, vel animo tepuit. Aberrare verò apis dicitur, cùm claustralis quis, aut subditus à rectitudine virtutis, aut regulæ, per deuia vitiorum recedere non veretur. Tales nimirum bonus Prælatus odore famæ, ad inuestigandum & corrigendum: vel deuotæ orationis ardore, ad succurrendum: vel spiritu lenitatis, ad compatiendum eisdem infirmis, ne pereant, si iustè agit, piè prosequitur. Vnde de principe pastorum Christo per Prophetam dictum est: Calamum quassatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet. Væ ergo illis, qui seueritate nimia subditos conterunt, & illis maximè væ, qui eos vitæ malæ exemplis extinguunt.

Esa. 42.

Apparitio B. Petri cuidam Prælato facta; quem increpat de dato malæ vitæ exemplo.

2. VNde, sicut magistro Ioanne de Leodio narrante cognoui, princeps Apostolorum Petrus prælato cuidam multis annis malè regenti, in infirmitate, vultu seuerus, apparuit, librumque tenens apertum, legere compulit refutantem. Erat autem hæc scriptura in textu libri. Mortificabas animas, quæ non moriuntur, & viuificabas animas, quæ non viuunt. Cumque ille horreret nimium amplius legere, vultuque refugeret, Apostolus

Ezech. 13.

stolus Petrus seueriùs institit, vt quasi glossam textus legeret, quæ in margine scripta videbatur. Legit ergo coactus: Quando de inferno reduces animas, quas per tuum destitutas exemplum, æternis supplicijs tradisti? Et cùm ille præ horrore & confusione respondere non posset, de visione ad se rediens, se sudantem & creticantem inuenit. Nec mora, de consilio dicti venerabilis viri, seculum dereliquit, & Christi deditus seruituti, in monasterio Hannoniæ Cisterciensis ordinis, quod Camberonum dicitur, beatissimo fine quieuit.

Magna Prælatorum pericula.

3. QVantum autem periculum prælatis immineat, non tantùm ex officio, verùm etiam ex surreptione multimoda dæmonum, vbique sparsis insidijs, exempla multorum, & scripta ostendunt. Seuerus Sulpitius scribit beatum Martinum dixisse, maiorem sibi virtutem ante Episcopatum fuisse, quàm postea, cùm duos antè suscitauerit mortuos, postea solùm vnum.

Seu. Sulp. dial. 2. de vita sancti Martini.

Idem firmatur apparitione defuncti.

4. APud sanctum Victorem Parisijs, referentibus canonicis audiui, quòd quidam canonicus regularis erat, vita, genere, & litteris pollens. Electus autem in Episcopum, renuit, & pertinaci constantia, contra plurimorum & maiorum consilium, se subtraxit. Moriturum autem post multos annos socius quidam eius, qui eum multum dilexerat, adiurauit eum, quatenus† ad se, si Deus permitteret, resolutus morte rediret. Annuit ille, statimque defunctus est. Nec dies multi post mortem eius effluxerant, cùm ecce anima, secundum

Ad se. pro ad eum.

dum quod promiserat, rediens, eminus in pariete crucis signum impressit, dicens: Ne dubites, nec vacilles in visu. Sed quære quod vis, & me sinas ad potiora transire. Mox socius ad visionem exultans: Sollicitus, inquit, valde fui, ne grauissimam ad minus pœnam in purgatorio sustineres: quia refutasti contra maiorum consilium tam pertinaciter Præsulatum, in quo ad salutem animarum, tot, & tanta bóna facere potuisses. Cui anima. In me, ait, hoc ordinauit clementissima bonitas Saluatoris, quia ex tunc timui, & nunc scio, quòd si Episcopatus cathedram ascendissem, perpetuæ damnationis periculum incidissem. Et hoc dicens; quasi cum ingenti coruscationis lumine pertransiuit.

Quomodo Hugo Decanus Cameracensis factus sit monachus Vaucellensis.

5. SEd & venerabilis Hugo Cameracensis Ecclesiæ Decanus, vir in omni honestate, & generis nobilitate clarissimus; cùm in diuersarum ecclesiarum Episcopatibus se principari formidaret, nec posset subterfugere sedis Apostolicæ iussionem: derelictis omnibus, monasterium Cisterciensis ordinis in Vaucellis, prope Cameracum, ingredi cogitauit. Cumque proposito declarato, accipitrem decem * mutonum peroptimum, quem habebat, multi nobiles peterent; mira curialitate dissimulauit. Et veniens ad portam cœnobij, monachus mox futurus, accipitrem pedum vinculis soluit, & huiusmodi verbis vsus, ad auras liberas euolare permisit:

f. buteonũ.

Hic te dimitto, laxum, placidumq; remitto,
Libertate frui, pro bonitate tui.

Nec

Nec mora, multi dimissum accipitrem capere vel reuocare conãtes frustrati sunt; quia postea * nusquam comparuit. Et hoc quidem aliquando iunioribus dispensatiuè permittitur, vt in auibus cæli ludant, seruitio ecclesiæ non relicto, horis & temporibus congruis, nè tentationum diuersarum fluctibus subruantur.

ms. p. 2. imp. nunquam. Baruc. 3.

De paßeribus ipsi nouitio existenti mansuetis.

DE ipso etiam beatissimo viro, & illud in monasterio, vt ipsemet audiui à monachis, qui viderunt, memoriter referebatur. In mensa nouitius dum sederet, frequenter passeres aduolantes de manibus eius panis minutias capiebant. Super quo à magistro nouitiorum leniter redargutus, his versibus passeres, secundum consuetudinem venientes, alloquitur, dicens: 6.

Passer abi, nec habe mirum quòd abire cogaris.

*Ætas, ordo iubet * te mihi; non tibi me.*

Hic, vt dignum erat, maluit sub habitu monachali latere sub regula, quàm infula pontificali decorari.

ms. s. b. e. ter. imp. me mihi.

De felici eiusdem obitu.

IN huius morte beatissima, ex innumerabilium angelorum præsentia tanta dulcedo creditur resultasse, vt omnibus qui præsentes erant, singularis gratia videretur infundi. Discant ergo fideles culmina uereri, & nequaquã cathedras impudenter ascendant: quia quantò gradus altior, tantò casus grauior. 7.

De

De concione facta per mandatum diaboli.

8 SEd & illud ſolemne miraculum, ad terrorem omnium prælatorum, enarrabo. Clericus quidam in ſynodo Epiſcoporum prædicare compulſus, anguſtiabatur non modicum, quidnam dignè poſſet coram tot prælatis Eccleſiæ prædicare. At vbi acceſſurus in oratione iaceret, venit ad eum diabolus, & dixit ei: Quid anguſtiaris iſtis clericis prædicare? Dicas eis iſtud, & non aliud: Principes infernalium tenebrarum, principes eccleſiæ ſalutant. Læti omnes nos gratias eiſdem referimus, quia cum ipſis, eorum nobis afferuntur ſubditi, &, per eorum negligentiam, ad nos deuoluitur totus pariter ferè mundus. Inuitus quidem tibi dico, quod dico, ſed altiſſimi iuſſione coactus. Reſpondit clericus: Mihi quidem, ſi hæc eis retulero, non credent. Tunc diabolus tangens maxillam eius: Ecce, ait, ſignum, nigredo inſolita faciei. Hanc antequam prædices, non contingas, quia fruſtra: poſt prædicationem verò aqua benedicta delebis. Proceſſit ergo clericus in ſynodo prædicaturus: & admirantibus cunctis in ſigno indito faciei, tantùm illa quæ ſibi iuſſa ſunt recitauit, & ad horrorem maximum cunctorum corda permouit. Hęc * eodem anno ab incarnatione Domini M. CC.XLVIII. fuerunt Pariſijs coram omni clero & populo ſolemniter recitata.

*ms.s.eadem

Auctoris admonitio ad malos prælatos & clericos ſui temporis.

9 QVàm vera ſint iſta, ſtatus procul dubio demonſtrat eccleſiæ: qui nullam ſuperbiæ, auaritiæ, luxuriæ, in clericis & prælatis recipit compara-

parationem. Vidi moderatores orbis & reges magnos, vidi Duces, Comites, & Barones: nihil tamen vidi in eorum cultu vestium tam singulariter exquisitum. Eorum auaritiam si attendas: nulla mercatorum, nulla ciuium talis. Qui tamen hæredes legitimos si haberent, tolerabilior insania videretur. De luxuria verò eorum nihil diffinire præsumo, nisi quòd illam solus omnipotens nouerit, qui renum & cordiū scrutator est Deus. *Psal. 7.*
Si quis clericorum culpabilis, de duritia verborum dictorum conqueritur, corrigat se: & contra se prolata non audiet. Si quis verò legentium se à reprehensis mordaciter vitijs inuenerit innocentem, non irascatur, non indignetur mihi, sed gaudeat vicia, de quibus conscius non est, in conscijs reprehendi. Si quis verò indignè dicta verba tulerit, notabilem se reddet in dictis, & veritatis planissimæ detractorem.

De beato Thoma de Aquino, & de constantia, & patientia eius.

HÆc, & his similia, cùm quidam nobilis adolescens de Romanorum partibus, Thomas de Aquino nomine, vereretur; intrauit ordinem fratrum Prædicatorum Bononiæ. Qui cùm Domino ibidem in magno feruore & alacritate spiritus deseruiret, inuidit diabolus, & instigauit parentes eius, & maximè duos fratres illius potentissimos ac feroces: qui obtinuerunt à Papa, vt ad curiam per litteras Apostolicas citaretur. Qui, vt comparuit, iussus est habitum ordinis deponere, & dignitatibus ecclesiasticis insigniri. Quod cùm sperneret mira constantia, furtim à suis fratribus, quos prædiximus, 10.

raptus est, & in carcerem clam detrusus. Vbi cùm graui inedia, frigore, & penuria affligeretur, numquã tamen tortores eius efficere potuerunt, vt saltẽ habitum suscepti ordinis, vel cibos mutare vellet. Et his omnibus nequius cõgitantes per quod possent iuuenilem animum euertere, † secũ mulieres in carcere per tempus aliquod concluserunt. Qui fortiùs quàm priùs, spretis illecebris, sic annis duobus, vel tribus in carcere perdurauit. Romam ergo adiens magister ordinis Prædicatorum piæ & beatæ memoriæ Ioannes, super raptu & incarceratione fratris, Imperatori Federico conquestus est. Qui re examinata, & inuenta vt dictum est, præfatos nobiles quæsiuit ad pœnam. Nec vllo modo mortis sententiam euasissent, si dictus magister in querimonia perstitisset: sed veritus est iudicium sanguinis, & Imperatoris animum mitigauit. Grauiter enim audita tanta inhumanitate fratrum in fratrem Cæsar commotus erat. Deterriti ergo dicti fratres fratrem soluerunt, qui transmissus est Parisios à magistro ordinis eiusdem. Nec diu Sathan distulit insidias adolescenti spargere. Instinctu enim fratrum suorum carnalium, & amicorum, quos habebat in curia, per literas Apostolicas iterum mandatus est. Venienti autem mox à Papa præcipitur, vt regimen Abbatiæ Montis Cassini susciperet, quæ vtique maxima erat in totius Apuliæ & Campaniæ partibus prælatura. Septem enim Episcopatus illius Abbati subiacent, qui & ipse pontificale officium in omnibus administrat. Renuit ergo præclarissimus adolescens, nec ordinem, vel habitum suum deserere vlla conditione consensit. Cui cùm Papa concederet, vt in ordine & habitu suo, præesset officio:

† secum, pro cum illo.

S. Thomas fugit honores.

officio: noluit ille, & clam prolapsus à curia, fugit, & in Coloniam Agrippinam venit, studuitque in loco illo, quovsque præclarus lector Fratrum ibidem, frater Albertus Parisios translatus est, & pro incomparabili scientia, Theologiæ cathedram sortitus est. Post quem, & idem frater Thomas consimilis solemnitatis regimen, & cathedram adeptus est: & digno remuneratus honore, ad decus ordinis incolumis perseuerat.

Coloniæ fit discipulus Alberti magni.

HIs narratis, non ambigo quòd bonum opus desiderat, qui Episcopatum desiderat: sed tamen qui non præesse desiderat, sed prodesse. Et vtinam multi tales. Si ergo confusionem & opprobrium æternæ pœnæ effugere volueris, cum prælatis prouidis & perfectis, lassos & * oberrantes prosequere, ne per tuam negligentiam, aut duritiam depereant, vel exemplum.

Conclusio. *1. Tim. 3.*

2. imp. aberrantes.



Prælatus sit benignus, & sollicitus pro pace seruanda.

CAPITVLVM XXI.

Hæc regis benignitas, & sollicitudo maxima est circa populos, & circa regem populi obedientia adeo perseuerat, vt nunquam odio, aut discordia ad inuicem moueantur.



ECCE quàm culpandum est vitium corruptæ naturæ, vt illud incontaminatum seruet breuis in volatilibus apis, & homo ratio-

1. De discordia. Eccli. 11.

rationis capax tam ferali mente tranſgreditur. Vt enim glorioſiſſimus Auguſtinus in libro de ciuitate Dei dicit: Nihil eſt hominum genere tam diſcordioſum vitio, tam ſociale natura. Neque commodius contra vitium diſcordiæ, vel cauendum ne exiſteret, vel ſanandum cùm extitiſſet, natura * ſanaretur humana, quam propterea Deus creare voluit vnum, de quo multitudo propagaretur, vt hac admonitione, & in multis concors vnitas ſeruaretur. [a] Numquid pleræque inſociabiles & ſoliuagæ beſtiæ ſunt, vt leones, vulpes, & aquilæ, tigreſque, vel vrſi. qui filijs ſuis mites immurmurant, & pacata ferocitate blandiuntur? Quis miluus, quantumlibet ſolitarius rapinis circumuolet, numquid in ſignum pacis coniugium copulat, nidum congerit, oua fouet, pullos alit, & quaſi cum matrefamilias ſocietatem domeſticam quãta poteſt pace conſeruat? Quantò magis homo * infeſtus quodammodo naturæ ſuæ legibus, ad ineundam ſocietatem, pacemque cum hominibus, quantum in ipſo eſt, in omnibus obtinendam] elaborare deberet: vt quod in beſtijs irrationabilibus eſſe probatur, ipſe homo rationalis ſeruare contenderet.

Aug. l. 12. de ciu. Dei c. 26.

or. loqueretur humana, quam recordationem illius parentis, quem propterea, &c.

a Aug. ibid. l. 19. c. 12.

or. fertur.

Pacis commendatio ex Seneca.

2\. DE pace Philoſophus elegantiſſimè dicit: Pacem cum hominibus habebis, & bellum cum vicijs. Semper igitur diſſentio ab alijs incipiat, à te reconciliatio. Non eſt extrinſecus malum noſtrùm, vt ad diſcordiam moueamur: intra nos eſt, in viſceribus ipſis ſedet, & iedo difficulter ad ſanitatẽ venimus, quia nos ægrotare neſcimus. Medicina ægro, non regio quærenda eſt. Tecum

Apud Sen. l. de morib. Sen. ep. 51.

Epiſt. 105.

cum ſunt quæ fugis, te igitur emenda. Si vis habere iocundas peregrinationes, comitem tuum ſana. Si vis vicijs exui, longè à vitiorum exemplo recede. Magnanimes nos natura produxit; & vt quibuſdam animalibus ferum dedit, quibuſdam ſtolidum, quibuſdam pauidum; ita nobis glorioſiſſimum,& excelſum ſpiritum, quærentem vbi honeſtiſſimè,& mitiſſimè viuat. Multa non quia difficilia ſunt, non audemus: ſed quia non audemus, difficilia ſunt. Abſolutum humanæ naturæ bonum corporis & animi pace contentum eſt. Quæris quare te fuga iſta non adiuuet? tecum fugis. Onus animi deponendum eſt; non ante tibi vllus placebit locus. Illud quod quæris, in pace viuere, omni loco poſitum eſt. Non multum prodeſt vitia tua proieciſſe, ſi cum alienis rixandum eſt. Magni animi eſt placidum eſſe tranquillumque, & iniurias atque offenſiones ſupremè deſpicere. In omnibus quæ aduerſa & dura videntur, ſic formatus ſis, vt nunquam te à forma recta diuellant. Valentior omni fortuna eſt animus,& in vtramque partem res ipſe deducit, beatæque ac miſeræ vitæ ipſe ſibi cauſa eſt. Praua, & dura, atque aſpera, ferendi ſcientia, & aſſuefactio emollit. Non poteſt gratis conſtare virtus. Hanc ſi magno æſtimes, omnia paruo æſtimanda ſunt. Optimum eſt pati quod emendari non poteſt: & Deum, quo actore omnia fiunt, ſine murmuratione comitari. Malus miles eſt, qui Imperatorem gemens ſequitur.

Epiſt. 67.

Epiſt. 28.

Lib. 1. de cle. c. 5. ep. 97.

Epiſt. 99.

Epiſt. 105.

Epiſt. 108.


Ad pacem exhortatio.

3. PAcem Chriſtus mundo intulit natus, pacem
Luc. 2. viuens & mortuus: & ſui illi omnia contra-
Ioan. 20. ria reddiderunt. Quid ergo retribuam illi pro o-
*Pſal.*115. mnibus quæ retribuit mihi? Pacem retribuam
proximis, etſi perſequantur: quamdiu vicem red-
dimus nihil eſt in exemplari. Si autem communi-
ter cum omnibus hominibus ſerenitas pacis ha-
benda eſt, quid illis agendum eſt, qui altioris vi-
tæ regulis inſtituti ſunt, vtpote ſucceſſoribus A-
poſtolorum, quibus Chriſtus pacem ſuam pro te-
*Ioan.*14. ſtamento reliquit? Pacem meam, inquit, do vo-
bis, pacem relinquo vobis. Sed heu in ſeculari-
bus perſonis pro parte ceſſauit perſecutionis in-
ſania: & nunc non tantùm clericos, qui tamen
ſors Domini nuncupantur; verùm etiam cerni-
mus & clauſtrales, qui toti Deo dediti eſſe debe-
rent, nunc per fas, nunc per nefas contra præla-
tum ſubditos, & prælatum contra ſubditos ele-
uari. Et in his omnibus iura ſpernunt eccleſiæ,
ſpernunt & iura Ciuilia; aſſerere iuſtitiam gladijs
volunt, & armis bellicis ad inuicem exercentur.

Duo exempla de diſcordia.

4. APud Papiam Longobardiæ nobilem ciuita-
tem, in monaſterio beati Petri extra muros,
vbi glorioſiſsimi Auguſtini corpus, cum Boëtio
nobili philoſopho, & martyre Chriſtiano, condi-
tum iacet, quod Cælum aureum nominatur, ſub
Innocentio huius nominis Papa tertio, monachi
Abbatem ſuum crudeliſsimè peremerunt. Quam
ob cauſam dignè expulſi, Regulares ibidem pro
eis

cis canonici sunt locati. In confinio verò Germaniæ, ciuitate Tullensi, Episcopus luxuriæ deditus & rapinis, Episcopatu priuatus est, & deiectus. Cuius loco cùm vir nobilis & deuotus fuisset electus & consecratus, & Episcopatum regeret dignè Deo, à prædecessore suo deposito nequiter captus est, & occisus. Qua de causa à fratre proprio deprehensus, vicaria morte punitus est.



Subditi obediant suis Prælatis.

CAPITVLVM XXII.

Circa regem mira populi obedientia conseruatur.



HIc de obedientia parum latiùs disserendum est, quæ vtique conseruata tantò est gratior in subiectis, quantò per necessitatem imposita timoratior in Prælatis. Hanc Adam cum vxore in paradiso positus transgreditur, & eiectus est. Hanc Moyses & Aaron ad aquas contradictionis positi non seruauerunt, & promissionis terram ideo non intrauerunt. Hanc Saul electus in occisione Agag, & eius populi non seruauit, & idcirco regno priuatus est. Sed fortè dicis: * Debeo obedientiam Deo, non prælato. Audi quid Dominus dicit in Deuteronomio: Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio morietur. Et parum pòst: Si genuerit homo

1. *Gen. 3.* *Num. 20.* *1. Reg. 15.* *ms. p. Deo voui obedientiam.* *Deut. 17.* *Deut. 21.*

homo filium contumacem, qui non audiat patris ac matris imperium, & coercitus obedire contempserit, lapidibus eum obruet populus. Non ergo conuentus talem sustineat aut defendat, ne, sicut quondam, per inobedientiam vnius hominis peccatores constituantur multi: sicut scribit

Rom. 5. Apostolus Paulus ad Romanos, & ad Thessalonicenses inobedientem vitare iubens quasi ex-

2.Thess.3. communicatum. Si quis, inquit, non obedierit verbo nostro, per epistolam hunc notate, & ne commisceamini cum illo. Christus Deus & ho-

Luc. 2. mo, (vt Euangelista refert) matri subditus obediuit. Sed hoc parum: immo & patri pariter putatiuo. Quis ergo, ô homo es, qui te tibi credere præsumis, & regi spernis, alieno regimini non obediens? In immensis dromonibus multa populi millia se modico committunt gubernaculo. Qualiter autem obediendum sit, Pharao in Ge-

Gen. 41. nesi Iosepho figuraliter repromittens, dicit: Absque tuo imperio non mouebit quisquam pedem aut manum in omni terra Ægypti. Ioseph figuram tenet prælatorum, ad quorum imperium omnis subditus tenetur in omni opere bono simpliciter obedire. Hæc obedientia in quibusdam religionibus, vt in ordine Prædicatorum & Minorum, extenditur vsque ad mortem: In alijs religionibus nequaquam ita est. Et vide rationem quare ab homine obediendum est homini. Sicut

Iosue 10. enim dicitur in libro Iosue, obediente Domino voci hominis, Sol & Luna à suis progressibus tardauerunt.

De

De Fulcone canonico Insulensi, qui pro inobedientia XXV. annis ægrotauit.

QVale autem malum quidam nostra ætate per inobedientiam malè cautus incurrit, breuiter referamus. Venerabilis Fulco de Gandauo natus, canonicus apud Insulas erat. Hic, vt nobis ipse narrauit de seipso, à magistro Iacobo de Vitriaco legato, & prædicatore crucis contra Albigenses, rogatus vt secum crucem per Flandriam prædicaret, renuit. Cui cùm insisteret per amicos, vt eum adiuuaret in negotio Ecclesiæ tam necessario & douoto, renuit ille secundò, & nullo modo hoc se facturũ asseruit. Tunc magister Iacobus illum magis preceptum timere cõfidens: Et ego, inquit, præcipio vobis auctoritate, qua fungor, vt in nomine Iesu Christi, in remissionem omnium peccatorum vestrorum istud negocium assumatis. Cui dictus Fulco: Nullo modo, inquit, assumam, & ego rogo vos, vt nequaquam me de hoc vlterius fatigetis. Mox magister Iacobus in corde grauiter cõmotus, & ferè vsque ad lachrymas fatigatus, ait illi: Cùm vtique dignè possem, auctoritate mihi commissa, vos excõmunicare, & omni beneficio priuare iam in inobedientia cõtumacem; nolo tamen, ne tanto viro tantum videar grauamen ingerere. Rogo tamen Deum, qui omnium cordiũ est inspector, quatenus reddat vos non solum ad istud, quod spernitis, sed prorsus ad omne opus inutilem. Mira res. Mox ad hæc verba, quartana febris eum cum fluxu ventris inuasit, & vsque ad finem vitæ suæ per viginti quinque annos irremediabiliter fatigauit. Et audi lector mirum Dei iudicium de hoc viro. Cùm ta-

lis ac

lis ac tantus esset, vt ei Dominus Iesus Christus, sicut per fratrem Ægidium, ordinis Prædicatorum in Gandauo percepimus, ante mortem, quasi recenter extensus in cruce, visibiliter appareret, & eum ante finem Augusti mensis prædiceret moriturum: nullo modo tamen Dominus illi in hac vita parcere voluit, quin eum pro inobedientia tanto temporis spatio flagellaret. Quid ergo de nobis miseris futurum est, qui parentibus inobedientes frequenter fuimus & prælatis, & Deo patri omnium maximè, qui nos creauit & pascit, si tam perfecto viro pro sola inobedientia non pepercit?

Conclusio. DIscant ergo apes fidelium cum prælato suo humiliter & sinceriter concordare, & circa eum semper obedientiam conseruare. Seruent & pacem prælati cum subditis, & pacem teneant subditi cum prælato: vt in subditis honoris & gratiæ * fructus excrescat, & per hoc in prælato gloria cumuletur etiam in præsenti, & æternaliter prælatus cum subditis pace omnimoda perfruatur.


ms. b. c. ter. imp. supernus amor.



Subditi Prælatis orationum iuuamen impendant.

CAPITVLVM XXIII.

Rex in expeditione à plebe sustollitur.

1. ECce nunc subditis forma datur quemadmodum habere se debeant ad prælatum. Et hoc idem est, quod ille magnus prælatus Apostolus Paulus subditis suis dixit: Obedi-

Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi *Heb. 13.*
enim rationem reddituri, peruigilant pro animabus vestris. Quid est autem regem prælatum in expeditione * sustolli, nisi contra sathanam in o- *ms.p.s.2.*
rationibus bellum parare, si tentatio subditis ir- *imp. poni.*
repserit contra mundum: si persecutionis horror ingruerit contra pacem: si mentem ad luxum inclinare voluerit contra carnem? Et hoc est cum
Moyse eleuare manus: cum Dauid eleuare ocu- *Exod. 17.*
los: cum Anna mentem sustollere, vt expugnet *Psal. 120.*
hostes precibus, quos armis secularibus, etiamsi *1. Reg. 2.*
nocuerint, nunquam debet. Hæc sunt brachia *2. Reg. 23.*
robustorum Dauid, brachia militum Christi, preces & lachrymæ. Audiui, inquit Dominus ad E- *4. Reg. 20.*
zechiam, orationem tuam, & vidi lachrymam tuam. Euidentior visus auditu est, lachrymæ enim sunt testes doloris. Hæc sunt arma, & inimica dæmonibus, & inuincibilia mundo, & nobis tutela contra carnis domesticum hostem. Hæc arma, hæc brachia qui spreuerunt, & intumuerunt per superbiam, contra fluctus elisi sunt, & deiecti. Vnde Dauid in planctu super Saul & Ionatham
imprecatus est, dicens: Montes Gelboë, nec ros, *2. Reg. 1.*
nec pluuia veniant super vos, vbi ceciderunt fortes Israel, quia ibi abiectus est clypeus Saul. Ionathas in excelsis tuis interfectus est. Saul & Ionathas prælatos significant, qui idcirco in Gelboë perire dicuntur, quia in ea, id est, propter eam, & notat superbiam, abiectus est clypeus fortium, id
est, patientia, qua vincere in bonum nequitiam *Rom. 12.*
debuerunt. Vnde satis egregiè quidam versificator ait:

Nobile vincendi genus est patientia, vincit
Qui patitur, si vis vincere, disce pati.

Et no-

Et notandum quòd mons Gelboë superbiam significat. Dicitur enim coaceruans, vbi subaudi
Rom. 2. secundum Apostolum, iram Dei in die iudicij: in
Nahum. 1. qua attestante Propheta, omnes impij quasi stipula consumentur. Nihil enim Deo indignius superbia, & illa maximè, quæ nunc scelestissima regnat, prælatorū dicam, an nō potius clericorū? Tu ergo verus Saul, Prælatus mitis & humilis, & Ionathas columbæ donum, in expeditione positus, non extollas cornua sicut taurus, sed innitaris
Eccli. 6. tuorum precibus subditorum, quæ te secum sustollant ad cælum, & fine bono illa, quæ te arctant negotia, concludentur.

De vita & orationibus cuiusdam Reclusæ.

2. QVantæ autem virtutis apud Deum orationes fidelium, & maximè perfectorum exiltant, euidenti miraculo demonstretur; cùm ipse Iacobus Apostolus dicat: Multum valet deprecatio
Iac. 5. iusti assidua. Noui vitæ sanctissimæ mulierem in Brabantiæ partibus, de qua, vt melius credas sequentia, modum vitæ eius compendiosè describam. In breui tugurio lapideo reclusa erat; loricam ferream portabat ad carnem, & super loricam ex setis pilorum cilicium, quo per medium loricæ acriùs pungebatur. Super durissimos cornutos lapides indiscretis temporibus nudis pedibus recumbebat: ter tantùm in hebdomada, pane in dimidia parte mixto cineribus, & pistato lixiuia, in mensura & pondere vescebatur. Hæc plures sibi in orationibus commendatos Domino quotidie suppliciter offerebat, vt eos sua clementia ab omnibus aduersitatibus tueretur. Et audi summæ admirationis miraculum, vt mihi ipsamet

met dixit: In momento, quo cuiusque illorum in orationibus memor erat, defectum virtutis aut gratiæ* ita notabiliter sentiebat, ac si læsionem corporalem in aliquo corporis sui articulo vel membro sentiret. Quapropter certissima comprobatione cognoui, + multos valde à diuturnis tentationibus, periculis, & aduersitatibus eius orationibus fuisse liberatos.

ms. s. b. c. tert. imp. addit si accidisset.

eadem legunt, multos à diutinis valde.

De Psalterijs eidem miraculosè ostensis.

DE hac indubitabile miraculum ab omnibus ferebatur. Filia fuit viri pauperrimi, & cùm puella nondum septenis miro interius feruore spiritus traheretur, rogauit patrem cum lachrymis, vt sibi Psalterium compararet. Cui pater: Vnde, inquit, filia Psalteriũ comparabo, qui vix tibi quotidie panem lucrari sufficio? Mox illa conuersa * supplicitcr ad matrem Christi, orauit, & dixit: O beata Maria mater Christi, da mihi Psalterium, quod pater dare non potest, & ero perpetuò ancilla tua. In hac igitur simplicitatis prece perseuerauit illa per annum, & ecce in somnis apparuit ei beata virgo Maria, ferens, vt ei videbatur, in manu duo Psalteria, & dicens ei: Accipe nunc filia mea ex duobus quodcumque elegeris. Nec mora, vbi cum maximo tripudio elegit vnum, disparente beata Virgine, puella de somnis euigilans nihil inuenit in manibus suis, & illusam se conquerens à matre Christi, flere cœpit vberrimè. Quod vt audiuit pater, † irrisit filiæ, & * consolans eam: Vade, inquit, tantùm diebus Dominicis & Festiuis ad magistram, quæ filias diuitum Psalterium docet, & primò discas legere, & postea B. Maria tibi Psalterium forsitan procu-

3.

ms. s. simpliciter.

Irrisit, pro arrisit, aut corrisit.

ms. s. b. c. tria imp. consolatus.

procurabit. Mira res, quod vbi puella simpliciter accepit, & ad magistram, quæ diuitum filias docebat, venit, Psalterium inspexit, & legit: & sic B. Maria multò miraculosiùs promissum suæ dignationis impleuit. Quod vt viderunt honestæ, & diuites matronæ parochiæ, emerunt puellæ Psalterium, & subsequenti tempore, cùm eam in Christi seruitio alacrem cernerent, & deuotam; eidem iuxta ecclesiam cellulam pro reclusorio locauerunt.

Conclusio. SVstollas ergo Prælatum, amicum, vel proximum tibi commissum orationum iuuamine, & scias pro certo, quia quod illi impendis, tibi ipse rependis: & sis dignior in proprijs exaudiri ex eo quòd dignatus es alijs misereri.



Perfectiores subditi Prælatos in officijs releuent.

CAPITVLVM XXIV.

Fessum regem humeris sustollunt validiores, & ex toto portant.

1. 
MPOSSIBILE est quemquam, fortissimum licet, nequaquam sub magnis & continuis oneribus fatigari. Fatigatorum autem omnium personam gigas geminæ substantiæ Christus Dominus omnium in se suscepit, dicens: O generatio
Mat.17. praua atque peruersa, quamdiu apud vos ero, quam-

quamdiu vos patiar? Et vnde ô pijssime, benignissime, atque præstolantissime Iesu, tam insolitæ, tam amaræ exclamationis in fatigatione sententia. Vtique quia à generatione praua † incorrigibilitate, peruersa incredulitate, tanto tempore detinebaris. Corrigas ergo mores qui subditus es, disciplinis salutaribus erudire. Quasi asinus fortis supponas mandatis Dei humeros ad portandum, & Prælatum fatigationibus fessum in humeris subleuabis. Validiores autem dicuntur hi, qui charismata meliora sectantes, non solùm subesse, sed etiam præesse nouerunt: & hi sunt Officiati, qui vices Prælatorum gerunt, & in hoc ex toto portant. Supportantes, inquit Apostolus, in charitate.

†.i. per corrigibilitatẽ

1.Cor.12.

Ephes.4.

De bona Priorissa mirabiliter ab infirmitate curata.

IN prouincia Sueuiæ Priorissam ordinis Prædicatorum nuper fuisse, Fratrum narratione percepimus, quæ in sancto & perfecto regimine subditarum, membris omnibus fatigata, & contracta iacebat. Priorem ergo Turicensem fratrum Prædicatorum, qui sororibus præerat, occultè priorissa demandans, rogat cum lachrymis se absolui, maximè cùm eum super hoc diu antè rogauerat cùm adhuc sanior esset atque validior, modò verò ita contracta esset, vt nullum membrum præter linguam mouere valeret. Motus autem Prior lachrymis, & inualitudine deprecantis, cùm eam absoluere voluisset, totus conuentus ad pedes Prioris prostratus, rogat, vberrimè plorans, ne absolueret eam à Prioratu; quia se ad obediendum illi conuentus paratum spondet, quamdiu vocem ad verba formanda in præceptis & exhor- 2.

hortationibus ordinis extollere præualeret. Hæc videns Prior, & multum consolatus, & ædificatus sororum verbis, Priorissam eis cum tali inualitudine dereliquit. Deputantur ergo illi sorores quatuor, quæ cibent eam, & componant, ac vertant in lectulo, portentque ad conuentum cùm capitulum esset tenendum. Audit illa culpas, & corrigit, exhortatur singulas ad ordinem seruandum, ordinat & negocia monasterij: nec in aliquo deperit per eam vlli prouidentiæ spirituali, vel etiam corporali. Nec diu posteaquam in tali defectu à Priore relicta est, laboribus compassa sororum, quæ eam humanissimè pertractabant, conuentu quodam die in refectorio comedente, facit se ante altare in Ecclesiam deportari. Secedentibus ergo sororibus, eleuato vultu ad Corpus Christi in pixide, cum lacrymis dixit: Tempus est Domine, vt onere prælationis absoluar & corpore. Sed quia placet tibi sic, vt qualiscumque adhuc gemam & laborem sub onere: rogo te per tuam misericordiam atque bonitatem, vt sororum mearum laboribus parcas, & corpus meum sanitati restituas: vel tibi placeat vt prorsus absoluar. Mira res, ad hæc protinus verba mulier exiliuit in pedes, & sororum conuentui à refecto-
Psal. 50. rio cum decantatione psalmi, Miserere mei Deus, subitò venienti obuia, cùm præ admiratione sorores fugere vellent, inclamat dicens: Priorissa vestra ego sum, nolite fugere. Mox igitur sorores mutata gratiarum actione, pro psalmo, hymnum, Te Deum laudamus, procedentes in ecclesiam decantauerunt.

Exhor-

Exhortatio ad sincerè iuuandum suos superiores.

O Verè digna remuneratio subditorum. Sed heu! quàm pauci sunt, hoc maximè tempore, qui portare velint, & non potiùs portari. Exercent officia, vt quærant quæ sua sunt; non quæ Iesu Christi. Certè Iudas fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat. Et quia infidelis semper infideliter agit, murmurat contra Dominum veritatis, eò quòd passus est preciosum vnguentum super caput suum sacratissimum diffundi. Malè ergo inuidus pietati, assuescit in in peius; & sub vili precio distrahit salutis auctorem. Credis ne Iudam officiatorum aliquem imitari? Ne dubites. Subtrahunt nonnulli tales Prælatis, subtrahunt fratribus, subtrahunt & egenis, & sua implent marsupia. Et, si cupidi sunt honoris aut gloriæ, studēt interim parcitati, donec aliqua dignitas pateat, quam, mediante Simone, consequantur. Nec in hoc tantùm diei sufficit malitia sua, sed & si locus occisionis fuerit, surgunt in patrem proprium patricidæ, sicut Iudas in Dominum, & per complices clam corruptos, si qua fortè vel pauca sunt, sinistris accumulāt grauiora: &, vbi hæc inueniri non potuerint, fingunt mendacia, & per hæc sacramento firmata deuorant innocentem, vt pro eo regnent, aut hypocritam regnare faciant, per quem exercere & facere possint quod intendunt. Hæc plerumque patenter: &, si quando latenter possunt, hoc faciunt, ne in suspicionem malignitatis veniant aut doli. Sed absit vt frustretur sententia veritatis, qua dicitur: Nihil opertum, quod

3. Phil. 2. Ioan. 12. Isa. 21. Ioan. 12. Mat. 6. Iob 34.

Luc. 12. quod non reueletur, nec absconditum, quod non sciatur. Quod patuit in Iuda, qui suspensus crepuit medius: & diffusa sunt omnia viscera eius. O nostri temporis Iuda, non credis pati similia? Minimè dubites. Ad modicum dissimulare potes nequitiam, sed non in longum. Accedet citiùs vltra quàm credere potes, pertinenter aut impertinenter occasio, per quam non tantùm ista malignitas integrè pateat: verùm etiam inuerecunda vulgaris audacia, veris adijciens nefanda feraliter, vt per fas & nefas in ore indifferenter omniũ abominabilis habearis. Nec confidas famæ antea forsitan habitæ: Absalon enim, etsi pulcherrimus in omni Israel: prò eo tamen quòd nisus est contra patrem, suspendio iugulatus, triplici hasta* confossus est. Caue ergo & tu, ne hasta fœdæ conscientiæ, hasta turpis infamiæ, hasta gehennalis pœnę postmodum transfigaris. Horum tot exempla quot regna: è quibus vnum referam euidens iuxta propositum.

Act. 1.


2. Reg. 14.
2. Reg. 15.
Ibid. 18.
ms. p. addit turpiter.

De quodam famulo proditore, & dira eius punitione.

4. ERant in Flandria, sicut presbytero quodam terrę illius narrante cognoui, duo viri diuites, qui contra se grauiter inimici, oportunitatem quærebant quomodo vnus alterum caperet, vel necaret. Erat autem quidam nequissimus, qui vnius seruus fuerat, & nunc alteri seruiebat. Ad illum ergo cui olim seruierat ille veniens, conquestus est de Domino, cuius ad præsens seruus erat: sibique dixit fore perfacile, vt eius manibus illum tradat. Qui gauisus, continuò pactus est pecuniam illi dare, & spopondit, & exinde nacta

opor-

oportunitate, dominum ſuum tradidit in manus inimici. Quo occiſo, venit proditor ille ad amicos partis aduerſæ, & ſimili dolo tradendum illis obtulit occiſorem. Credebat enim ſcelus proditionis in primo, omnibus, niſi ſolis illis cum quibus pactum inierat, latuiſſe. Sed non ſic erat. Comprehenſus ergo ab illis quibus tradere voluit occiſorem, oblatus eſt iudici, & ſuſpenſus turpi morte necatus eſt: ſed ſcelus eius facto poſtmodum claruit turpiori. Amicorum enim precibus patibulo deponi permiſſus, in terra ſepultus eſt. Nec mora, die ſequenti, cùm de nocte ſepultus fuiſſet, ignoti canes multis videntibus extraxerunt eum, & membratim inter ſe miſerabiliter diſcerpſerunt. Luc. 22.



Quòd ſubditi in morte boni Prælati iure triſtentur.

CAPITVLVM XXV.

Regem ſi mori contigerit, triſtis populus circa eius funera glomeratur, ſpectanteſque exanimem, lugent: & tunc niſi ſubueniatur eis, fame moriuntur.

REVOLVAS textum veteris & noui teſtamenti, aliarumque gentium libros, non inuenies in geſtis filiorum hominum tantum piaculum, quale nunc in apibus vides; 1. *De affectu patrum in filios, & contrà.*

des; quòd filij pro parentibus mortis dispendium incurrerunt: nisi quis fortè patrem; aut quod minus est, amicum vindicare volens occisum aut læsum, mortem incurrerit malè cautus. Patres autem pro filijs: viros pro feminis, & econuerso sæpe inuenimus. Luget Isaac matrem: Ioseph luget &
Gen. 24. Gen. 50. ibid. 37. 2. Reg. 18. patrem. Optauit Iacob filium sequi lugens ad inferos; Dauid mori pro Absalon: sed filium pro patre mori velle, vel mortuum, non inueni. Quare autem hæc pietas conuertibilis non existat, vt sicut parentes pro filijs; & filij pro parentibus moriātur? Notari hîc quidem potest humanæ naturæ corruptio, nisi fortè iuxta quosdam illum naturæ ordinem inducamus, vbi videtur humor de radice arboris in ramos extendi, sed non de ramis humorem ad radicem æquali mensura reciprocari.

De affectu martyrum erga Christum.

2. SPiritualiter tamen filios pro patre mortuos legimus, cùm gloriosos Martyrum populos, pro Christo, regeneratore omnium, vsque ad pœnalissimas mortes sanguinem cernimus effudisse. Hac
Psa. 115. morte, iuxta Prophetam, nihil credimus pretiosius his, qui Christum adhuc, reciproca dilectione, in suis intimis complectuntur.

De harpyia aue, & eius mysterio.

3. Libr. 5. DE hoc & in libro de natura rerum, figuratè valde scribitur. Harpyia auis quædam est in deserto Indiæ, in loco, qui Strophades dicitur, iuxta mare Ionicum, rapinis ferè semper insatiabilis. Faciem hominis habet, sed in se nihil

virtutis

virtutis humanæ. Nam ferocitate depredatur, inſanit, & graſſatur vltra humanum modum. Hæc auis primum hominem, quem viderit in deſerto, fertur occidere. Inde cùm fortuitu aquas inuenerit, & faciem ſuam in aquis fuerit cõtemplata, mox ſui ſimilem hominem ſe occidiſſe perſpiciens triſtatur non modicè, & hoc aliquando vſque ad mortem: vel ſaltem plangit mortuum omni tempore vitæ ſuæ.] Quid auis iſta crudelis,
niſi genus humanum ſignificat? quod belluina *Gen.4.*
quidem ſemper ab ipſo mundi exordio inuicem ſibi ferocitate inſaniuit, & graſſatum eſt, atque ad hoc tandem flagitium immane peruenit, vt omnium creatorem Deum, ad ſui redemptionem in deſertum ſeculi huius, ſuſcepta forma hominis, venientem deſpiceret, & occideret Saluatorem. Quis ergo homo tam crudeliter inhumanus, Dei filium, hominem inter homines, & propter homi-
nes factum, & à ſe, * & ſui cauſa peremptum, in *ms.p.s.2.*
ſcripturis ſanctis, velut in lucido ſpeculo proſpi- *imp, id eſt,*
ciens, non horreſcat, & totis viſceribus compaſ- *loco (&)*
ſus occiſo, non commoriatur mortuo, vel irremediabilibus lacrhymis eum quotidie non lamente-
tur? Vnde Iob: Viſitans, inquit, ſpeciem tuam *Iob 5.*
non peccabis. Et Paulus ad Hebræos: Recogita- *Heb. 12.*
te, inquit, eum, qui talem à perſecutoribus ſuſtinuit aduerſus ſemetipſum contradictionem. Si *2.Cor. 1.*
fuerimus ſocij tribulationis, erimus & conſolatio-
nis: Si compatimur, & conregnabimus. *Rom.8.*

Exhortatio ad moriendum pro Christo.

EXeamus ergo ad eum extra caſtra, impro- *4. Heb: 13.*
perium eius portantes. Dicas cum Dauid:
Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ re- *Pſal.115.*
tribuit

tribuit mihi? & consultu interno respondet: Calicem salutaris, id est, Iesu, accipiam, & nomen Domini Christi ad meam sufferentiam inuocabo. Quis enim ex se ad hoc idoneus? O felicem hominem vicem Christo reddere cupiẽtem! O beata mors, & pretiosior omni vita! O anima in morte te febris excutiet morosiùs cruciando, & ictum splendentis gladij pro Christo momentaneum

Sen. ep. 24. formidabis? Exul viuo, graue me corporis mei pondus adstringens, alligat] etiam fortuna felix infelicissimè contabesco: & non beatum me putabo, vbi tali morte functus eripiar? Moriar, desi-

Ibid. Idem ep. 30 nam ægrotare posse, desinam alligari posse, desinam mori posse. Mortem ergo vt nunquam timeas; beatã semper exopta. Magna res est, & diu discenda, cùm hora illa ineuitabilis venerit, æquo animo abire. Viuere noluit, qui mori non vult.

or. excipit. Apud Sen. in pro. Venientem mortem nemo hilaris* accipit, nisi qui ad illam diutiùs se præparauerit. Et reuera, vt dicit Seneca: Honesta turpitudo est, mori pro bona causa. Et ego dico: Honestissima pulchritudo est, mori momentaneè, vt semper viuas; viximus enim, vt moreremur. Sed quo fine vi-

Rom. 10. uendum est? Finis autem legis est Christus, & maximè legis mortis, ad iustitiam omni credenti. Neque enim dignus est aliquis beata morte, nisi vitam desiderando futuram vehementer exoptet.

De viro, qui Christo compatiendo obijt.

5. QVid autem in exemplum huius materiæ contigerit referamus sicut à fide dignis accepimus. Circa annum ab incarnatione Domini M.CC.XVI. quidam vir fidelis & bonus de oppido

pido Dinantheo mare transijt: & ingressus terram sanctam loca singula in quibus pedes Domini stetisse quibusdam indicijs ferebatur, multa deuotione & lachrymis visitauit. Cumque venisset ad locũ Caluariæ, vbi redemptorem nostrum audiuit mortis angustias, & crucis supplicium pertulisse, grauissimis suspirijs ingemiscens, cum clamore valido & lachrymis dixit: Quid tibi benignissime Domine, quid, inquam, tibi Christe retribuam pro omnibus, quæ priùs amator amabilis mihi mirabiliter tribuisti? *Psal. 115.* Vidi priùs loca, in quibus natus, & inter homines conuersatus, doctrinam Euangelicam prædicasti, & deitatis tuæ indicia per miracula demonstrasti. Hæc quidem, ob amorem & reuerentiam tui, sincero corde complexus sum: hunc verò locum passionis & mortis tuæ æquo animo videre non possum, vbi clauis crucifigi, terebrari lancea, & animam pro nobis tradere voluisti. Hæc vt beatus ille perorauit, exclamans, ruptis vitalibus cordis venis, spiritum exhalauit.

Crux reperta in osse pectoris fratris Voluandi Prioris Prædicatorum Argentinensium.

SEd & de fratre Voluando, Priore ordinis 6.
fratrum Prædicatorum in Argentina, ciuitate Theutoniæ, rem præcipuè mirabilem & deuotam proprijs oculis vidi. Hic, vt fratres mihi testatissima veritate narrauerunt, semper ferè, siue gradiens, siue stans, siue sedens, pollice signum crucis in pectore depingebat. Contigit autem, vt Maguntiam veniens, infirmitate decumberet, & ingrauescente morbo, cum mira alacritate spiritus

ritus moreretur, & apud fratres Minores ibidem ſepeliretur. (Nondum enim fratres Prædicatores in eadem ciuitate locum habebant.) Quo audito, fratres Prædicatores Argentinenſes duos fratres pro Prioris ſui defuncti corpore, Maguntiam direxerunt, ſed fruſtra, quia fratres Minores ſepultum reddere noluerunt. Contigit autem poſt annos paucos, vt fratribus Minoribus ad locum alium tranſeuntibus, fratres iterum Prædicatores de Argentina duos fratres in Maguntiam, pro dicti Prioris corpore, deſtinarent. Qui ſine contradictione aſſumptis oſſibus in Argentinam proſperè redierunt. Quid plura? Oſſa fratres diligentiùs abluentes, os pectoris cui ex vtraque parte cohærent coſtæ ſuperiùs, inſignitum cruce operoſiſſima repererunt, & hoc quaſi ſcutum cordis interius. Erat autem crux (vt ipſe ad hanc videndam quadraginta miliaribus laboraui, & lætis vidi oculis meis) in oſſis medio, ex ſubſtantia oſſea ad ſpiſſitudinem euidentiſſimam eleuata, tribus ſuperioribus brachijs æqualis longitudinis, & inferiori brachio decentiſſimè longiori: extremitates verò trium brachiorum ſuperiorum inſtar repandi lilij recuruatas, & brachium inferius, quaſi trunco deberet infigi, exacuatum habebat. Quid igitur in ſigno corporeæ crucis in oſſe pectoris, niſi mortis Chriſti in mente priùs habita ſtigmata paſſionis? Et quid in folijs repandi lilij in crucis extremitatibus deſignatur, niſi mundiſſimæ caſtitatis inſigne, quod cum memoria mortis Chriſti fundatiſſimè fixum gerebat in carne?

De

De puella stigma Christi ferente in latere.

NOui secretiùs in Brabantiæ partibus prærogatiuæ sanctitatis puellam, de qua per veridicos fratres ordinis Prædicatorum manifestè probatum est; quòd per assiduam meditationem passionis & vulnerum Christi, in latere eius vulnus ingens per plures annos apparuerit, & de ipso vulnere sanguis ferè continuè in magna quantitate profluxerit. Cuius quoque sanguinis particulam, ad euidentiam tanti miraculi, vidimus diu in vitreo vase reseruatam, nec coloris mutasse speciem, vel odoris. 7.

Imago Christi in corde viri reperta.

AD idem, de quodam prope nostra tempora martyre, veridica relatione suscepi; quòd cùm captus cuidam gentili tyranno seruiret, & ille eum honestissimè tractaret: martyr autem semper gemebundus incederet, miratus tyrannus, causam quærit tristitiæ, & quare cum seruis alijs non gauderet. Cui martyr: Cum alijs, inquit, non gaudeo, sed semper tristis incedo: quia memor mortis Dei mei, continuè in corde meo eius passionis stigmata porto. Hoc, mox vt tyrannus audiuit, grauiter indignatus: & ego, inquit, experiar quæ dixisti. Nec mora, exemptore vocato, iubet, aperto pectore martyris, cor eius euelli, & per medium cultro secari. Vbi statim, mirante tyranno cum suis, res miranda conspicitur; quia pro sigillo pars vna cordis, & pro impressione pars cordis altera crucifixi Christi imaginem continens, reperitur. Quo viso, tyrannus 8


rannus mox credidit, & cum suis omnibus sacrum baptisma suscepit. Quid mirum? Olim per

Isa. 53. Prophetam Christo fuerat repromissum: Si posueris, inquit, pro peccato animam tuam videbis semen longæuum, & in manu tua voluntas Domini dirigetur. Quid est semen longæuum; nisi Christianum nomen vsque in consummationem seculi dilatatum? Et quid est, in manus filij, patris voluntatem dirigi; nisi fideles quosque cōuersos ad fidem, operibus bonis insistere, & ad regnum pertingere, quod non habet finem.

Conclusio. REgem ergo, bonum scilicet Prælatum, si vos apes fidelium habere, & mori eum contigerit: iure vos tristari nemo sapientium reprehendet: immo potiùs in boni Prælati morte gaudentes, etiam scelestissimi quique, quasi peruersos & nequissimos condemnabunt. Hæc de regibus apum, hoc est prælatis fidelium dicta sufficiant: nunc autem, vt gratiùs ad apum populos transeamus, pausationis modicæ interstitio respiremus.

Finis libri primi.





THOMÆ CANTIPRATANI BONI VNIVERSALIS DE APIBVS,


LIBER SECVNDVS.

In quo respublica apum, quoad plebem seu inferiores, stupendis miraculorum, & historiarum memorabilium exemplis mysticè declaratur.

AVCTORIS PRÆFATIO.

Omnis Ecclesiasticus ordo sub diuisione triplici, in Episcopis, in Presbyteris, & Clericis ordinatur: & hi omnes vnum principem, Papam Romanum habent. Sic & in fidelibus laicis, ecclesia tota orbe diffusa, sub Imperatore Romano, in Principibus, militibus, & plebeia multitudine congregatur. Sed de his supersedere disponimus, nisi fortè incidenter aliqua se obtulerint prosequenda. Dicit ergo textus in principio, qualiter ordo monasticus, sicut & in præcedentibus patuit, distinguatur.

In tri-



In tribus diſtribuuntur ordinibus Apum plebes.

Sic & omnis conuentus monaſticus, ſub trina diſtributione, ſcilicet officiatis, clauſtralibus, atque conuerſis, ſub vno capite, Prælato, quaſi ſub rege apes commodiùs adunantur.

De primo hominum genere in monaſterijs degentium, nempe de Officiarijs.

CAPITVLVM PRIMVM.

Pars autem prima illarum eſt, quæ matres, & emeritæ ſunt, ceteriſque maiores exiſtunt: iſtæ autem officijs ſingulis & operibus præſunt.

1. HÆc prima pars Officiatos in clauſtris cum ſenioribus ſignat, & hoc ibi, vbi matres emeritæ nominantur. In matribus affectus oſtenditur, qui in Prioribus & * Supprioribus officiatis tantò fructuoſiùs generatur, quantò ex charitatis radice erga ſubditos fundatior inuenitur. Vnde in Paulo, non tantùm patris, ſed etiam matris affectum, quæ teneriùs diligere ſolet, obſerua. Ait enim: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Tales matres ſunt, quibus glorio-

2. imp. ſuperioribus.

Gal. 4.

gloriosus pater Augustinus in regula sua præcipit, dicens: Suscipiat, inquit, infirmos, consoletur pusillanimes, patiens sit ad omnes.] Verè beatus animus in Prælato, qui se omnium animis subditorum, pietate compatiens, inclinaret. Hunc Paulus euidenter ostendit, dicens: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Propterea emeritos dicimus seniores, qui emeriti, id est, supra meritum aliorum esse dicuntur: quia cæteris, auctoritatis reuerentia, maiores existunt. Hi dicti sunt per Prophetam populi graues, in quorum maturitate singulariter Deus, & totius religionis norma laudatur. Hos signant & viginti quatuor seniores quicumque illi sunt, qui in Apocalypsi citharas spiritualis iocunditatis habentes, sedentem in throno, in phialis deuotæ orationis adorant, & ante pedes agni coronas offerunt meritorum; nihil se habere penitus cognoscentes, nisi quod dispensatione incarnati verbi, secundum misericordiam, non secundum meritum, acceperunt.

Aug. in regul. c. 40.

2. Cor. 11.

Psal. 34.

Apoc. 4. & 5.

De Otthone optimo Priore Sancti Matthiæ iuxta Treuerim.

2. VIdi virum sanctum & bonum, qui de numero emeritorum rectissimè dici potest, & potuit quamdiu vixit. Fuit in monasterio sancti Matthiæ Apostoli iuxta Treuerim monachus quidam, Ottho nomine, qui quadraginta annis, & eo ampliùs, Prioris loco deseruierat in conuentu. Primus semper ad omnes horas, primus ad matutinas de nocte surgebat: nullo vnquam in choro die, vel nocte, appodiamento sedium vteba-

vtebatur: nunquam ſedit aut iacuit, ſed erectus ſemper ſtans, ad cælum, mente, membris, & oculis, nitebatur: quod in ſede eius condenſata puluere, euidentiſſimè probabatur. Rarus & breuis in colloquio, in ſtudio frequens, ceterum temporis in orationibus, aut meditationibus expendebat. Vt autem necèſſarijs fratres non egerent, miram conuentus curam habebat, & per hoc eos ad regularem obſeruantiam fidentiùs compellebat. Circa adoleſcentiores validiſſimo zeli feruore vigebat, vt eos inſtitueret moribus, & ab illecebris carnis, alijs impeditos arceret. Hic vſque ad præcedentem diem mortis ſuæ, per ſex dies, occultè conuentum ſuum cum acuta febre ſecutus, in infirmariam deportatus eſt. Quod vt percepi, veni cum phyſico viſitare iacentem, quem vt vidit phyſicus, aduertit ſenem, debilitate nimia, & abſtinentia fatigatum, & inanitum: præcepitque ſtatim occidi pullum, cùm tamen eſſet quarta feria ante Paſcha. Et mox Prior, auerſo vultu cùm renueret, dixit ei: Non te competit ſine periculo animæ tuæ, id eſt, peccati mortalis, contradicere phyſico, dummodo præcipiat quod poteſt fieri licitè cum iure ſcripto. Tunc ille placido vultu Domini, inquit, voluntas mecum fiat. Nec mora hoc dicto extendit pedes & manus in lecto; & eleuatis ſurſum oculis, exſpirauit.

Renuit cōedere carnes ex conſilio medici in quadrageſima.

De fratre Ioanne Prædicatore celeberrimo Bononiæ qui ſeptem mortuos ſuſcitauit.

3. QVid autem dicam de illo beatiſſimo viro fratre Ioanne, ordinis Prædicatorum in Bononia; qui tanta miraculorum gloria refulſit prob

Hic eſt Ioa. Vincētinus, vt conſtat

probatur; vt nulli antiquorum Sanctorum in hac parte inferior esse credatur. Inter cetera enim innumerabilium miraculorum, septem euidentissimè probatum est mortuos suscitasse. Et credo (saluo meliori iudicio) quòd hæc per eum in tanta gloria omnipotens ordinauit, vt hæretica prauitas, quæ miserabiliter partibus illis inualuit, confundatur: necnon etiam vehementer opinor, vt ordo Prædicatorum, qui nuper ibidem oriri, quasi clarus horizon incœperat, in totum mundum plenius coruscaret. Hinc est quòd de ipso beatissimo viro pauca, sed solemniora miracula scribere cogitaui: quæ quidem testatissima veritate per totam Lombardiam probata sunt & vulgata.

ex Leandro l. 5. & Anto. Sen. in chron. decade 1. & 2. vbi vocat Ioan. Vinciū & Vincentium.

Quomodo equum insolentem domuerit, vt, quotiescumque eum conscensurus erat, genua flecteret.

4

IGitur, cùm dictum venerabilem fratrem Ioānem miraculorum gloria & opinio solemnis hominum extulisset, populus innumerabilis prædicationem eius quotidie sequebatur; ita quòd pedes ambulare non posset; cùm vnusquisque ferè eum tangere, vel partem vestimentorum eius pro benedictione rapere niteretur. Ergo cùm in quadam villa, cōgregato innumerabili populo, prædicasset, & pedes exire nullatenus potuisset, mādauit cuidā Præposito vicino; vt ei equum ad transeundum in villam aliam transmitteret. Remandauit ergo ei dictus Præpositus, quòd nullum equum haberet, nisi illum, qui neminem sessorem reciperet, nisi se proprium dominum, vel eum, qui equi curam gereret ex antiquo. Vt ergo nnncius

hæc

hæc retulit sancto fratri, renunciat Præposito, vt equum sibi quantumcunque transmitteret insolentem. Fauet igitur Præpositus, transmittit equum ferè omni belua crudeliorem. Nec mora, vt vidit vir beatus frementem acerbiùs, fronti illius crucis charactereḿ imprimit, dicēs: Mitiget te Christus princeps pacis. Mira res, stupendum miraculum. Mox spectante omni populo equus in mansuetudinem versus, flectit genua, & dorsum habilitat ascendenti. Mirante populo ascendit frater, & omnibus valedicens, properat ad optata, equumq́ue remittit Præposito; sed mansuetissimum velut agnum. Præpositus verò factum interim, vulgante fama, perceperat, equumq́ue remittit dicto fratri, in hæc verba demandans: Absit à me, vt ego indignus equum ascendam vlterius in quo Deus tantum miraculum demonstrauit: vos autem illo, vt vobis libet, vtamini. Ex illò ergo die vsque in longum tempus & annos plures sanctus Frater equo vsus, nec illum vnquam ascendit quin equus genua flecteret ascensuro.

Idem fecit S. Fortunatus Tudertinus episc. Greg. l. 1. dial. c. 10.

De honore ei à Bononiensibus exhibito, & calumniosa ob hoc apud Pontificem delatione, qui ei excommunicationis fulmen cogitabat inferre.

5. QVodam tempore moram fecerat dictus frater in proxima regione, prædicatione & miraculis villas & ciuitates illustrans. Vt autem ciuitas Bononiensis approximantem audiuit, occurrit ei nobilium & magnatorum, ciuium, & populorum innumerabilis multitudo: qui nescientes aliquid maioris honoris impendere, pannum sericum in quatuor hastis supra sanctum virum in magno

magno laudis iubilo deportabant. Nec erat reniti facto, nec hęc facientibus inhibere, cùm frequenter in talibus ratione careat obsita multitudo. Hęc vidit diabolus, & inuidit, instigatque quemdam nefarium, qui hæc Gregorio Papæ velocissimè nunciaret; addens, quòd se frater Ioannes pro Apostolico gereret, qui equo albo incederet, & super se pannum sericum faceret deportari. Mox Papa citiùs quàm decuit verbis credens, demandat Cardinalibus ac Prælatis, qui tunc aderant in vicino, vt ad curiam conuenirent. Quibus præsentibus refert Apostolicus quæ audiuit, nititurque in dictum fratrem Ioannem excommunicationis sententiam promulgare. Aderat autem tunc sanctus Mutinensis Episcopus, qui domino Papæ coram omnibus dixit: Non decet, Pater sancte, in talem virum accelerare sententiam, nisi priùs ea, quæ narrata sunt, diligentiùs inuestigata fuerint & probata. Cui Papa: Mihi satis constant quæ dicta sunt, nec vllo modo à ferenda sententia retardabor. Quod vt vidit dictus Mutinensis Episcopus, rogat coram omnibus sibi textum Euangelicum exhiberi: positisque tribus articulis super textum, dixit: Iuro in hæc sancta verba, quòd proprijs oculis vidi, dum frater ille Ioannes, de quo sermo est, prædicaturus in populo exedram ascendisset, quòd Angelus Domini de cælo descendens, crucem auream fronti prædicantis infixit: & addo, quòd hæc nulli hominum reuelassem, nisi se casus iste ad euitandam verecundiam domini Papæ, & sanctæ curiæ Romanæ, & excusandam innocentiam sancti viri, casus, inquam, tam necessarius obtulisset. Ad hæc igitur verba in lachrymas effu-

sus Papa mitigatus est, & missis nuncijs in Bononiam relationem falsissimam comprobauit.

Quomodo vinum è dolio effusum, integrè restituerit.

6. VEnerabilem Reginaldum Abbatem quondam Blesensem narrantem audiui, quòd dictus frater Ioannes opidum quoddam intrauerat,& occurrit ei ac sequebatur infinita hominum multitudo. Quem vt transeuntem vidit mulier, quæ in cellario stabat,& vinum trahebat è dolio, cum clepsedra in manu oblita, in plateam cucurrit,& auidis oculis sanctum virũ non modico spacio properantem inspexit. Vt ergo ad se retraxit oculos, inuenit clepsedram in manu sua, currensque ad dolium, totum vinum per cellarium effusum vidit. Consternata ergo vltra quàm credi posset, quia virum suum crudelissimum exhorrebat, cucurrit post seruum Dei: & apprehenso pede eius, cum clamore valido & lachrymis narrat euentum casus, & quantum sibi ex hoc, ex crudelitate viri, periculum immineret. Tum frater compatiens mulieri, benedixit illi: & præcipit, vt reuertens, in Domino secura mente confidat. Mirare lector quod gestum est. Reuertitur mulier ad cellarium, dolium totum repletum inuenit, siccam aream cellarij, nec in sola gutta vini solo tenus humectatam. Ad euidentiam autem tanti miraculi, ipsum dolium in fronte ecclesiæ dictus Abbas, à quo hæc percepi, suspensum vidit.

De

De aquila, quæ eum, quocumque pergeret, sequebatur.

IDem qui suprà Abbas venerabilis, aliud mihi retulit, quod ipse vidit. Arabat rusticus in agro, aquilam eminus vidit in cespite quiescentem: Expecta, inquit, expecta, ó aquila, adiuro te per fratrem Ioannem, & te captam ipsi sancto viro statim, reducto aratro, præsentabo. Nec mora, rusticus reducto aratro, expectantem aquilam accipit, & sancto viro, quasi mansuetissimam præsentauit. Hanc aquilam dictus venerabilis Abbas sequentem beatum virum vbicumque locorum ibat, vidit, & de villa ad villam post eum per aëra volitantem. Vbicumque in populo editiori loco stans conuenientibus prædicabat, aquila iuxta eum captabat locum. Et finito sermone, mox vbi populo benedixit, alas aquila cum mirabili tripudio eleuabat, & frequentibus motibus aëra concitabat; quasi per hoc suo modo benediceret creatorem. 7.

Quomodo serta rosacea, quibus populus coronabatur, excommunicarit, & effectu mirabili subsecuto.

QVidam frater ordinis Prædicatorum de Dacia, Nicolaus nomine, mihi retulit quæ narrabo. Erat idem frater auditor legum in Bononia adhuc in seculo constitutus, cùm hæc vidit quæ retulit. Stetit frater Ioannes, & concurrenti ciuitatis populo prædicabat. Vidit autem: & doluit, & vidit quòd sertis ex rosis totus ferè circumsidebat populus coronatus. Finito ergo sermone, dixit omnibus: Pudeat membra fidelis populi rosis aut floribus sub spinato Christi capi- 8

te coronari. Et addidit: Excommunico ſerta roſarum, non populum, ſed ſerta, quibus ille vtitur in peccatum. Deſtitit ergo populus à maiore vſque ad minimum portare ſerta: nec fuit aliquis, qui auſus fuit tranſgredi verba ſancti. Poſt nonnullos verò dies nuptiæ celebrabantur in vrbe, aderat & puer iunior, qui ſertum ex roſis tantùm portabat in manu. Quod vt vidit adoleſcens quidam ſuperbus & accuratus, rapuit ſertum ex manibus pueri, & contumax poſuit ſuper caput. Nec mora, flamma edax ſertum inuaſit: & antequam illud adoleſcens deponere poſſet, omnes eius capitis crines exuſſit. Conuerſus ergo populus in ſtuporem, ſancti viri verba timere didicit, & in factis eius Dominum per omnia benedixit.

Quomodo in eleuatione corporis S. Dominici ſubitò à pedibus ad caput, ſemel, iterumq; tranſlatus ſit.

9. PRæterea fratre ordinis Prędicatorum narrante cognoui; dictum fratrem Ioannem venerabilem eleuationi corporis Dominici cum ceteris fratribus in Bononia interfuiſſe. Poſito autem quodam Epiſcopo Cardinali ex parte capitis in eleuatione corporis ſacri, dictus frater Ioannes poſitus eſt ad pedes. Et ſubitò facta eſt mirabilis & inexcogitabilis conuerſio; vt ipſe frater ad caput, Epiſcopus verò ad pedes ſubitò videretur. Repoſitus eſt autem Epiſcopus ad caput & frater ad pedes; iterumque ſubitò conuerſio facta eſt, ſtupentibus vniuerſis. Quis autem dubitat, in hoc facto ſancti viri merita diuino iudicio placuiſſe, qui eum in digniore parte corporis ſacri Epiſcopo prætulit collocandum?

Quòd pica (res propè incredibilis) ei responderit de ventre, qui eam comederat.

VVlgatissimum miraculũ referebatur sub anno incarnationis Domini M. CC. XXXI. 10.
Pica erat in domo hospitis, qui sanctum virum recipere solebat, quæ humana verba loqui docta, sanctum virum præcipuè diligebat. Seruus autem quidam in domo clam picam occidit, clamque comedit. Introgressus ergo vir sanctus hospitium, clamauit ad picam: Vbi es nunc amica mea, vbi es? Nec mora, de ventre comedentis respondit: Assum, assum. Mirantibus omnibus, vulgatum est verbum, concurrunt populi, de ventre comedentis pica diebus plurimis loquebatur.

De fratre Petro Prædicatore in Hispania, cuius meritis innocenter damnatus liberatus est, & mulier triduo mortua resuscitata.

QVid etiam & nunc dicam de quodam fratre Petro, ordinis Prædicatorum in Hispania; cuius meritis, mulier triduana mortua, suscitata est. Erat clericus receptor fratrum, qui vxorem bibulam habebat, per quam sæpius grauabatur. Accidit ergo, vt manè mortua inueniretur, & imponeretur viro, quòd eam vespere suffocasset. Captus igitur, triduo detinetur, & tandem iudicatur ad mortem. Facta ergo fossa in terra, deponitur viuens inferiùs, & mulier mortua desuper, secundum patriæ leges. Dixit ergo vir, audientibus omnibus: O frater Petre, qui mihi in vltimo cùm præsens esses, te facturum, 11.

quod peterem promisisti, adesto nunc mihi tuis meritis innocentissimè condemnato; & certus sum, quòd idem absens potes quod & præsens. Mira res, mox, apertis oculis, resedit mulier mortua; & omnibus audientibus dixit: Orante fratre Petro ad vitam reuersa sum, vt viri mei innocentiam demonstrarem. Quo dicto, soluitur vir, & accepta vxoris manu, ad propria remeauit. Hic idem frater Petrus tres alios præsentialiter mortuos in Hispania suscitauit, exceptis alijs maximis miraculis, quæ quasi innumerabilia fecisse narratur.

De Conrardo Prædicatore Louaniensi aliud exemplum.

12. VIdi & alium virum emeritum, Conrardum nomine, in ordine Prædicatorum apud Louanium, vita & animarum zelo * feruentissimo gloriosum. Quem cùm audissem mori, veni ad locum, vbi mutus & quasi sui nescius decumbebat. Appropinquante igitur hora decessus, contra spem omnium, oculos eleuauit & manus, & cum lætissimo vultu intuitus crucifixum, dixit: Educ de carcere animam meam, vt confiteatur nomini tuo Domine: & cùm tertiò hoc dixisset, demissis oculis expirauit.

** *al. imp. feruentissimū, doctrinaq́; gloriosum.*

Psal. 141.

De fratre Seruatio Prædicatore item Louaniensi.

13. VIdi & alium eiusdem ordinis in eodem loco, Seruatium nomine, dilectum valde mihi, & in amicitia specialem. De isto beatissimo & emerito valde viro, fratres, qui cum eo in ordine Prædicatorum triginta quinque annis fuerant conuer-

conuersati, veritate testatissima referebant, quòd in tanto temporis spatio, ex quo intrauerat ordinem, nunquam fratrem, nunquam hominem ex sua culpa, aut incuria perturbasset. Humilitatis & mansuetudinis tantæ fuit, quantæ nunquam hominem meminerim me vidisse. Compassionem verò & caritatem erga proximos miram & vehementem habebat. Hic mortis exitui, debilitate corporis, appropinquans, oculis & manibus, cælestibus inhiabat. Cùm autem à fratre quodam rogaretur, vt sibi super statu pacis suæ conscientiæ responderet, dixit humiliter & deuotè: Pax certa & firma est inter me, & nostræ salutis auctorem: nec vllo modo diutiùs ab eius contemplatione frustrabor.

De fratre Ægidio Prædicatore Gandauensi, quondam canonico Audomarensi.

Vidi & alium eiusdem ordinis optimum virum in Gandauo, Ægidium nomine, qui canonicus apud sanctum Audomarum in Flandria, seculum dereliquit, & Prædicatorum ordinem intrans, tantùm deditus lacrymis, tantùm spirituali lætitia & animarum zelo efferbuisse probatur, vt verè sanctus crederetur & esset: & hoc exitus eius monstrauit. Nam cùm frater suus carnalis sepeliretur in claustro fratrum, marmorque superpositum, malè iacens, deberet corrigi. Sinite, inquit, fratres, sinite, diu non iacebit immotum, manifestè prædicens se cum fratre defuncto sub eodem marmore in proximo deponendum: quod & factum est. Sed & fratre quodam narrante mihi, qui ante ipsum resedit die proxima 14.

moriturum, didici, quòd quærenti sibi, quomodo se sentiret, respondit, dicens: Bene frater carissime, bene me sentio, quia tribus diebus tantùm in purgatorio, hinc exiens, expurgabor, & statim postea per Dei misericordiam ad gloriam euolabo.

De B. Dodone Frisone, qui verbi Dei prædicatione in gente sua plurimum profecit, & pessimam illic consuetudinem sustulit.

15. VIdi & alium eiusdem ordinis virum beatum, valde longæua ætate prouectum, Dodonem nomine Frisonem natione, qui prædicatione sedula, tantum in sua Frisonum gente profecit, vt eam à ferocitate sua plurimùm mitigaret. Ab antiquissimo enim tempore in consuetudinem immanissimam hæc habebant Frisônes: vt occiso homine vnius cognationis ab altera, occisum corpus non sepeliebatur à suis, sed suspensum in loculo seruabatur, & desiccabatur in domo, quousque ex cognatione contraria in vindictam occisi, plures vel saltem vnum aduersa cognatio, pro morte vicaria, trucidaret: & tunc primum mortuum suum sepulturæ debitæ cum magna solemnitate tradebat. Hunc crudelissimum & inauditum morem dictus frater in illa gente remouit, & ad mitiorem statum crebra exhortatione promouit.

De fratre Guillielmo de Militona ordinis Minorum.

16. VIdi & alium eminentis vitæ virum de ordine fratrum Minorum, fratrem Guillielmum de Militona, qui magister Theologiæ Parisijs sanctissimam ac deuotissimam vitam duxit.

xit. Hic cùm die quadam Parisijs prædicaret, per horam obmutuit, & verbum * vitæ resumens, omnibus cum vultu serenissimo valedixit, & sic in pace quieuit.

ms. s. 2. inde. ms. b. c. ter. imp. neutrum habet

De fratre Odone Prædicatore.

17. ALium etiam vidi fratrem ordinis Prædicatorum, Odonem nomine, in iure regentem, virum sanctum & bonum, qui raro volebat comedere, quod seminali fluxu ab animali descenderat, sed olere, vel pisa, corpus sobrium reparabat. Huic, in ingressu ordinis, vitæ suæ terminus reuelatus est, & hunc fratribus certo die ante obitum reuelauit.

De fratre Conrado ordinis Minorum.

18. ITem vidi fratrem Conradum ordinis Minorum, qui minister Theutoniæ, mira gratia præditus fuit, & sanctorum feruentissimus venerator in multis enituit.

De Ioanne canonico regulari in Cantiprato.

19. ALium vidi emeritæ vitæ canonicum in monasterio Cantipratensi diebus vndecim ante mortem, qui Ioannes nomine, cognomento Bonus valetus, vir literatus & bonus, innocentissimam vitam duxit ab annis puerilibus vsque in æuum vitæ. De hoc bono viro mihi sui concanonici referebant, quòd cùm esset Parisijs, & auditor esset beati & magni viri, magistri Petri Cantoris Parisiensis, quibusdam dubitationibus & tentationibus fluctuabat: & supplex super hoc in oratione factus, vidit manifestissimè beatos

De sanctitate M. Petri Cantoris, Cæsarius lib. 12. dial. c. 48. & Iac. Vit. hist. occi. c. 8.

beatos Apoſtolos, Petrum & Paulum; & mox eorum ſolatio, ad ſpem gratioris vitæ meritò confortatur. Hic glorioſiſsimam Chriſti matrem miro feruore complectens, inter cetera, quæ de ea compoſuit, duos iſtos verſus incomparabiles edidit.

Felix mater aue, qua mundus ſoluitur à væ,
Quæ genitricis Euæ væ facis eſſe breue.

De fratre Salomone ordinis Prædicatorum.

20. Vidi & magiſtrum Salomonem, prædicatorem ſolemnem & magnum, qui per totam Theutoniam multa doctrina & miraculis * celebris, tandem pro Chriſto omnia beneficia dereliquit, & in Colonia Prædicatorum ordinem, prolixo valde fatigatus ſenio, introiuit, in quo veluti puer, benignè & humiliter conuerſatus, poſt annos aliquot ſanctiſsimo fine quieuit.

ms. p. s. 2. imp. celebratis.

De fr. Helgero Priore Prædicatorum Friſacenſi.

21. Item & alium nobilem & illuſtriſsimum virum, qui Helgerus nomine, filius potentiſsimi Comitis, in iuuentute poſſeſsiones, caſtra, & multas pro Chriſto diuitias dereliquit, & Prædicatorum intrans ordinem, Friſacenſis Prior effectus eſt. Hic poſtmodum multis ieiunijs, & laboribus fatigatus, præ nimia debilitate eques ire compulſus eſt; ſed tamen aſino vſus eſt pro vectura. Hic ſemel ſtans in prouinciali Capitulo coram diffinitoribus & Prioribus * ſe accuſaturus, audiuit aſinum ſuum hinnitu, vt ſolent, horrido vociferare, & dixit: Ecce fratres, aſinus meus accuſat me, quòd non ſum dignus tenere * Prioris officium,

s. imp. accuſatus.

ms. p. s. 2. imp. Priorátus.

cium, qui inualidus ire pedes, contra ordinem ſubuehor dorſo eius. Hæc vt dixit, nonnullos in riſum, alios verò in lacrymas concitauit. Regere tamen conuentum vt erat debilis, vſque in finem vitæ compulſus, multis poſt mortem, & maximis claruit miraculis.

De fratre Conrado Prædicatore, qui tres viuens mortuos ſuſcitauit.

Fvit ſub eo, & eius tempore quidam Conradus, frater ordinis Prædicatorum, qui inter alia infinita miracula, tres etiam in vita mortuos ſuſcitauit. 22.

De monacho quodam Ciſtercienſi, qui puerum in niue reperit.

Vtrum viderim dubito monachum Ciſtercienſis ordinis, virum pietate plenum, de quo tale miraculum ferebatur. Algore niuium terra Brabantiæ reſperſa per totum, monachus prædictus in itinere exiſtens, præmiſſo in villam famulo, ſolus in campis per deuia veniebat. Et ecce inuenit puerum elegantiſſimæ formæ, quaſi triennem, magno fletu & eiulatu, ſolum in niuis frigore reſidentem. Compaſſus igitur tali puero, equo deſcendit, & complexus flentem, flere cœpit cum eo, & quærere quid haberet. Tacente autem puero, iterum ingeminat, ingemiſcit, quærens vbi eſt mater tua? Numquid perdidiſti matrem? Ad interrogationes igitur illius puer fortiùs eiulans, tandem dixit: Heu me, heu me, quare non flerem, quare non eiularem? ecce vides quòd egens, ſolus, & in frigore ſedeo, & non eſt, qui col- 23.

qui colligat me, & hoſpitium mihi præſtet. Mox monachus ſurgens, & puerum in brachijs eleuans, oſculatus eſt eum; dicens: Ceſſes flere dilectiſſime, quia ad hoſpitium portabo te, & faciam enutriri. Hoc dicens, cum puero equum aſcendere voluit, ſed puer de brachio tenẽtis exiliens, repẽte diſparuit, quia Chriſtus filius Virginis fuit. In terram igitur cadens monachus, eiulare & flere cœpit* acerrimè, & cùm diu ſic eiulans iacuiſſet, tandem quæſitus à ſeruo, inuentus eſt, & eleuatus in equo, ad hoſpitium ducitur. A quo cùm quæreretur cur fleret, nihil aliud vna nocte dicere potuit, quàm: Heu me, puer bone, puer pulcherrime, quare me dereliquiſti? cur tam citò abiſti? cur te perdidi? Poſt hæc monachus conſolationem recipiens, cuidam rei euentum retulit, qui illis, per quos ſciui, tantæ rei miraculum, & piaculum patefecit. Quis enim ſine lacrymis audire poteſt piaculum tale & tantum, quòd filius vnicus patri Deo, Deus exiſtens, hoſpitium in terra quærit, eget cibo, algore contrahitur, & præ abundantia iniquitatis, refrigeſcente caritate multorum, non eſt qui eum recipiat cordis hoſpitio, reficiat patris placiti benefica voluntate, reuoluat & foueat deuotionis ſinu, veſte contegat caritatis.

ms.b.c. ter. imp. vberrimè.

Mat. 24.

De pluribus viris ſanctis generaliter

24. VIdi & multos alios viros, vita emeritos & virtute: quorum alij feruentes ſpiritu, ſaluti proximorum inſtabant: alij in tribulatione patientes, in bono malum ſemper euincere laborabant: alij pio & caſto timore, quaſi tumentes fluctus ſu-

Rom. 12.
Iob 51.

ctus super se Dominum præstolantes, continuis lacrymis insistebant: alij spe gaudentes, & in vita præsenti dulcedinem patriæ cælestis prægustantes, nihilominus felicem mortem in iubilo præueniebant. Certum tamen est lector, nullum ex suis meritis, sed sincerissimè in Domino gloriatum, & eosdem potiùs habuisse inspiratam lætitiam, quàm præsumptam; nec vllum sine horrore dæmonum recessisse. Nullus ergo seniorum emeritorum, vel maiorum nostrorum, de meritis suis, aut vita præsumat; quia diabolum legimus vitæ auctori insidiatum quadraginta diebus & quadraginta noctibus, etiam ieiunanti, & nihilominus, secundum quasdam scripturas, in cruce morienti.

Rom. 12. Heb. 6. 2. Cor. 10. Matth. & Luc. 4. Psal. 21. Mat. 27.



De vigore subditorum in iuuentute.

CAPITVLVM SECVNDVM.

Secunda pars illarum Apum est, quæ iuuentutis vigore opera multa præstant.



HIC planissimè demonstratur status & vita claustralium, qui secundum litteram, dum iuuentute & fortitudine vigent, tempore, loco, & ordine, vel laborant manibus (Qui enim non laborat, non manducet) vel si labor manuum ex ordine non habetur, canticis spiritualibus ho- 1.

2. Thess. 3.

ris de-

ris debitis,& interdum studijs scripturarum, nec non & regularibus disciplinis lætanter & gaudenter insudant. Huiusmodi enim opera, si sint multa,& propriæ saluti primò, & saluti secundariè proximorum, cum exemplo vitæ, cum decore virtutum,& oratione, multiplicis fructus iuuamenta præstabunt. Quis enim quantumcumque peccator, huiusmodi opera videns, ad emendatiorem vitam & pœnitentiam non compungatur? Quis tam flagitiosus & amens,tam sedulas, tamque continuas laudes audiens,Deum timoratiùs adorando non laudet?

Quantùm prosint boni religiosi.

2. QVòd talium stet suffragio totus mundus,& peccatores apud iratum iudicem Deum, eorum oratione iuuentur,non est verus, qui ambigat,Christianus.Vnde tempore nondum † præstò, quo mundus talium suffragio iuuaretur, Isaias deplanxit, dicens: Non est qui consurgat & teneat te. Quod bene patuit, vbi nec angelo peccanti in cælo: nec homini pepercit in terra: nec hostibus naturæ in Sodomis: nec filijs Israel idololatris: nec murmurantibus in deserto Iudæis.

Præstò i. præsente. Isa. 64. Isa. 14. Gen. 3. Ibid. 19. Exod. 32. Num. 11. 14. 21.

De eadem re exemplum ostendens quòd oratio religiosorum, aliorumq; bonorum virorum, clades prouinciarum auertit.

3. TEmpore quo gens Hungarorum, cum alijs regnis multis, à gente Tartarorum, de Orientis partibus veniente, crudeliter est destructa, & iam in Theutonia fines Bohemiæ,inuadere conaretur,

naretur, quidā pro ipſa terra Theutoniæ & maximè partibus Brabātiæ, corde turbato, ſollicitus venit in Brabantiam ad ſanctiſſimam quamdā tunc temporis monialem, dicens ei: Sollicitor non modicè, mater cariſſima, pro terris his proximis à facie Tartarorum, ne, ſicut alijs fecerunt, faciant & iſtis, quia iam inuadere fines Theutoniæ, ſcilicet Bohemiam, inchoarunt. Cui illa: Nihil, inquit, iam cariſſime verearis, quia tot ſunt in terra iſta animæ beatorum, & in his maximè clauſtris, quòd nullus eſt hîc Tartarorum exercitus formidandus, ſanctarum orationum iaculis repellendus. Benedictus ergo Deus in omnibus, & per omnia, ſicut audiuimus, ita & vidimus. *Pſal. 47.*

Quòd tamen non proſint ſuperbis.

4. HVic autem contrarium quid acciderit, audiamus. Antequam in Walatria ſub rege Willelmo, moderatore Romanorum, à Comite Florentio, & Zelandenſibus Flamingorum exercitus feriretur, oranti cuidam pro dicta gente, id eſt, pro Flamingis, in oratione reſponſum eſt: Sine ſuperbos humiliari. Quod tertia poſt die factum inſpeximus, licet tamen multi cum eis, & in eis, occiſi fuerint, qui talem nullo modo mortem meruerunt.

Non damnari eos, qui ad bellum procedunt recta intentione, de cuius iuſtitia dubitatur, à principe coacti, exemplum.

5. SEd notandum, quòd acerba mors bonis non obfuit, ſed profuit ad ſalutem; quia terreno domino obedire nullo malignandi animo proceſſerunt.

ſerunt. Quod patuit in quodam fideliſſimo viro; de quo à matre regis iam dicti Guillelmi, venerabili * Mathilde didicimus. Cùm enim ipſa regis mater, Hollandiæ memorabilis Comitiſſa, poſt factam cædem in Walatriam deueniſſet, aggreſſa eſt cum duobus fratribus Prædicatoribus viuentes adhuc quærere, & colligere ſauciatos. Inuenit autem & ad idem pietatis opus matronam diuitem, & præclaram, quæ cum fletibus matri regis, Comitiſſæ narrauit: Tranſeunte me, inquit, hîc, vocauit me voce flebili quidã ſaucius ex proſtratis, ad quem cùm veniſſẽ, caput eius locaui in ſinu meo, & eum ad recognoſcendum Deum exhortabar. Et ille vt poterat, eleuatis in cælum oculis & manibus, dixit: Fateor me coactum in exercitum veniſſe, & hoc eo animo vt nullum læderem, nec in corpore nec in rebus: hîc læſus ſum, & ecce iam morior, occiſori meo prorſus indulgeo, vt mei ſimiliter miſereatur omnipotẽs Deus, & contra eum mihi indulgeat quidquid feci. Viaticum corporis Chriſti vehementer exopto, quod licet ore non ſumam, in mente tamen virtutis eius gratia non fruſtrabor. Et hæc dicens, cruce ſignauit ſe, & ſic ſpiritum reddidit. Teſtor autem vobis, ait matrona, per ſalutem meam, quòd ſtatim vbi ad reddendum ſpiritum os aperuit, auicula tantę pulchritudinis, vt nihil ei in creaturis comparari poſſet, de ore eius cum odore * mirè aromatico ad ſuperos euolauit. Vide ergo lector, quàm veridica ſit illa ſententia beatiſsimi Auguſtini qua dicit: Verè dico, credidi propter quod locutus ſum, non poteſt malè mori, qui bene vixerit.


2.imp.e. Mechtilde.

1.miræ ſuauitatis, vt legit ms.b. e. & tert. imp.

Auguſt. de diſciplina Chriſt. c.2

Studeant

STudeant itaque fideles apes claustralium insudare laboribus, inuigilare spiritualibus canticis, orationibus & studijs inhærere, disciplinis regularibus exerceri, & per hæc erunt proximis in exemplum, & peccatoribus contra iram Dei, veri iudicis, in tutamen. *Conclusio.*



De virtute humilis subiectionis

CAPITVLVM III.

Disciplina quadam matribus subditæ sunt, nec agunt quidquam sine maiorum imperio.



HIc notatur humilitas subiectionis, & 1.
abrenuntiatio propriæ volūtatis. Quæ duo, si subiectus quis integrè, & ex corde tenuerit, exaltatus quidem exultabit in gaudio & absolutę libertatis gloria perfruetur. Vnde Apostolus: Illa quæ sursum est Hierusalem, libera est; quæ est mater nostra. *Gal. 4.*

Cur homo subdatur homini.

SEd non absurdè quæri potest: Cur consulit & 2.
velit Ecclesia, vt homo subdatur homini, cùm Deus hominem rationalem, conditum ad imaginem suam, nisi irrationabilibus dominari; non hominem homini, sed hominem pecori voluit? Quod patuit vt dicit gloriosissimus Augustinus, in pa-

Aug. l. 19. de ciuit. c. 15. in parentibus primis, & maximè in patriarchis, qui potiùs fuerunt rectores pecudum, quàm hominum. Vnde eis dictum est: Dominamini pisci-
Gen. 1. bus maris, & volucribus cæli, & bestijs terræ. Hæc autem quæstio sic solui potest. Illi quidem antiqui & primi parentes, soli Deo subditi, nequaquam abutebantur concessa à Domino libertate, sed in omni honestate morum, creatori omnium seruiebant: nunc verò per abrupta viciorum homines defluentes, vix etiam sub durissima seruitute possunt à vicijs cohiberi. Vnde peccantibus filijs Isräel in Deuteronomio minaciter di-
Deut. 28. ctum est: Eò quòd non seruieris Domino Deo tuo in gaudio & lætitia cordis tui propter rerum omnium abundantiam, seruies inimico tuo in fame & siti, & ariditate, & rerum omnium penuria: & imponam iugum ferreum super ceruicem tuam.

Exhortatio ad obedientiam exemplo Christi.

3. AVdi ergo quid dictum sit, & minas tanti iudicis verearis. Vt enim incomparabils ille
Aug. l. 5. de ciuit. c. 17. Doctor Augustinus ait: Nihil interest sub cuius imperio faciliùs homo seruiat moriturus, dummodo ille, qui imperat, ad impia & iniqua non
Ibid. l. 19. c. 15. cogat. Feliciùs enim seruitur homini quàm libidini.] Considera Christum Dei filium, ab ipsa maiestate superna ad nostram miseriam descen-
Ioan. 8. disse. Qui alios saluatione sua verè liberos facit,
Luc. 2. subdi parentibus voluit, & in iniquitatibus no-
Isa. 43. & 53. stris, durissimam, secundum prophetam, pertulit seruitutem. Proinde videas quod dictum est superiùs: quòd subditæ matribus iuniores, nihil agunt

gunt sine maiorum imperio, optimè claustralibus competit, qui abrenunciantes propriæ voluntati, nihil agere debent sine maiorum imperio, vel saltem sine licentiā. Animaduertite claustrales principem salutis nostræ Iesum, non vt voluntatem suam, sed patris faceret, venisse: ac per hoc patri faceret, venisse: ac per hoc patri obediens vsque ad mortem, non liberas manus; non liberos pedes, affixos cruci; corpusque sacrum immobile: sed solum os liberum ad orandum habuisse monstratur. Rea mens, tibi dico carissime, serui est, qui talem non vult passum talia Dominum imitari. Liberas ergo manus ad dandum aliquid, vel agendum, liberos pedes ad ambulandum, libera membra ad conandum aliquid non habebis, sed totum cum Christo corpus affixum pœnitentiæ cruci, sola tibi lingua ad orandum, confitendum, & laudandum libera remanebit. Tentantur curiositate oculi: oculos Christi attende velatos. Tentantur aures vaniloquio: Christus contumeliosos sermones & terrores audiuit. Tentatur olfactus redolentijs pigmentorum: Christi facies sputis fœtidissimis illinitur. Tentatur gustus superfluis cibis & potibus: Christus felle cibatus, & aceto potatus est. Tentantur manus ad illicita contrectanda: Christi manus intuere transfixas. Tentatur cor ad cogitanda, vel concipienda nociua: Christi cor lancea terebratum aspicias. Tentantur pedes ad ambulandum, vel peragrandum terras: Christi pedes cruci clauis affixos attendas.

Ioan. 5.

Philip. 2.

In cruce Christi remedia contra omnes tentationes

Clauſtralis non peregrinetur negligens votum ſuum.

4 IN hac vltima tentatione tibi ſpecialiter cauendum eſt ô clauſtralis, cum Dina filia Iacob, quæ priùs inter fratres ſecuriſſimè conuerſata, videre egreſſa eſt feminas regionis. Quæ, etſi primò violenter corrupta eſt, poſtmodum tamen eſt delinita blanditijs. Sed fortè dicis: Quid mihi cum Sichem & Hemor, quorum vnus labor, vel humerus: alter amaricans interpretatur, vt cum ſecularibus ſubijciam humeros, ad tolerandos labores mundi* varios, & amaricata per illos anima mea, in fel aſpidum cōuertatur. Quin potiùs cum fidelibus populis ac deuotis, leui Chriſti iugo in cruce ſuſcepto, tranſibo mare, terram ſanctam adibo, vel alias mundi partes, vbi eccleſiaſtica neceſſitas filios pios inuitat, & per ipſam crucis peregrinationem, à pœna ſimul & culpa, ſub breui temporis ſpatio, liberabor. Sana ſalus, & verè beata indulgentia omnium delictorum: & qui hanc promeruerint iure tripudiant. Sed eam nequaquam ſibi iſta via religioſus, aut clauſtralis quis vendicet, vt contra votum ſuum, ſine licentia: vel per crucem ſuſceptam: vel modo alio, in abſolutionem peccaminum laborem peregrinationis aſſumat. Ligatos tibi diximus pedes, ligatas & manus. Quis te ſoluit vt ambules? Fortè reſpondes. Chriſtus Petro & Apoſtolis in ſuſcitatione Lazari dixit: Soluite eum, & ſinite abire: cur ergo me vicarius Petri, Papa non ſoluet? Bene dicis, & non negamus, * quem ſoluerit, eſſe ſolutum; ſed vide, ſi rectam & debitam cauſam oſtenderis diſpenſanti. Alioquin non eſt diſpenſa-

Gen.34.
ms.s.b.c.2. imp.vanos.
Iob 20.
Ioan.11.
ms.p.s.2. imp.ſi.pro quem.

pensatio, sed * potiùs dissipatio. Neque enim credere fas est, tanti moderaminis patrem aliquid talium facere sine rationabili causa, quamquam id fieri fortè minus iustè putetur. Et quidem, sicut Paulo, omnia licent; sed non omnia expediunt.

ms. s. omittit (potiùs)

1. Cor. 6. & 10.

Simonia omnibus est illicita.

5.

HVius occasione sententiæ, blandiri sibi impudentissimè voluerunt, qui omnia sibi licere dixerunt, quæ in positiuo iure vetantur: inter quæ & simoniam ponunt, quam tamen illicitam & proscriptam, scripturæ testamenti noui & veteris posuerunt. Giezi, & semini eius, prædicente Heliseo, adhæsit lepra: Simonem cum pecunia Petri Apostoli imprecatio condemnauit. Super hac quæstione quidam maiorum ecclesiæ à venerabili Magistro Guiardo Cameracensi Episcopo, in Lugduno, vbi Papalis curia tenebatur, sub specie ironiæ quæsiuit, dicens: Credisne tu frater Episcope, quòd summus Pontifex possit committere simoniam? At ille, audaci vultu conspicuus, Non credo, inquit, sanctè pater, immo potiùs certissimè scio, quòd viliorem Papa possit, quàm ego, vel aliquis in toto mundo: &, si dubitaueris, vel fortè dissimulas, per testamentum vetus & nouum manifestè probabo. Quo audito, calumniator probra non intulit, sed statim quasi verbo captus obmutuit, cernens vtique virum esse idoneum ad omnem veritatis regulam comprobandam.

4. Reg. 5.

Act. 8.

Diſpenſationes cum diſcretione fiant.

6. NVlli ergo prælatorum, in diſpenſatione etiam diſpenſabilium cauſarum, ſit pro ratione voluntas, ſed cũ ſummo moderamine diſpenſationes fiant; quas ſecundum locum, tempus, & perſonã, fieri eccleſiaſtica neceſſitas quandoque depoſcit. Decipi ſe de facili diſpentator non permittat, nec ſe decipiat diſpenſationem extorquens: quia æqualis periculi ferè eſt, vel decipere velle, vel decipi.

Contra religioſos exemptionem ab obedientia indebitè quærentes.

7. ET ne noſtro tempore nouiter exortum malum, ex incidenti materia, intactum penitus prætermittam, nouum genus apoſtaſiæ antiquus ille deceptor diabolus adinuenit. Non ſolùm de antiquis, imò heu de perfectiſſimis ordinibus fratrum Prædicatorum atque Minorum increuerunt quidam, qui nec ſtatum ſuum, nec ordinem reputantes, impudentiſſimè ſe iungunt maiorum conſortijs Prælatorum: vt per prædicationem crucis, aut alio aliquo officio mediante, à prælatorum ſuorum obedientia penitus eximantur. Heu quàm fera, heu quàm peſſima, & ab omni profeſſione religionis aliena exemptio talis eſt. Et ideo iuſta Dei vindicta viſum eſt, quòd qualiſcumque neceſsitas incumbit eccleſiæ, acta & diſpenſata per tales, vix finem bonum & debitum ſortiantur. † Quin potiùs prælati boni, ſuperiores eccleſiæ in moderamine conſtituti, maioribus committerent ordinum Prædicatorum atque

† Potiùs itaque, vt legit ms. b. c. cum tert. imp.

atque Minorum; tanquam eis, qui diligenter *Prou. 27.*
vultum sui pecoris inspexerint; vt tales de suis ouilibus assignarent, qui conscientia timorata & viribus expediti, non sua quærerent, aut suorum; sed pura, & purè quæ Christi. Volo, teste Christo, sponsor esse pro talibus, vt si per eos debita negotia non prosperentur ecclesiæ, mendax & periurus inueniar in die tremenda ante faciem iudicantis. *Philip. 2.*

Mirabilis reuelatio facta cuidam Eremitæ.

VTiliter quidem, etsi longè digressum, diligentem lectorem forsitan non tædebit: referam tamen, antequam materiam repetam, (postquam de peregrinatione crucis mentio habita est) quoddam valde memorabile, quod audiui Fulconem quemdam canonicum Insulensem, cuius superiùs fecimus mentionem, virum religiosum & pium narrare, cuius etiam tempore contigit. Anno ab incarnatione Domini M. C. XCI. cùm orbem ferè totum fames validissima in mortem innumerabilium hominum occupasset, eremita quidam sanctissimus in Beluacensi diœcesi, habitans, humano generi in multis lacrymis & miseratione compassus, Dominum frequenter arguebat, cur populum suum tanta animaduersione * contemneret, & tam irremediabiliter flagellaret. Hoc, vbi nocte vna, cum miro cordis æstu ante conspectum summi iudicis iterasset, apparuit ei vir ætate & persona grandæuus, dicens: Surge, & missam inchoa: Salus populi ego sum. Cui Eremita. Dies, inquit, non est, missam celebrare non licet. Oportet, inquit, ne differas. Tremefactus 8 *Lib. 1. c. 22. p. 2.* *f. contereret.* *Est missa quæ dicitur pro quacũque necessitate.*

ctus igitur eremita,& reniti non audens,surrexit, præparauit se,missamque, Salus populi, vt iussus fuerat,inchoauit. At vbi post Euangelium offertorium dixerat, accessit grandæuus ille, & vas plenum aristis obtulit,dicens: Reporta librum ad aliud altaris cornu, & de cruce, Nos autem gloriari,missam protinus inchoabis. Quam vbi eremita vsque post Euangelium, vt antè compleuit, dicto offertorio, grandæuus ille vas plenum fasciculis discoloratis,crucis signum habentibus,obtulit,dicens: Regyra tertiò librum ad aliud altaris cornu, Et missam inchoa pro defunctis. Quam vbi ille vsque post Euangelium, sicut antè,perfecit,grandæuus ille caluariam capitis in vase obtulit cruentatam; in quo quidem eremita mirabiliter horruit,& in hoc,si à Deo esset ostensio, plurimùm dubitauit. Cuius cogitationi grandæuus ille respondit: Petrus,inquit, Apostolus ego sum, missus ad te, vt ostendam tibi, quæ oportet fieri temporibus post futuris. In mortalitate humano generi compassus es, & exaudiuit te Deus,& in signum huius obtuli tibi vas aristis plenum, videbisque antequam finiatur Augustus, quòd mensura pro viginti denarijs habebitur, quæ modò viginti solidis venundatur. Secunda oblatio quã feci tibi de diuersis fasciculis discoloratis, signum crucis habentibus, peregrinationes diuersas significat, quæ omnes crucis titulo signabuntur. Tertia oblatio, quam de caluaria capitis obtuli, tempus in fine dierum istorum significat, in quo tanta strages humanorum corporum erit, quanta nunquam visa fuit ex quo Christiani nominis gentes esse cœperunt: hæc dicens, grandæuus ille disparuit.

Prædictarum rerum euentus, & variæ crucis apparitiones, & prædicationes.

DE annona verò, quod prædixit, euenit. Discoloratas cruces, & ex omnibus mundi partibus, quædam sanctissima Reclusa, vt ipsa mihi retulit, in Brabantiæ partibus vidit, cùm secunda expeditio ad purgandam Albigensium terram per legatos curiæ Romanæ missa fuit. Sed & crux à multis populis, cum in diuersis partibus prædicaretur, visa fuit manifestè. Nec non & ego, fidelium nouissimus, antequam pijssimus Ludouicus Francorum rex anno ab incarnatione Domini M. CC. XLVI. crucem transmarinam susciperet, crucem in cælo ex clarissimo & sidereo lumine vidi, nec recolo me decentiùs & operosiùs formatam crucem vnquam sub aliqua materia, vel figura vidisse. Octenos habere cubitos crucem ipsam in longitudine mihi planissimè visum est. Serenum cælum erat valde, & sine aliqua nube in aliqua parte sui, sub nostro horizonte cælum erat coloris vnius. De discoloratis verò crucium fasciculis vidimus: quia prima crux nostri temporis contra terram Albigensium prædicata est. Secunda in terram sanctam, contra Saracenos. Tertia iterum contra Albigenses. Quarta contra Stadingos, quos in Theutonia Henricus Dux Brabantiæ cum suis strauit. Quinta iterum in terram sanctam. Sexta contra Aquenses, qui se pro scismatico Frederico quondam Imperatore, contra Guillelmum regem Romanorum electum, stultissimè opposuerunt. Septima contra Hezelinum nobilem 9.

Italiæ,

Italiæ, & eius complices, qui condemnatus, & publicus hæreticus, fidem Catholicam grauiter insectatus est. Quot ergo genera crucis: tot colores, tot fasciculos cernimus assignatos.

Crucem suscipientes accipiunt plenariam indulgentiam.

10. DE indulgentia autem, quæ crucem suscipientibus prædicatur, nullus fidelium dubitare permittitur, quin integraliter verè pœnitentes & confessi indulgentiam recipiant omnium peccatorum, & in ea desiderij voluntate, qua pro fide, si se obtulerit locus, mori gestiunt, totaliter à pœna simul absoluantur & culpa. Certa ergo mihi fides de his omnibus est, & nihil hæsito de hoc, quod summus Pontifex noster per legatos auctoritatis suæ mandauerit faciendum.

Quòd crux pecunia redimatur.

11. SEd de his multi fidelium non sufficiunt admirari, qui crucem pecunia redimunt, & hanc in tam modica pecuniæ quantitate, vt vix decimam, vix vicesimam, vel vix certè bonorum suorum saltem mobilium, saluis hæreditatibus integris, centesimam partem dare velint. Cùm enim laboris iter displicuerit, vel certè lucrorum suorum viderint tempora deperire, quærunt dispensationes, legatos Roma multiplicat, qui eos, pecunia mediante, sanctificent, liberosque à peccatis per litteras recommendent. Bona sanctificatio, quæ liberat à peccatis, bonæ & beatæ litteræ, quæ securam & mundatam animam ab omni culpa & pœna fecerunt.

Crucem

Crucem sustinent viri religiosi.

SEd ô quanti monachi in Cistercienſi ordine, 12.
vel aliàs in clauſtris ſunt, qui longa ieiunia, longo tempore diſciplinas graues, ſilentium propè continuum, veſtem aſperam, nocturnas vigilias ſuſtinent, & in his omnibus victum tenuem, & vix vllum ſolatium habent, & tamen necdum peccatorum ſuorum indulgentiæ litteras acceperunt. Credo tibi Paule, ſed & in Apoſtolatu tuis ſucceſſoribus, credo tibi inquam, credo, qui veridico ore dixiſti: quòd reddet vnicuique Dominus ſecundum ſuum laborem. *1. Cor. 3.* Taceo de fratribus Prædicatoribus, qui ſtudijs continuis & vigilijs macerati, non habentes in zona æs, ſed membranas, maximè Pauli: *Mar. 6.* *2. Tim. 4.* non in equis aut curribus, ſed feſsis artubus & pedibus gradientes, prædicationibus terras circumeunt. *Pſal. 19.* Sed de fratribus Minoribus quidnam dicam? qui duro cincti funiculo, & ſine amictu cappæ vel pallij, induti tunica ſuper nudo, pedibus nudis ſuper niuem gelidam, quaſi ſuper lanam deambulant, & panem ſuum quotidie quaſi pauperes emendicant? Quid inquam dicam de talibus? Si non etiam cum his, vel ſupra hos, qui pro modicis, vel nullis laboribus, ſed tantùm pecunia, peccatorum ſuorum indulgentiam acceperunt, ſecundum ſuum laborem retributionem præmij ſortientur.

De cruce Christi & latronum auctoris admonitio.

NOueris lector chariſsime, quòd Chriſtus 13.
portauit crucem, portauit latro, qui credidit, portauit & ille, qui à ſiniſtris pependit. *Mat. 27.* Sed his

his diuerso fine conclusum est. Non credis & hoc idem sub nostro tempore dispensari? Crucem veram ex proprio corpore dedicatam mensus est Christus: hanc fideles & membris affigunt, & mentibus. Fingit & diabolus cruces suas, quas reprobi, mente peruersa, tantùm membris affigunt.

De pueris cruce signatis.

14. VIdimus anno ab incarnatione Domini M. CC. XIII. infinitam puerorum multitudinem spiritu deceptionis arreptos, cum signo crucis iter Hierosolymitanum aggressos fuisse, perijsseque diuersis in locis: & maximam ex eis multitudinem per maleficos quosdam Saracenis in mari venditos extitisse.


De pastoribus ouium, qui titulo crucis in alienas fortunas grassabantur.

15. VIdimus & nuper, anno ab incarnatione Domini M.CC. LI. mirabili & inaudita rabie, pastorum multitudinem, de diuersis regionibus congregatam: qui sub crucis titulo per quosdam flagitiosissimos viros ad tantam perniciem inducti sunt, vt in multis partibus Galliæ, villas, ciuitates, & populos inuadere, & destruere conarentur: in tantum, vt hoc Parisijs, & Aurelianis, præclarissimis vrbibus, occisis pluribus clericis, attentarent. Et vide lector mirabile & prægrande piaculum. His illorum facinoribus, in odium cleri, applaudebat populus laicorum, maioraque fuissent facta, nisi tandem & cum clero communis plaga ipsos laicos inuoluisset. Et hi quoque, auctore Deo, diuersis locis & pœnis citissimè perierunt.

Hos pastorellos vocat Meyerus ad hunc An. in Annal. Fland.

ierunt. Considera igitur ex his quæ narrata sunt, quantum sibi populum Antichristus, cùm venerit, ex ipso Christiano populo congregabit.

DIscant ergo apes fidelium claustralium omnimodè subdi matribus, hoc est inferiores prælatis, vel senioribus disciplinâ: nec sine eorum imperio, vel saltem licentia quidquam agãt. vt per hoc, humiliati hîc, postmodum exaltentur, & hîc superioribus obligati, postmodum libertate perpetua perfruantur. *Conclusio.*



De reuerentia accusationis laicorum erga clericos.

CAPITVLVM IV.

Tertia pars apum est, quæ fucæ dicuntur: hæ sine aculeo sunt, velut imperfectæ apes.



HIs quidem conuersi, seu laici fratres in claustris aptissimè designantur: 1.
& hoc, quia sine aculeo esse dicuntur. Non enim vocem accusationis in conuentuali capitulo habere solent, nisi fortè se inuicem in suis capitulis interdum tentis accusent. Nam secundum Apostolum dicitur, aduersus presbyterum accusationem de facili recipi non debere: & in hoc respectu sacerdotalis ordinis laicorum imperfectio *1. Tim. 5.*
desi-

2.q. 7. cap. Nullus, & seq. & c. sicut. Item extra de testib. & attest. c. de cetero.

designatur. Secundum iura enim, aduersus sacerdotem de facili non admittitur testimonium laicorum, nisi cum eis & testimonium tulerint alij sacerdotes: & hoc tam apud seculares, & potiùs quàm apud claustrales, obseruatur. In claustris enim, nec est, Deo dante, nec esse debet odium inter laicos, & ordinem clericalem, quale inter seculares esse probatur.

Quintuplex odium decem animalium.


2. ANtiqui quinque odia inter diuersi generis animalia posuerunt. Inter hominem & serpentem, inter gryphum & elephantem, inter lupum & agnum, inter coruum & vulpem, inter canem & catum: ego autem sextum odium addo perpetuum: inter peruersum laicum & sacerdotem. Huius rei exempla sunt plurima.

De dormitorio contentiosè facto.

3. VT autem in claustris execrandæ rei simile caueatur, quid nostro tempore in monasterio quodam Galliæ ordinis altioris acciderit nunc subiungo. Dormitorium ingens & maximum in opus suum conuersi fratres laici construxerunt. Quod videntes monachi, vel æmulationis vitio, vel necessitatis gratia, maius illo sibi construi parauerunt. Murorum igitur posito fundamento, & muris ex parte erectis, cùm viderent laici fratres structuram monachorum superexcellere opus suum, grauiter indignati, magistrum operis, conuersum, in ipso opere peremerunt. Quid plura? verecundor dicere, quæ secuta sunt omnia, ad hoc tamen res deducta est, vt ordinatione maiorum,

rum, per manum validam principis ſecularis, auctores tanti ſceleris comprehenſi, puniti ſunt, & diſperſi.

QVid ergo mirum, ſi Conuerſi fratres ſine aculeo accuſationis aduerſus clericum, velut imperfecti, exemplo apum, regulariter ordinantur. *Concluſio.*



De ſeruitio laicorum.

CAPITVLVM V.

Iſtæ ſunt quaſi clientes, & quaſi ſerui primarum & verarum apum.



NON indignentur fratres Conuerſi, ſi quaſi clientes, & quaſi ſerui clericorum, in hac noſtra expoſitione vocentur, qui etſi ſerui dicantur, propter manualium operum ſimilitudinem: non tamen ſecundum veræ exiſtentiæ proprietatem. Et ideo in textu litteræ non eſt dictum clientes ſimpliciter, ſed quaſi clientes; vt verè dicantur fratres, & non ſerui. Et ideo, ſi in officijs ſuis ſeruire videantur clericis, conditionem tamen ſuam humiliter recognoſcant, ſe ſcilicet debere ſubijci, non præeſſe, nec velint clericis æquiparari: ſed diſcant tantum ordinem reuereri. *1. Conuerſi ſint humiles.*


Dictum

Dictum sancti Bernardi de quodam Conuerso diligenter laborante.

2. NArratur de beatissimo Bernardo Clarauallensi Abbate, quòd aliquando in messione segetum, fratrem Conuersum viderit, deuotè quidem, & vltra vires in agro cum monachis laborantem. Tactus ergo spiritu sancto intrinsecus beatus Bernardus, dixit, coram omnibus, laboranti: Eia frater, age quod agis, nullum aliud post hanc vitam purgatorium sustinebis.

Exhortatio & conclusio.


3. VErè beatus ille, cui post modicum laborem requies æterna promittitur. Quod enim
2. Cor. 4. (secundum Apostolum) momentaneum est & leue tribulationis nostræ, supra modum operatur in nobis pondus æternæ gloriæ. Proinde fratres clerici & monachi fratres Conuersos & laicos amplectantur, vt verè fratres, honorent vt socios, nec sibi permittant à laicis fratribus & Conuersis, nisi necessitas maior exegerit, viliora seruitia exhiberi, & hoc tantò inuitiùs, quantò eos in exhibendo viderint promptiores. Salomo-
Prou. 29. ne enim testante: Superbum, sequitur humilitas, humilem autem spiritu suscipiet gloria. Vnde aptè in textu subiungitur.



De expulsione peruersorum laicorum.

CAPITVLVM VI.

Has primas expellunt in opere tardantes, & sine clementia necant.



SICVT boni & disciplinati fratres Conuersi honore, & dilectione mutua digni sunt: ita peruersi & superbi contumelia & correptione dignissimi. Hi quidem, etsi fratres habitu sunt: serui tamen non immeritò dici possunt; quia serui sunt peccati, quod est genus vilissimæ & damnatissimæ seruitutis. Hos tales primos in opere decet expelli, & tardantes contumaciter sine clementia flagellari. De talibus in Ecclesiastico dicitur: Cibaria, & virga; & onus asino: panis, & disciplina, & opus seruo. Et infra: Seruo maliuolo tortura & compedes: mitte illum in operationem ne vacet. Et hoc tamen secundum beatum Augustinum non fit crudeliter, sed misericorditer; ne contagione pestifera plurimos perdat. Si enim peruersa consuetudine licentiùs inualescant, & alios quotidie malo exemplo corrumpant, numquid à Prælato dissimularentur crudeliter, & misericorditer punirentur? Qualiter etiam tales secundum regulam sancti Benedicti excommunicandi sunt, & tractandi, satis notum est atque planum. Vbi autem suprà, textus necandos tales posuerat, nos

1. | 2. Pet. 2. | Eccli. 33. | Ibid. | Aug. in regul. c. 20. | Bened. in reg. cap. 23. 24. & 25.

diximus flagellandos, seueritatem exempli in verbo vitantes: cùm tamen omnis disciplina, aut flagellorum vexatio, † necis quædam aut mortificatio dici possit. Vnde Paulus: Mortificate membra vestra super terram.

Necis vtitur in nominatino.
Coloss. 3.

Peruersis labor vtilis.

2. *Eccli. 33.* *2. Reg. 11.* NOn mihi indignentur peruersi tales, si eos ad opera cogi suadeam. Multa mala docuit otiositas. Regnantem Dauid deiecit otium, quem bella non poterant. Quid ergo tales? Mihi credas experto, quòd tales in cœnobijs viderim, qui in laboribus manuum deuotè & sanctè vixerunt, ex positi verò officijs vel otio, & quodammodo redditi libertati, irreparabiliter ceciderunt.


Idem docetur exemplo cuiusdam viri nobilis captiui.

3. CIrca illud tempus, quo annus Domini M. CC. III. voluebatur, expeditio peregrinorũ validissima facta est in terram sanctam, vt Saracenos, qui Christianorum fines inuaserant, propulsarent. Factis autem congressionibus plurimis, multi ex vtroque populo ceciderunt, plurimi etiam in captiuitatem deducti sunt: inter quos ex populo Dei duo milites, vnus ex Gallia, alter ex Brabantia cum quodam nobilissimo viro in terram gentilium sunt adducti, & contra natales suos, & consuetudinis vsum, grauissimis manuum laboribus annis tribus addicti. Vt igitur mihi vnus militum enarrauit, die quodam sedebant sub æstu solis grauissimis manuum laboribus fatigati.

Cum-

Cumque optarent milites cum graui cordis suspirio esse in terra sua; ille nobilissimus eorum in pœna socius segnitiem eorum redarguit, dicens: O miseri quid optatis, redibitis forsitan, & eritis miseriores in iniurijs pauperum quàm antè fuistis. Hîc autem, si velletis, possetis vtique finem vitæ felicissimum expectare, & hoc dicens, flexis genibus ad cælum manus tetendit & oculos: Nunquam mihi Deus omnipotens redire concedat ad patrios portus, inquit, sed hîc sinat me mortem, peracta pœnitentia, præstolari. Mira respondentis constantia, nec minus mira dispensatio saluatoris. Ambos milites liberatos postea vidimus, & fortè malis quàm antè maioribus irretitos. Pro illo autem nobilissimo ac beatissimo viro, cùm rex Hierosolymitanus, & alij multi nobiles laborassent, nunquam tamen efficere potuerunt, vt eum à captiuitate gentilium liberarent: insuper & hoc ipsum de eo, miles socius eius, qui mihi hæc retulit, referebat, quòd tantum post quotidianos labores de nocte orationibus incumbebat, quòd ei ad modum camelorum calli in genibus accreuissent.

VÆ ergo illis, qui ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt: Et euge in laboribus dicetur isti, vt introeat in gaudium Domini Dei sui. *Conclusio. Iob 21. Mat. 25.*



De mutuo adiutorio seniorum & subditorum.

CAPITVLVM VII.

Apes iuniores aut fucæ, non in opere tantùm, sed in fœtu quoque adiuuant matres, ad calorem conferente turba.

1. c.1.p.1. ATRVM nomine affectum Prælatorum & seniorum suprà diximus designari, qui quidem non tantùm iuuari dicuntur in Conuersorum opere manuali, sed & in fœtu fructuosæ virtutis, dilectioni Dei & proximi sinceriùs inhærendo, augent & nutriunt incendium charitatis. Non est
Rom. 3. enim distinctio Iudæi & Græci, clerici & Conuersi; dummodo ritè & secundum ordinem viuant, quin & ipsi, sicut & illi, bonum exemplum præbendo, orationibus deuotis & lacrymis insistendo; de diuinis beneficijs & præmijs cælestibus meditando, commune bonum augeant & salutem.

De ea re exemplum Hermanni Conuersi in Aquiria, continuè ægrotantis.

2. ms. p. 2. imp. Ac- VNde quemdam Cisterciensis ordinis laicum in monasterio* Aquiriæ, Hermannum nomi-

nomine, ægritudine continua laborantem, vexatum contumelijs falsorum fratrum, obijcientium quòd non prodesset domui, sed obesset, eleganter valde respondisse cognoui. Dummodo, inquit, ordinem meum, secundum quod languor permittit & dolor, in infirmitorio teneam, & animam meam in patientia saluem, credo in oculis summi Dei meliùs, gratiùs, & sublimiùs, monasterium promouisse, quàm si illud in mille marcarum copijs augmentarem. Verè, dignè, iustè, & optimè dixit. Non enim propter monasterium animæ, sed monasterium propter animas institutum est: sicut non propter locum gentem, sed propter gentem Dominus locum elegit.

quiria, est in Brabantia Gal. Ayvviers.

2. Mach. 5.

De præcepto honorandi parentes, quod obseruant bruta, homines transgrediuntur.

IVniores apes adiuuant matres, aliter exponi potest, secundum mandatum decalogi, vbi præcipitur patris honor & matris, quod naturali pietate omnibus hominibus insitum esse debet. Sed isto præcepto abutitur omni animali nequiùs humana impietas, nullam ferè parentibus vicem dilectionis aut operis, filijs impendentibus. Multas in libro de natura rerum legimus aues, quæ senescentibus parentibus, vel plumis nudatis, aut cæcis, foturæ vicem rependunt: afferunt cibos, medelas quærunt, vt hupupa, quousque vel morte deficiant, vel recuperent sanitatem. Omni ergo animali turpior homo, qui parentibus debilitatis, aut rebus perditis non succurrit. Et propter hoc Seneca talibus consulit dicens: Ne des seruo aut filio imperium

3.

Exod. 20.

Lib. 5.

Sen. ep. 124 super te. Quanta dementia est, res procurare hæredibus suis, & sibi ipsi necessaria denegare, vt tibi ex amico magna hæreditas faciat inimicum. Plus enim tua morte gaudebit, quò plus acceperit.]

Terribile exemplum inhonorationis parentum in eo, cuius fronti adhærebat bufo.


4. SVper hoc quiddam valde memorabile contigit, quod subiungo. In Normanniæ partibus vir admodum diues erat, sed ignobilis. Hic filium habebat vnicum & dilectum, quem delicatè educauerat ad robur viri. Conuenit ergo patrem miles quidam nobilis cum amicis, dicens: Filia est nobis decora nimis & prudens, per quam si tibi placuerit, posteritas tua exaltari poterit & iuuari. Hanc filio tuo dabimus in vxorem, hoc tamen modo, vt cedas possessionibus vniuersis, & filius tibi, & matri quamdiu advixeritis, abundantissimè prouidebit. Casus enim diuersi sunt, in quibus filius tuus posset, te in possessione manente, hæreditate frustrari. Hoc patre audiente, & hærente sub dubio, ab amicis tandem compulsus est, etsi mente pauidus, cedere cunctis bonis. Peractis ergo nuptijs, filius & vxor eius anno quidem primo honorauit parentes, victum copiosiùs ministrauit, sed secundo minùs, & tertio inuerecundiùs quàm decebat. Quarto autem anno, suggerente vxore, filius parentibus suis domunculam paruam in opposito domus suæ constituit, vt minùs esset indecentia senum iuuenibus onerosa; ibique eis secretiùs insufficienter necessaria ministrarent. Pertulit ergo senex pater ibidem cum vxore

Simile est in Cæsario l. 6. c. 22.

vxore decrepita non modicam egestatem, & vix interdum domum filij audebat intrare; sed per clientulum mandabat ea, quibus carere non poterat. Vna autem dierum accidit, vt mater ex opposito domus suæ visa auca infixa verui in domo filij, diceret viro suo. Me feminam magis decet paucis esse contentam, tu autem vadas ad domum filij, & saltem semel esurientem animam saties de auca, quam ibidem vidi esui præparatam. Hoc audito, senex innixus baculo, properabat ad domum filij, sed mox vt eum filius vidit, aucam retraxit ab igne, & clam abscondit, statimque patri obuius, quid quæreret inquisiuit. Et mox factum pater notans, dissimulauit, & redijt ad domum suam. Filius igitur puellæ præcipit, vt mox aucam reponat ad ignem. Nec mora, vbi puella in thalamo aucam vidit, bufonem maximum aucæ pectori hærentem inuenit. Ea ergo clamante accurrit iunior dominus, nisusque bufonem excutere, vt violenter institit, bufo ab auca resiliens, faciem adeo fortiter conantis inuasit, vt nulla arte vel consilio deponi posset, aut excuti: sed sic multis annis, hominis nequitiam, inhærendo puniuit. Et erat illud supremi stuporis miraculum, vt si quando monstri illius pars aliqua tangebatur, ac si percuteretur in corde, ita homo sensibiliter lædebatur. Conterritus igitur mirabiliter & contritus, adijt diœcesanum Episcopum, & cum omni dolore confessus, pro pœnitentia recepit ab illo, vt per omnes fines Normanniæ, & Galliæ ciuitates, reuelata facie circuiret, & vbique narraret populis euentum rei, vt per hoc, exemplum sumerent filij honorare parentes, & discerent quàm periculosum sit & no-

ciuum, vicem non rependere laboribus quos ipsi parentes filijs impenderunt. Hunc ergo hominem cum bufonis monstro circumeuntem vt diximus, frater Ioannes de Magno Ponte ordinis Prædicatorum, sicut per ipsum nobis relatum est, vidit in iuuentute Parisijs palam referentem omnibus & monstrantem, quod pro inhonoratione parentum passus fuerat multis annis, & adhuc secundum Dei voluntatem pateretur. Hunc postea, sed non per dictum fratrem Ioannem, audiuimus sanctorum quorundam precibus liberatum, & disparuisse subitò fœdum monstrum.

Conclusio. HVius igitur exemplo discant apes fideles filij adiuuare & honorare parentes, & eis vicem amoris retribuant & laboris.



De labore communi.

CAPITVLVM VIII.

Apibus igitur communis omnibus est labor.



1. *Aug. in regul. c. 24.* ET hoc est quod beatus Augustinus in regula sua dicit: Omnia opera vestra in vnum fiant maiori studio, & frequentiori alacritate, quàm si vobis singuli faceretis propria. Charitas enim de qua scri-
1. Cor. 13. ptum est, quòd non quærit quæ sua sunt, sic intelligitur, quia communia proprijs, non propria commu-

communibus anteponit. Et ideo quantò ampliùs rem communem quàm propria vestra curaueritis, tantò vos ampliùs proficere noueritis, vt in omnibus, quibus vtitur transitura necessitas, superemineat quæ permanet charitas.] Et beatus Benedictus in regula monachorum. Ociositas, inquit, inimica est animæ, & ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione diuina.] Hinc idem pater Benedictus ordinat tempora in quibus debent labori manuum, lectionibus, vel orationibus occupari. Temporalibus vtitur rebus necessitas trãsitoria, vtitur etiam, secundum quod diuersi ordines habent, temporalibus studijs, licet spiritualibus vsibus debeant coaptari: sed tamen semper in omnibus debet charitas præeminere. Charitas enim non tantùm est virtus, sed potiùs forma omnium virtutum. Hæc est secundum Apostolum via excellentissima, quæ ducit ad cælum. Hanc qui graditur, calcabit vitia, calcabit & mundum.

Benedict. in reg. c. 48

Ibid.

1. Cor. 12. & 13.

Vita laboriosa & obitus F. Brunonis ord. Cisterciensis.


21

VIdi capellanum quemdam apud sanctum Antonium in monasterio ordinis Cisterciensis Parisijs, fratrem Brunonem nomine, virum sanctum & bonum, & mirè deditum pietati. Vita eius tali ordine disposita videbatur. Noctes frequenter ferè ducebat insomnes, orationibus & gemitibus profusiùs inhærendo, summo autem mane, horas, & missarum solemnia persoluebat: postmodum verò vsque ad nonam audiendis confessionibus clericorum, mira

mira deuotione sollicitus intendebat. Ad mensam verò sobrius veniens, panem, quem comedere debebat, per bucellas incisum & intinctum oleribus comedebat, & inter comedendum pauperibus scholaribus quaternos scribebat: vt scilicet omne temporis spatium vtiliter occuparet. Post prandium verò vsque ad noctem, diem in scribendo totaliter occupabat. Hæc vita eius exterior fuisse probatur. Interior autem talis erat, vt in itinere, missus in Græciam, anno circiter ab
ms. p. s. XVII. incarnatione Domini M. CC.*XXVII.animam miro feruore spiritus exhalaret, & post mortem, eum Dominus multis miraculis honoraret.

Conclusio. DIscant ergo apes fidelium in commune, vel manualiter, vel spiritualiter, secundum diuersa statuta *temporum, vel personarum alacriter operari, nec marcescere otio, nec inutiliter tempus expendere: sed agere aliquid in quo proximi proficiant; & quietem perpetuam poterunt promereri.

ms. p. s. ordinum.



De sedulitate communis laboris.

CAPITVLVM IX.

Omnes indifferenter ad opera expellunt.

1. ECCE quanta omnibus sedulitas laboris innuitur. Et hoc est quod Paulus dicit:
2. Thess. 3. Qui non laborat, non manducet. Egregius ille Cisterciensis ordo illud quasi summopere ser-

re ser-

re seruat, vt nec priores eorum, nisi in summis necessitatibus ab operibus eximantur. Et quid mirum, si subditi prælatis; si filij parentibus; proprijs manibus cooperantur in bonum; vbi prælati subditos, & parentes filios labore præueniunt in exemplum? Vbi autem hoc non fit, & segnitie torpent filij, parentum torporibus prouocati: noueris eis, vel egestatis, vel iniquitatis periculum imminere.

De iuuene otioso, cui cibi verti videbantur in angues.

VIdi iuuenem, cuius amarissima relatione memini quod subiungo. Hic piorum fratrum suorum labore manuum viuebat: ipse verò segnis, otio vacabat & tædio. Et factũ est animaduersione diuina; vt eo cum patre & fratribus ad mensam sedente, cibi (vt ei soli videbatur) verterentur in angues, sapore tamen rerum deterrentium non mutato. Hoc, cùm per aliquot dies continuaretur in peius, tandem mutato vitę proposito, liberatus est & sanatus. 2.



De otio fugiendo.

CAPITVLVM X.

Nullus, cùm per cælum licuerit, otio perit dies.



VIDE quanta diligentia laborem sectandum, & otium fugiendum inculcat. In significationem mali, quod est otium, cùm misisset Moyses manum in sinum suum, 1.

Quã malum otium.

Exod. 4.

ſuum, protulit leproſam. Vnde Salomon otij nocumentum inſinuans, dicit: Deſideria occidunt pigrum, id eſt, otioſum. Et vide cauſam. Noluerunt enim manus eius quidquam operari. Nihil ſic timendum eſt otioſis; quàm prolapſus in cœnum luxuriæ. Et hoc in Dauid euidenter aduertas. Vnde & Salomon iterum dicit: In lapide luteo (in quo attendas luxuriam) lapidabitur piger: & omnes loquentur ſuper aſpernatione eius. Deinde conſequenter, quaſi idem inculcat, dicens: De ſtercore boum lapidabitur piger: & omnis, qui tetigerit eum, manus excutiet.

Prou. 21. Ibid. 2. Reg. 11. Eccli. 22.

Quantum ſit bonum labor.

2. IN ſignificationem verò boni quod eſt manuum opus, ab exordio mundi tulit Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum. Si ergo in loco voluptatis, quid eius opere opus erat, niſi quòd poſteris ſuis, quibus neceſſitas incumberet, exemplum operis præberetur? Vnde illi, & ſuis poſtmodum ſecuturis, Dominus dixit: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Et ne aliquis excludatur, Dominus per Moyſen in Deuteronomio dixit: Non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus. Vt enim dicit Philoſophus: Vitam in odium ſui adducere ſolet iners otium. Inſiſte ergo operi, quia turpe eſt oneri cedere. Non eſt vir fortis, aut ſtrenuus, qui laborem fugit. Nullum laborem recuſent manus, vnde honeſta vita conſiſtit. Otio enim pauperis patet infamia. Numquam vacat laſciuire remiſſa manus, nihilque tam certum, quàm otij vitia negotio diſcuti. Mirum eſt aliquid

Gen. 2. Gen. 3. Deut. 7. Sen. ep. 79. Ep. 22. Ep. 52. Ep. 57.

aliquid fortiter dici, vel fieri ab homine mollitiem profeſſo. Labores ergo manuum tuarum manducabis. Opus enim iuſti, vt dicit Salomon ad vitam: fructus autem impij ad peccatum. Bonorum autem laborum glorioſus eſt fructus. Vnde iuſto in fine dicetur: Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eum in portis opera eius. Paulus, vt dicit glorioſiſsimus Auguſtinus, aliter educatus, vtpote vir nobilis, ad Corinthios ſcribit, dicens: Laborámus operantes manibus noſtris. Et ad Theſſalonicenſes: Nocte ac die operantes, ne quem veſtrum grauaremus.

Ep. 33. *Pſal. 127.* *Prou. 10.* *Sap. 3.* *Prou. 31.* *1. Cor. 4.* *1. Theſſ. 2. & 2. Theſſ. 3.*

De Sancta Mathilde virgine, filia regis Scotiæ, & fratribus eius.

MEmor ſum illuſtriſſimæ virginis * Mathildis, quæ noſtro tempore obdormiſſe probatur. Hæc filia regis Scotiæ, vt probabili relatione didicimus, quatuor fratres habuit: vnum Ducem, qui relicta vxore pro Chriſto, pauperrimus exulauit: item alium Comitem, qui vitam eremiticam duxit: item Archiepiſcopum, qui relicto regimine, ordinem Ciſtercienſem intrauit. Quartus fuit Alexander iunior frater, annorum ſedecim. Quem cùm pater rex regnare cogeret, Mathildis ſoror eius, virgo viginti tantùm annorum dixit ei: Alexander frater cariſſime, quid nunc ages? Fratres tui maiores natu mundum, terramque deſeruerunt, vt cælum acquirerent: regnum ſpreuerunt mortale, vt regna perpetua poſſiderent. Tibi ergo ſoli regnum relictum eſt, pro quo es & cæleſtem gloriam, & animam perditurus. Nec mora, Ale-

3. ms. p. e. 2. imp. Mechtildis.

xander resolutus in fletus. Heu, ait, soror & quid consulis facere? Ego paratus sum quidquid iusseris adimplere. Quo audito, gauisa soror, accepit fratrem, & mutato habitu ad remotiora transduxit, vbi eum & mulgere vaccas, & lac ad coagulum coadunare, & caseos optimos facere docuit. Inde venerunt in Gallias ad Fonij claustrũ ordinis Cisterciensis, vbi soror locauit fratrem pro mulsore vaccarum, & probatus inuentus est in optimis caseis faciendis. Hinc monasterij fratrem Conuersum factum soror alloquitur, dicens: Multum carissime frater apud Dominum meritum acquiremus, quòd terram parentesque dimisimus: sed in hoc specialissimam remunerationem habebimus, si vsque ad tempus futurum, quo nos inuicem in cælo ad consolationem perpetuam videamus, ad præsens nos, vt nullus nostrum alterum ampliùs videat ab inuicem sequestremus. Hoc audito fleuit frater, grauius istud ducens omnibus, quæ dimisit: & licet inuitus, imperat animo, & à sorore totaliter separatur. Illa autem ad nouem milliaria, in villam, quæ dicitur * Lapion, ibidem mansura, secessit: domumculamque paruam habens, quasi aucarum tugurium, solo manuum labore viuebat. Donum vel eleemosynam alicuius accipere, nec cogi poterat, nec rogari. Cum cæteris pauperibus in Augusto spicas colligere recusabat, sed extrema cum porcis, quæ euaserant diripientium manus, * rarissima colligebat. Vix aliquid substratum habebat membris, & caput iacens humeris æquatum. Cibum & potum, incumbens callosis genibus, capiebat: hoc idem & in prolixissimis precibus faciebat. In orationibus multotiens ita sen-

Frater eius Alexander fit bubulcus.

ms. p. s. 2. imp. Alapion & infrà.

e. rarissimè.

sibus

sibus abstracta erat, vt nec coruscationes aduerteret, nec tonitrua audiret.

De miraculo facto ab Alexandro fratre ipsius defuncto.

NE autem de fratre eius Alexandro, quod gratius est prætermittam: Cùm monachus quidam fistulatum ex vlcere pectus haberet, oraretque ad tumulum iam defuncti, apparuit eidem frater Alexander, sole lucidior, coronam gestans in manibus, & corona * capitis insignitus. Cùm ergo monachus quæreret, quid corona duplicata signaret: Corona, inquit, quam gesto manibus, corona extitit temporalis, quam pro Christo deserui. Illa verò, quam gesto in capite, corona est, quam communem cum sanctis accepi, & vt tibi fidentiùs in hac visione credatur, secundum fidem tuam sanus eris ab omni incommodo, quo torqueris. 4.

ms.p. 2. imp. capite.

Quòd tota vita permanserit incognitus, & de quodam eius facto, quod suspicionem nobilitatis ingessit.

ET notandum quòd incognitus mansit vsque in diem mortis suæ. Et tunc constrictus obedientia Prioris sui, se fratrem sanctæ Magthildis de Lapione, & filium regis Scotiæ reuelauit. Fecerat autem eum in nobilitate suspectum factum quoddam, quod multum postea doluit euenisse. Vir enim nobilissimus, dominus Hugo de Rumenni, aprum immanis magnitudinis venatu lassauerat: &, vt natura bestiæ est, stare coëgerat ad resistendum. Equo autem nobilis ille descendens, 5.

dens, aptato pugione, cùm beſtiam vellet impe-
tere, & tamen eius truculentiam formidaret, fra-
ter Alexander, qui vaccas in vicino paſcebat, ar-
repto pugione de manibus formidantis, beſtiam
audacter impetijt, & occidit. Quo viſo, nobilis
ille in oſcula fratris Alexandri ilicò ruens, verè,
inquit, numquam vaccarum cuſtos, nūquam ru-
ſticus, etiam vndecunque veneris, increuiſti.

Quomodo Mathildis cognita fuit.

6. SOror verò eius beata Magthildis, vnde, & quæ eſſet, per quoſdam milites, qui eam in Scotia viderant, nouem annis innotuerat ante mortem. Et tunc ſtatim à terra fugiſſet, niſi violenter re-tenta ab hominibus extitiſſet. Miraculis multis in vita claruit, & poſt mortem.

Labores fratrum Prædicatorum & Minorum cur non manuales.

7. AT quoniam, vt dignum eſt, per ſcripturas & exempla, quæ poſuimus, laborantes manibus vehementer extulimus, obijci Prædicatorum & Minorum ſanctis ordinibus poteſt: Cur ipſi, ſicut & Paulus prædicatione primus, manuum ſe laboribus non exercent? Et breuiter quidem pro ipſis reſpondeo. In eis, vt in minus neceſſarijs defectus eſt, quo tantum Apoſtolum caruiſſe minimè dubitamus. Sed hæc ratio non ſufficeret illis, qui oblatrandi bonis & perfectis viris occaſiones forſitan quærere non deſiſtent. Chriſtus veritas, Marthæ conquerenti de otio ſororis Ma-
Luc. 10: gdalenæ, reſpondit: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Vtique ſi optima

pars

pars fuit, verbum vitæ quęrere & anhelanti corde sitire, ergo minus bona pars & indignior Marthæ, quæ ex solicitudine laboris, erga plurima turbabatur. Ecce & alia probatio. Primò autem à calumniatoribus quæro: Quis labor grauior & dignior dici potest, corporalis, an spiritualis? Non est qui ambigat, quin spiritualis. Est enim fructuosior, & ideo dignior. Christus suis de spirituali, non de corporali labore dixit: Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Labor autem eorum, quibus laqueos conclusionis innectitis, labor est studij, labor consilij, labor præmeditationis, labor sollicitudinis, ne indiscussum quid & inordinatum proferant, labor timoris, labor prædicationis. Talibus haud dubium est, quin spiritus bonorum fratrum in ordine iugiter atterantur. Omittam reliqua, quæ secundum expertos grauiora videntur. Quid dicam de labore consilij in confessionibus audiẽdis: in quo spurcitias peccatorum tolerare coguntur, adeo vt per aures ad cor transitum faciant, & spiritum corpusque totaliter defatigent: & sic in medijs incendijs positi, præ angustia, quid faciant, quò se vertant ignorant. Quis enim secundum Boëtium tam compositæ felicitatis est, vt non cum status sui qualitate rixetur? Credo multos esse, & fuisse in ordine, qui potiùs per tempus sustinuissent flammas incendij corporales, quàm huius spiritualis incendij angustias pertulissent. Potens est tamen Deus in seruis suis flammas ignium mitigare, vt eos non tangat incendium, sicut nec tres pueros in fornace, & facere medium eius quasi ventum roris flantem. Hæc est autem consolatio bonorum fratrum, si ad modicum

Ioan.6. *Quinam eorum sint labores.*

Boet. l. 1. de consol. philos. prosa 4.

Dan. 3.

cum in confeſſionibus audiendis eos oporteat
Ioan. 16. contriſtari. (Mulier enim cùm parit, triſtitiam habet,) gaudent tamen in ſpe, quia per pœnitentiam natus eſt homo in mundum. Videntes enim quòd prodigi filij à regione longinqua redeunt ad pium patrem; videntes nihilominus eos in
Luc. 15. oſculo recipi, primamque ſtolam innocentiæ
Gal. 5. proferri, eos anulo fidei, quæ per dilectionem operatur, glorioſiùs adornari, calceari exemplis pa-
Luc. 15. trum: & in omnibus his totam Angelorum & Sanctorum familiam lætari, tantò tripudioſiùs gratulantur; quantò eorum multitudines numeroſiùs augmentantur. Neque enim credo in corde boni fratris maius ſub cælo poſſe gaudium generari; quàm quòd videat per præuenientem gratiam, & ſuam exhortationem conuerti ad pœnitentiam peccatores, & ſua lugere crimina confitendo, & ſatisfacere corde prompto. Et de his vidi plures, qui præ nimio gaudio, lacrymas dulciſſimas ediderunt. Si quis autem dixerit, officia ordinis, quæ præmiſi, cum multo multotiens grauamine ſpiritus, & corporis attenuatione non fieri: amentem dico eum, vel ordini detrahen-
Labores Prædicat. corporales. tem. Hinc veniam ad labores, qui ſunt in ordine corporales, ſi pro laboribus non receperint, quæ dicta ſunt, detractores. Numquid primò vides in Prædicatorum ordine fratres, qui etſi ſtudijs continuis & vigilijs macerati, non habentes in
Mar. 6. zona æs, per lutoſa & lubrica pedibus gradientes, terras prædicationibus circuire, imparata frequenter hoſpitia, cibos duros & crudos, & ſuper omnia ingratitudinem hominum ſuſtinere? Parare enim alia, quàm ea, quibus vtuntur & hoſpites, incognitis maximè graue eſt. Quod minimè eſt

de aliis religiosis, qui etiam carnibus non vtuntur: quia hospitibus suis possunt data refundere, & de suo emere quod non habent. Hinc quiddam memorabile valde quod contigit non tacebo.

Aleydis abbatissæ Vallis-ducis leuiter accusatæ, quòd bene tractaret fratres Prædicatores, & Minores, lepidissima defensio.

VAllis-ducis in Brabantia monasterium est, quod nobilis Dux Brabantiæ Henricus huius nominis secundus, Margaretæ filiæ suæ, sub rigore Cisterciensis ordinis, præparauit. Huius primam abbatissam vidimus nobilissimam Aleydem, quæ naturali ingenio, virtute, & gratia clara fuit: ad visitandum autem monasterium Villariensis Abbas Guillelmus, postea Clareuallensis, secundum ordinem accessit. Tento Capitulo, à quibusdam accusata est abbatissa, quòd fratribus Prædicatoribus & Minoribus vinum daret & pisces, tunicas ad pausandum lotas & mundas concederet, & loturam pedibus eorum præpararet, & hæc omnia non faceret monachis sui ordinis cùm venirent. Illa ergo quæsita, & obtenta licentia respondendi, dixit: Vt accusant ita est. Sed quid hæc rationis habeant, audietis. Fratribus quidem Prædicatoribus & Minoribus vinum, & pisces quandoque, cùm possum, confero; quia, vnde emant habere non possunt: vestris autem monachis idipsum non facio, quia egredientibus, vt confido & scio, datur pecunia, vnde possunt emere & habere. Fratribus † pedes egredientibus, & in cœno lubricatis concedo vestes mundas, & tu-

8 *Henricus II. à quo hoc monast. duobus distans Louanio milibus, nomen habet Belg. s'Hertoghendael*

† Rectiùs pedites.

nicas, vt noctc possint quiescere: monachi autem nostri equites vadunt, & in manticis suis tunicas & vestes portant, quas cùm voluerint poterunt immutare. Loturam pedibus fratrum facio procurari, quia sudoribus sordent & luto: Monachis autem idem non facio, quia equis altioribus insidentes, ab immundiitijs talibus possunt conseruari. Hæc vt audiuit venerabilis Abbas cum monachis suis, in risum serenissimum resoluuntur, in muliere mentem nobilem & sapientiam commendantes.

Exemplum & experientia auctoris de penurijs fratrum Prædicatorum & Minorum.

9. IGitur quales defectus fratribus in summis necessitatibus contigerunt, frequenter audiui. Quid autem & mihi experiri volenti, cum fratribus contigerit in terra natiuitatis meæ, simpliciter enarrabo. Veni pedes in villam ignotam mihi, longo itinere fatigatus in tantum, vt præ debilitate nimia, corde me deficere mox putarem. Ingressi fratres domum presbyteri, nec saltem frustum panis nigerrimi, quo familia vescebatur, potuerunt obtinere. Inde digressi latè per villam, nihil prorsus, nisi in fine villæ à quadam paupercula fragmen panis furfurei habuerunt, donum satis magnum; immo mihi maximum donatiuum.
g. dio. Resedimus ergo sub* dumo, panem comedimus. Et licet palearum aristæ, quæ erant in pane, palatum comedentium stimularent, numquam tamen in vita mea sum tam suaui deliciarum edulio delectatus. Consideraui ergo, nec sine graui dolore cordis, quid illi beati viri in multis locis, & in multis

multis articulis grauiorbus sustinebant, qui hoc vna die non poteram sustinere. Taceam ergo de talibus, quæ illis frequenter occurrunt.

Fratres Prædicatores & Minores omnium complent officia clericorum.

VNum consideretur ab omnibus, quod subiungo. In clericis nostris triplex viuendi modus distinguitur. Clerici seculares laborant in studio: Canonici seculares vel regulares horis canendis inuigilant: monachi verò vel alij religiosi institutionibus regularibus diligenter insudant; & in his omnibus suo modo viuendi singuli sunt contenti. Fratres autem Prædicatores & Minores, prout ordo eorum instituit, simul hos tres viuendi modos seruare videntur. Student cum clericis, cum canonicis horis canendis inuigilant, cum monachis verò & alijs religiosis in conuenticulis suis, accusationes, vapulationes, ieiunium, & pro magna parte silentium, quotidianasque ferè ac generales post Completorium sustinere tenentur disciplinas, præter illa, quæ intrinsecus sunt: vt est ad nudum in Prædicatoribus durus super lumbos funiculus, vestis in itinere pedestri lanea, multis sudoribus* infecta, cùm eo quòd sine vllis possessionum proprietatibus viuere elegerunt. O qualis & quantus labor fratribus Minoribus instat, vt suum quotidie quærant panem: Fratribus verò Prædicatoribus generaliter omnibus post Augustum, vt per residuum temporis necessarium panem habeant, quò minùs studium eorum impediatur, aut cesset. 10.

*ms. p. s. incisiua. 2. imp. inscisiua. f. inhæsiua

Exhortatio ad Fratres.

11. O Conſtantiſſimi viri non vos pudeat panem petere, cùm Chriſtus Dominus à muliere
Ioan. 4. Samaritana aquam petierit ad bibendum. Non vereamini dici vel eſſe mendici: quoniam beatos pauperes Chriſtus veritas aſtruxit. Teſtantur hoc
Mat. 5. *Pſal.* 10. ſcripturę noui ac veteris teſtamenti.

Paupertas laudatur, auarita damnatur ex Seneca.

12. HAnc & omnes ferè Philoſophi in ſcripturis ſuis commendabilem reliquerunt, & præcipuè Seneca, qui Pauli doctoris gentium multis epiſtolis commendatur. Ait ergo idem illuſtris
Apud Sen. in pro. vir: Nihil magnum in rebus humanis, niſi animus magna deſpiciens. Inopiæ parua deſunt, auaritiæ omnia. Quietiſsimè viuerent homines ſi duo pronomina de mundo tollerentur, meum ſcilicet &
Sen. ep. 91. tuum. Planè ergo feliciſſimus eſt, cui felicitate vtique opus non eſt, potentiſſimus, qui habet in poteſtate ſeipſum. Auaritia paupertatem intulit:
Ep 92. & multa concupiſcendo omnia perdidit. Sine hoſte patimur hoſtilia, & cladis cauſas, ſi alia deficiunt, nimia felicitas ſibi inuenit. Quidquid longa ætas multis laboribus, multa demum diligentia ſtruxit, id vnus dies ſpargit & diſſipat. Eſſet aliquod imbecillitatis noſtræ ſolatium rerumque noſtrarum, ſi tam citò repararentur cuncta quàm fugiunt. Sed nunc increméta lentè exeunt,
Ep. 116. & feſtinatur in damnũ. Pecunia ex quo in honore eſſe cœpit, verus rerum honor cecidit. An diues quis ſit omnes quærimus; nemo an bonus?

Vbi-

Vbique tanti quilibet, quantum habuerit fuit. Nulla auaritia sine pœna est, quamuis sit satis ipsa pœnarum. Maiore tormento pecunia possidetur quàm quæritur. Necessum est ergo paruo assuescere. Non puto pauperem esse, cui quantulumcunque superest, satis est. Honesta, inquit, res est, læta paupertas.] Omnia habet, qui nihil concupiscit, & quidem certiùs quàm qui multa possidet. Cui cum paupertate bene conuenit, diues est. Ille beatissimus & securus sui possessor est, qui crastinum sine sollicitudine exspectat. Si res exiguæ sunt, non sint tamen angustæ. Nec tua defleas, nec aliena mireris. Quidquid enim vult nemo habere potest: illud tamen potest nolle quod non habet. Nihil habes parare nisi te. Nihil graue quod leuiter excipias. Paupertas nulli malum est nisi repugnanti. Tunc bonum te esse iudica, cùm tibi solum virtutis gaudium omne nascetur. Tũc te habebis tuum, cùm intelliges infelicissimos esse felices. Irritare autem est calamitatem cùm te felicem vocaueris. Aut ista bona non sunt, quæ vocantur: aut homo felicior Deo est: quoniam quidem quæ parata nobis sunt non habet in vsu Deus. Ergo aut incredibile, bonum Deo deesse: aut hoc ipsum argumentum est, bona non esse quæ Deo desunt. Si vis scire, quòd nihil in paupertate mali est, compara inter se pauperum & diuitum vultus. Sæpius pauper, & fideliùs ridet. Horum, qui felices vocantur hilaritas ficta est aut grauis, aut † superata tristitia: eò quidem grauior, quia interdum non licet palam miseros esse. Omnium istorum personata felicitas est. Contemnes illos si verè te rexeris. Nihil locupletius eo, cui quod donet fortuna non inuenit. Sed cui sua non

Ep. 124. Ep. 1. Ep. 2. Ep. 2. & 4. Ep. 12. apud Sen. l. de 4. virt. c. 3. Ep. 124. Ep. 125. In pro. Ep. 75. Ep. 81. & apud eum. l. de paupert. † or. epist. 81. suppurata. Ep. 82. l. de paupertate

non videntur amplissima, licet totius mundi dominus sit, miser est. Nemo alius est Deo dignus, nisi qui opes contempserit. Quarum possessionem secularibus non interdico, sed efficere volo, vt illas intrepidè * possideant. Redige te ad parua ex quibus cadere non possis. Nudum latro dimittit. Etiam in obsessa via pauperi pax est. Is maximè diues est, qui minimè diuitijs indiget. Breuissima ad diuitias via est per contemptum diuitiarum. Nam contemnere aliquis potest omnia; habere omnia nemo potest. Multis ad philosophandum obfuere diuitiæ: paupertas expedita est.] Et ideo Prædicatorum & Minorum ordo non desipuit paupertatem eligendo. Ista non cõsiderant, qui destruunt horrea sua, vt faciant ampliora. Accumulant copias, vt dicant sibi: Ecce reposita habes multa bona in annos plurimos, comede, requiesce, bibe. Caueant ne dicatur eis sicut & illi: Stulte hac nocte repetetur anima tua à te: hæc autẽ quę pręparasti, cuius erũt? Et respondeat Dauid: Partes vulpium erunt, Sed quarum vulpium? Pars vermium, corpus: pars dæmonum, anima: pars filiorum, vxoris, vel principis, diuitiæ, quas reliquit. Et hi tres sibi tam commodè diuiserunt, vt neuter eorum partem suam pro ceteris residuis partibus commutaret.

Epist. 18. *ms. p. s. 2. imp. add. non, or. omittit.* *Ep. 20. l. de pauperta.* *Ep. 14.* *Ep 63.* *Epist. 17.* *Luc. 12.* *Ibid.* *Psal. 62.*

Cur superiora commemorauerit.

13 MIhi testis sit Christus quòd in his omnibus gloriam duorum dictorum ordinum non quæsiui. Est qui quærat & iudicet. Sed respondere detractoribus sum compulsus, qui religiones

Ioan. 8.

nes has nouas, superstitiales iudicant & inanes, fratrum discursus *nouos,& vt vtar eorum verbo, gyrouagos fratres vocant. *ms.s.vanos*

Ad fratres cohortatio.

Eia fratres non vos pudeat cum Paulo docto- 14.
re gentium dici vel esse gyrouagos, qui ab *Rom. 15.*
hispania vsque ad Illyricum repleuit Euangelium *vbi bib.habent; ab Ierusalem, postea tamen etiam fit mentio Hispaniæ.*
Christi. Sedēt illi in claustris domi, & vtinā cum Maria: vos cum Paulo circuitis obedientiam adimplentes. Et spero, quòd si in mundo pressuram habetis: in Christo tamen pacem habebitis, tantam forsitan vel maiorem, quàm illi, qui in loco quietis murmurant, & sibimet inuicem discordias suscitant vel prælatis. *Luc. 10. Ioan. 16.* Quòd si à discordijs, vt fortè dicent, fuerint alieni, sedeant vestiti triplicibus, gaudeant pace sua, permittant fratres, vt dicunt gyrouagos, in semicinctijs, & pannosos circuire per mundum, animas viuificare Christi morte redemptas, easdem de faucibus dæmonum *extrahendo. quas illi in pace sua & leui cura dissimulant ad inferos descendere. *ms.p.s.2. imp.extrahentes.*

Fratres deberent amari, non despici.

O Si verè religiosi, & verè Christi amatores 15.
essent, qui talibus detrahunt, iudicant, & despiciunt, quàm sinceris oculis illos inspicerent: quàm læto vultu fratribus congauderent, qui retrahendis, liberandis, & *soluendis animabus insistunt, quas Christus tanto dignas pretio sui sanguinis approbauit, vt respectiuè paruipenderet quidquid pro redemptione earum facere potuisset. *ms.s.saluandis.*

Visio

Visio, qua declaratum est beatam Virginem esse patronam ordinis Prædicatorum.

16. SVper hoc quidam Cisterciensis ordinis monachus, vitæ tam sanctæ, visionem mirabilem vidit, vt ei non credere flagitiosissimum & impium putaretur. Raptus enim in spiritu patronam ipsius Cisterciensis ordinis vidit, Christi Iesu benignissimam genitricem. Cui B. Virgo, vt sincerè, inquit, diligas eos, & pro eis intensiùs ores, tuæ caritati meos fratres & filios recommendo. Cúmque ille lætus annueret, fratres ordinis sui hos confidens, beata Virgo: Habeo, inquit, & alios fratres, quos meo patrocinio fouendos & custodiendos amplector. Et hæc dicens, reuelato pallio fratres ordinis Prædicatorum sub eo contutatos ostendit, & adiecit: Hi sunt, inquit, qui * specialiter insistunt negotio, ne dilecti filij mei sanguis invtiliter sit effusus.

Quomodo sit Cisterc. ordinis patrona, vide Cæsarium l.7.c.vlt.

ms.p.2. imp.spiritualiter.o.

Visio altera, similis præcedenti, idemq; demonstrans.

17. SImiliter cùm quædam in Saxonia (vt nobis frater Walterus de Treueri ordinis Prædicatorum retulit) sanctissimæ opinionis reclusa, Prædicatorum nomine excitata, videre fratres in principio ordinis vehementiùs affectasset, & tandem duos iuuenes fratres, data occasione vidisset, attonita mentis acie, dixit ad Dominum. Quid est Domine, quòd prædicatio verbi tui per tam infantiles & imperitos homines vsurpatur? Cui mox ad hæc verba beata Christi mater apparens, reue-

reuelato pallio, vt priùs dictum est, ei fratres ordinis ostendit, dicens: Ne despicias quoscumque tales, ego sum quæ rego eos & protego, & eorum dedes dirigo in viam pacis. *Luc. 1.*

Idem declarat ab euentu.

ECce vide lector quàm veracissimè hæc dixit veritatis mater. Vidimus, maximè in initio ordinis Prædicatorum: vidimus & nunc iuuenes inexpertos, delicatos, recenter à seculo venientes, circuire terras socialiter combinatos, inter peruersos non euersos: inter nocentes innocentes: simplices sicut columbas inter astutissimè malignantes: prudenter tamen, sicut serpentes, in sui custodiam ambulantes. Quis non miretur, vt olim, & magis nunc, istos pueros in medio fornacis æstuantibus ignibus non exuri, quando aliorum à turbis secularibus restrictissimorum ordinum religiosi, sine maximis periculis, vt frequentissimè heu vidimus, & audiuimus, vix euadunt.* Anguntur illi laboribus, diuersisque negotijs distrahuntur, & tamen infracti persistunt: isti autem vacant saluti mentis & corporis, & vacillant. Et hæc cui imputanda sunt? Nonne virtuti? Minimè: sed matri Christi: si qui verò cadūt, quia spiritus & caro sunt, non columnæ cæli, quæ Maria est, sed baculo arundineo confracto Ægypti desides innituntur. Et hæc, vt sub exemplo pateant, miraculum euidentissimum proponamus.

18. *Mat. 10.* *Dan. 3.* *ms. b. c. t. imp. Aguntur.* *4. Reg. 18.* *Isa. 36.*

De Raj-

De Raynero Brugensi Prædicatore, qui ordinem volens deserere, à beata Virgine est reductus: & cur in ordine Prædicatorum canatur, Salue regina cum processione post Completorium.

19. Vidimus fratrem in ordine Prædicatorum de domo Brugensi in Flandria, Raynerum nomine, iuuenem sagacem ingenio, & secularibus litteris institutum. Hic statim vt ordinem ingressus est, acriter studio Theologiæ cœpit insistere. Sed cùm nondum illuminata mens, nec orationibus præparata, stuperet ad lumen, & minùs capax animus vento inconstantiæ fluctuaret: cœpit cogitare velle discutere, quæ sectarum, Iudæorũ, Gentilium, Christianorũ potiori veritatis culmine fulciretur. Videbat quidem quod* gentiles & Philosophi naturali ratione regebantur: videbat & Iudæos legem à Deo antiquitus accepisse: videbat & Christianos Euangelicis obseruationibus gloriari: sed quid in his certiùs tenendum esset segniùs dubitabat. Conuenit ergo Iudæos, discussionem legis proposuit. Sed cùm fratres ordinis vidissent ex frequenti collatione hominem fluctuare, arcendum eum à talibus censuerunt. At quoniam arctatus ignis actior consurgit in flammas, iuuenis in tantum, diabolo stimulante, grauatus est, vt media nocte fugam omnimodam attentaret. Statim ergo, vbi ad exitum portæ venit, obuia illi fit maris stella, virgo Maria, ad portum salutis deuium reductura. Cui dixit: Fluctuasti à via deuius, & veritatem in fide filij mei te dubitas inuenisse. Noueris certissimè, quòd diuersis erroribus scatet per orbem gentili-

ms. p. s. e. 2. imp. inter gentiles & philosophos quòd nat.

gentilitas: Iudæi nihil solidi tenent, diuersas vmbras sequuntur, nequitię tenebris offuscati. Euangelium verò nouæ gratiæ per hoc veritatem habere probatur, quòd caritate, humilitate, & castitate refulget: quę tria in ordine, quem intrasti purgato mentis oculo prærogatiuè videbis. Ego autem sum mater Christi patrona ordinis tui, quæ solita pietate passa non sum tuam castam indolem decipi vel perire. His dictis gloriosa Virgo disparuit, & iuuenem confortatum ac firmatum in fide, in magna cordis iocunditate reliquit. Hic idem in ordine tantum profecit, vt le-
ctor in ordine fieret, & consummatus in breui Sap. 4.
ad potiora transiret. Verè ergo, dignè, & iustè à fratribus Prædicatoribus Parisijs est sancitum, vt post Completorium, omni die cum processione & solemnitate cereorum, Salue regina misericordiæ, flexis in initio genibus, in gloriam & laudem gloriosissimæ Virginis decantetur, & hoc diligentissimè in singulis domibus ordinis obseruatur.

Conclusio contra detractores.

CAueant ergo maledici & impij detractores, 20.
ne contra patrocinium matris Christi eius filios insectentur, & iram patrocinantis & defendentis incurrant.

Priuilegia non impunè damnata.

QVidam nostro tempore Papa, cuius nomen 21.
propter sanctæ sedis reuerentiam silentio pertransimus, cùm, sicut ab illis indubitanter accepimus, qui Romæ in Curia tunc fuerunt, litteras dedisset contra priuilegia à seipso, & suis præ-

decess-

decessoribus, quatuor Apostolicis, obtenta duorum ordinum, quorum vnum per Zachariam prophetam conditor ab æterno decorem vocauit, Prædicatorum scilicet: alterum verò funiculum, quo lucidissimè intelligas & Minores, eadem die paralysi percussus obmutuit, nec vnquam postea inualuit aut surrexit. Qui etiam à quodam sanctissimo viro extra muros vrbis Romæ, manifestissimè visus est mortuus dari Sanctis Dei Francisco atque Dominico iudicandus.

Zach. 11.

Eadem salubriter reuocata.

22. *ms. p. concilio.* *ms p. s. 2. imp. felix.*

LItteras verò datas beatissimus Alexander Papa cum * consilio fratrum Cardinalium solemniter reuocauit. Et vide quàm * vtilis ecclesiæ fuit illa reuocatio litterarum. Pro constanti enim recepimus à fide dignis, quòd si processum suum prædicta machinatio per dictas litteras habuisset, potentissimi reges orbis, vt audiere postea Papale mandatum, cum iuramento dixerunt, sibi & Prælatorum, & clericorum secularium possessiones & redditus vsurpasse, si dictos duos ordines Apostolicus destruxisset. Dixerunt enim Prædicatores & Minores, propter exemplum & doctrinam, in salutem maximam à Deo datos esse hominibus. Et hoc manifestum est toti mundo.

Aduersarij fratrum confunduntur, & beneficijs priuantur donec reuocationem iurauerunt eorum, quæ contra eos dixerant.

23. QVales autem illi essent, per quos eorum destructio parabatur, nec Deum, nec Sanctos

latet,

latet, nec ipſos inhabitantes orbem, quibus eorum vita nota eſt & probata. Huius crudeliſsimi edicti, quatuor præcipuè magiſtri fuerunt Pariſijs infatigabiles incentores, qui ſimplicitatem ſcholarium Pariſijs contra dictos fratres feraliter concitarunt, in tantum, vt, niſi ſe pijſsimus ac deuotiſsimus Ludouicus rex Francorum, nec non & frater eius, pius Comes Pictauiæ Alfonſus, antequam ipſe rex à tranſmarinis partibus rediret in Galliam, muros, inquam, ſe pro fratribus poſuiſſent, abdicatos eoſdem rebus & corporibus exterminaſſent. Hinc cùm nihil aliud poſſent, litteras infamatorias, plenas mendacijs contra dictos fratres per diuerſa loca & regna miſerunt. Poſt has & librum nefandiſsimum compilarunt, qui ſic incipit: Ecce videntes clamabunt foris, titulum habens: de periculis nouiſsimorum temporum: in quo libro, ſpiritu nequitiæ & veſano, præfatos ordines elidere & deſtruere nitebantur. Qui liber, qualiter citatis & vocatis ad Curiam, & præſentiam ſummi Pontificis dictis magiſtris, damnatus ſit & combuſtus, non ſolùm in ipſa Curia, ſed & Pariſijs coram vniuerſitatis multitudine copioſa, ſcire poterit, qui collationes & diſputationes legerit, præcipuè contra magiſtros quatuor in capite aduerſarios: diſputationes quoque domini Hugonis presbyteri Cardinalis fratris ordinis Prædicatorum, domini Richardi, & domini Gaietani, & aliorum Cardinalium plurimorũ: nec non & allegationes venerabilis patris, fratris Humberti, magiſtri ordinis Prædicatorum. Sed & fratris Bonauenturæ generalis Miniſtri ordinis fratrum Minorum, & maximè magiſtri Alberti fratris ordinis Prædicatorum ad hoc *Albertus Magnus.*

ſpecia-

ſpecialiter à domino Papa vocati, & aliorum Prælatorum atque magnorum virorum diſputationes prolixas & magnas, habitas Anagniæ coram multis: & in ipſis inuenire poterit rerum geſtarum enucleatiſsimam veritatem. Quapropter iam dicti magiſtri, fratrum aduerſarij, dignitatibus & beneficijs omnibus ſunt priuati donec iurauerunt, mandato domini Papæ coacti, reuocare Pariſijs, & in alijs ciuitatibus, & locis verecundæ prædicationis eorum quidquid contra dictorum fratrum ordines implicitè vel explicitè euomuiſſent.

Opidum eſt Italiæ in Hernicis.

De lectura Alberti Magni Romæ facta.

24. ET notandum quòd antequam præfatus magiſter Albertus, frater ordinis Prædicatorum curiam Romanam intrauerat, quidam, dictus magiſter Willelmus cum ſuis complicibus miro modo clerum Romanum, nec non & populum in partem ſuæ peruerſitatis* inclinauerat, & ſeduxerat multis verbis. Sed poſt præfatas diſputationes, cùm ad petitionem domini Papæ & omnium Cardinalium, ipſe magiſter Albertus Euangelium Ioannis totaliter, & epiſtolas canonicas, miro & inaudito modo ſuper omnem hominem exponendo legiſſet, cum tanto fauore omnium, negotium fratrum Prædicatorum & Minorum terminatum eſt & concluſum, vt omnes inimici eorum obſtupeſcerent & horrerent, & veritatis fautores ſumma pace conquieſcerent & gauderent.

ms.p.1. imp. peruerterant & ſeduxerant. ms.s. conuerterat.

Viſio

Visio cuidam ostensa biennio antè, de prædictis turbationibus.

QVid autem super hoc cuidam sancto viro duobus annis antequam disceptatio fieret, ostensum sit, indubitabiliter referamus. Venerat quidam Præpositus ordinis regularis de Bauaria, vir sanctus & bonus, ad Curiam Romanam pro negotijs quæ habebat. Vna ergo dierum in ecclesia sancti Petri Romæ orans, in excessum mentis raptus est. Et ecce vidit ipsam ecclesiam plenam serpentibus, quorum horribili sibilo, non tantùm ipsa, verùm etiam tota Roma replebatur. Nec mora, idem sanctus vir, sibilo serpentum conterritus, vidit virum in habitu ordinis Prædicatorum ecclesiam introëuntem. Quem cùm stuperet incognitum, dictum est ei responso diuino, quoniam Albertus nomine vocaretur. Hunc ergo dicti serpentes sibilis importunis aggressi, inuoluebant se pedibus eius & pectori, brachijs quoque ac totius corporis membris. De quorum medio se viriliter & violenter excutiens, ascendit exedram, in qua sacrum Euangelium diebus solemnibus legi consueuerat, & legit in ea Euangelium secundum Ioannem, vsque ad locum vbi dicitur: Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis, statimque serpentum sibilus conquieuit, serpentes fugati sunt, & pax reddita est vniuersis. Hæc igitur quid significarent, nimirum vir sanctus ignorans, in terram suam reuersus est, & sorori suæ cuidam sanctissimæ reclusæ quid sibi Romę reuelatum fuerat indicauit. Cui illa, vehementer exultans: Ecce, inquit, audiui quòd ille Al-

25.

Ioan. 1.

bertus, qui tibi in viſione fortè monſtratus eſt, nuper Comiti de Octheughem prope terram iſtã locuturus aduenit. Et Præpoſitus non modicè gauiſus in verbo: Vadam, inquit, & videbo quis ſit: ſpero enim quòd adhuc faciem eius ex dicta tibi viſione cognoſcam. Et hæc dicens, properauit videre virum, & ex certiſſimis ſignis ſtaturæ, faciei, coloris, & paruæ maculæ, quam habebat ſub palpebra hominem recognouit.

Confirmat Auctor viſionem.

26. MIrare lector, obſtupeſce miraculum. Quid eo euidentius quod audiſti? Nec in verbo dicta viſio diu ante præcognita, à re facta, poſtmodum ſubſecuta. Indicauit igitur vir beatus dicto magiſtro Alberto modum viſionis, quam viderat, ſed neuter quid hoc ſignificare poſſet agnouit. Accidit * ergo poſtea, vt facta diſſenſione inter vniuerſitatem cleri Pariſijs & fratres ordinis Prædicatorum atque Minorum; citatiſque partibus coram Papa, ipſe Apoſtolicus magiſtrum mandaret Albertum, antequam ipſe iter vellet arripere, experiri forſitan pro certo volens præfatæ viſionis effectum: nec eum fefellit, vt dictum eſt, ænigmaticæ reuelationis veritas prophetalis: immo ſecundum oſtenſæ rei ordinem omnia contigerunt.

ms. b. c. tria imp. autem

Pœnitentia aduerſariorum

27. GRatia autem Dei, vnus ex dictis quatuor magiſtris, ſcilicet Chriſtianus Beluacenſis infirma-

infirmatus eſt, & amariſſimo corde contritus, recognouit nil ſe & complices ſuos contra dictos ordines habuiſſe, niſi quod illis æquari ſcientia non valerent, & ob hoc, eos paruipenderent auditores. Et addidit: Quoniam, ait, nihil habeo, quod vobis pro iniuria graui illata refundam, in ſignum tamen quòd ex corde pœniteo, corpus meum apud vos fratres Prædicatores tradendum ſepulturæ relinquo. Similiter & magiſter Laurentius Anglicus poſt grauiſſimam fratrum perſecutionem, datis librorum copijs fratribus Prædicatoribus, Pariſijs moriturus, apud eos, mirè pœnitens, delatus eſt & ſepultus. Hoc idem de alijs plurimis, qui ordinem perſecuti ſunt contigit nutu Dei.

Quanta fuerit turbatio.

ET vide lector, quàm amara, & quàm execranda contra fratres Prædicatores primò, 28.
& poſtea contra fratres Minores ſimul, per vniuerſalem eccleſiam diſcordia ſuſcitata eſt: quia cordibus non tantùm clericorum ſecularium, & laicorum: verùm etiam omnibus quorumcumque religioſorum, tam dirum ſcandalum eſt impreſſum, vt nullis rationibus, nullis auctoritatibus ſanctorum flecti poſſent, donec per dominum Papam & totam curiam Romanam iudiciaria ſententia flecterentur. Et in hac tam pertinaci & generali ſtultitia, quis non videat maximum eccleſiæ Chriſti periculum imminere?

Visio de periculo Ecclesiæ in dicta turbatione.

29\. VNde homo quidam summæ opinionis in Brabantia, per excessum mentis; quasi vniuersalem ecclesiam sub cælo collectam vidit, & cum ordinibus vniuersis, Prędicatorum ordinem in singulis personis vibrātissimis radijs coruscare. Nec mora; vidit toti mundo caliginem teterrimam superfundi, ita vt vix toto orbe aliquid luminis videretur. Hæc vt vidit, grauissimè ingemuit; sed paulatim tenebris dissipatis, lux pristina reddita est vniuersis. Vidit quoque & in illa collecta generalissima personarum ecclesiasticarum, maximæ auctoritatis virum, velut speciali gloria euidentiùs præeminere: cumque stupens quæreret quis hic esset? Responsum est ei: Iste est Paulus Apostolus doctor præcipuus ecclesiæ, qui multa compassione conqueritur, à temporibus suis numquam sanctam vniuersalem ecclesiam tam graui periculo fluctuasse.

Eiusdem confirmatio.

30\. ET vide lector euidentiam veritatis. Si enim tam perfectis, tam discretis, atque literatissimis viris, vt nec studere, nec * legere, nec prædicare, vel confessiones audire possent, ora fuissent obstructa; & hæc solis secularibus clericis facere licuisset; quorum permaxima pars, præcipuè in sacerdotibus parochialibus, vita & scientia minus idonea comprobatur; quanta iactura fieret animarum, quas auctor & princeps salutis nostræ Iesus pretioso sanguine suo redemit? O quàm pau-

ms s.c. regere. Hinc videat quisque, quāto nunc reip. bono futuri pastores in seminarijs erudiantur.

pauci sunt ex his, qui non propriè sola quærunt, *Philip.2.*
quæ sua sunt, & in minimis, quæ Iesu Christi. Mallent potiùs commissas sibi animas saucias per totum annum in mortalibus dissimulare peccatis, quàm equum suum clauo pedis lęsum, vno die vel duobus negligere claudicantem.

De causa turbationis prædictæ, videlicet inuidia.

SVmma autem in supradictis magistris & alijs secularibus clericis inuidiæ causa fuit, quòd 31.
fratres Parisijs, plures, & propè omnes litteratiores in scholis auditores habebant, & in regimine prçeminebant. Videbant enim scholares quòd magistri seculares, sicut viri diuitiarũ, dormierunt *Psa.75.*
somnum suum, ducebantque in bonis dies suos. *Iob 21.*
Et cùm vesperè multiplicitate ferculorum obruerentur & potuum, & postea vigilare non possent, nec studere, & per hoc nihil inuenire in manibus, quod proferrent, sequenti mane solemnem diem constituebant auditoribus in condensis: & sic per *Psa. 75.*
ineptas vacationes, quibus sua clerici inaniter ex- *Psa.117.*
pendere se dolebant, optato priuabantur studio. Maiore enim corporis sarcina, vt Seneca dicit, a- *Sen.ep.15.*
nimus eliditur, & minus agilis est: deinde copia ciborum subtilitas impeditur. Mirum est enim a- *Ep.33.*
liquid fortiter dici ab homine mollitiem professo.] Fratres autem Prædicatores, siue Minores sicut viri pauperes, in magna sobrietate refecti, vigilare poterant & studere, & per consequens inuenire quę auditoribus essent digna. Istud, in summá, occasio fuit, quòd in Magistris secularibus, secundum vulgare prouerbium, calceus pedem pressit. Talibus Seneca euidenter inclamat,

Apud Sen. in pro. or. mutari non potest. & inuidorum excludens vitium dicit: Feras, non culpes, quod * imitari non potes. Sed quantò maiora felicium hominum bona, tantò maior inuidorum tristitia. Et ideo secundum eumdem dicitur: Vtinam inuidorum oculi in omnibus essent ciuitatibus, vt omnium felicitatibus vexarentur. Sæua pestis inuidia: se primùm, antequam alium, fera corrodit; & nondum sui inexplebilis satiata, transit ad reliquos, quos cæcis æmulationibus insectatur. Et alia quidem emolumentum aliquod: sed nullum prorsus reportat inuidia, quæ cor & corpus mira celeritate consumit. Quid isto magis proprium in præmissis? Nequitiæ primordialis * actores, simplices Vniuersitatis scholares, sibi, velut vnum corpus, miris astutijs adunarunt, vt in multis librarum milibus eos roderent placitantes; vt sic in dictos ordines crudeliùs deseuirent, & id quod per se non poterant, non sufficiente pecunia, in euacuatione bursarum innocentiæ puerilis, multorum copijs obtinerent.

i. auctores, sed antiqui libri actores scribũt.

De malitia aduersariorum.

33. ILlo in tempore, cum venerabili Philippo Priore Prædicatorum, misso ab illustri Romanorum rege Wilhelmo ad Alfonsum Comitem Pictauiæ, fratrem regis Ludouici & procuratorem Franciæ, pro negotio pacis Imperij, domino Alberto Apostolicæ sedis legato, audiuimus ab eo in Gallijs constituto, quòd dicti magistri ex parte vniuersitatis, & fratres Prædicatores (qui tunc soli innocentissimè vexabantur) datis super hoc litteris, in ipsum finaliter conuenerunt, vt omnes querelas inter ipsos proprio arbitrio terminaret,

naret. Quærens ergo legatus à magistris, quid illud esset, quod magis in calumniam verteretur? Responderunt, quòd fratres Prædicatores duas scholas haberent, & duos magistros in Theologia regentes: optimè autem pacem fieri, si vna schola vellent esse contenti, & vniuersitatis mandata seruarent. Legatus igitur quæsiuit à fratribus, si hoc vellent. Responderunt fratres: Vna libenter schola se esse contentos, & vniuersitatis mandata velle seruare, dum tamen illa eis præcisè darentur expressa in scripto. Et in hoc sapientissimè * prouiderunt. Nam sicut postea, per eos, qui in consilio fuerant magistrorum, fratribus dictum est, si simpliciter sine expressione promisissent fratres, vniuersitatis seruare mandata, in mandatis postmodum ab vniuersitate daretur, vt fratres omnimodè à regimine Theologiæ & lectionibus cessarent. Legatus ergo, nihil talium suspicatus, gauisus est, finemque sperans contentionis huius haberi, mandauit magistros, & obtulit ex parte fratrum, quòd vna schola vellent esse contenti, & vniuersitatis mandata in scriptis redacta seruare. Tunc magistri, malitiæ suæ propositum non habentes, turbulentissimè responderunt. Quid nobis, inquiunt, prodesset vna schola eos esse cōtentos, dum rupto pariete medio inter duas scholas, tot sicut ante haberent vnius capacitate ambitus auditores. Legatus igitur mox ad indignationem grauiter commotus: Vt video, inquit, vestri propositi aut voluntatis non est, vt quis fratrum Rector sit, & vna schola saltem gaudeant, aut duabus: super hoc quid fratres faciant, viderint. Nec credo, quòd Romana curia, obtento per multos annos iam duarum scholarum magisterio priuare

4. ms. ter. imp. prauiderunt.

Psal. 47. eos debeat iure suo. Sicut audiuimus, ita & vidimus. Nam dominus tunc Papa, quamquam grauissimus fratribus fuerit, vt suprà posuimus, tamen in hoc, vt iustus iudex, iustitiam fratribus denegare non potuit, sed pro eis iuris sententiam tulit, nec hoc semel & iterum, immo & tertiò, inani semper per nuncios vniuersitatis appellatione compulsus.

p. 21. huius cap.

Cur iusti ad tempus persecutionem patiantur.

33. ET notandum, quòd conculcari quidem & tribulari iustorum vita & veritas ad tempus poterit, sed extingui numquam. Calcari autem dispensatiue & subpeditari potest, sed hoc vt* exaltati iusti, postmodum elucescant: inimici verò eorum ad modicum eleuati, postmodum non existant. Vnde gratulabūdus Dauid: Non relinquet, inquit, Deus virgam peccatorum super sortem iustorum. Ac si dicat: Non relinquet Deus virgam peccatorum dominantium nequiter sanctis, vt eos semper affligant, sed sorte pacis & remunerationis veniente, sanctorum virgam, hoc est, ipsam tribulationem, vel vt melius dicatur, virgam, id est, ipsos tribulantes contemptibiliter amouebit: vel impœnitentes in ignem præcipitabit æternum.

2. imp exercitati, ms p. ad marg. vel exercitati.

Ps. 124.

Mors subita cuiusdam aduersarij fratrum.

34. ET vt hoc euidenter pateat, quædam referam de magistro quodam, opinione permaximo, qui priùs Præpositus solemnis ecclesiæ, domum fratrum Prædicatorum constructam in o-

pido

pido violenter eiecit: ſed ruina turpiori, vt audies, eſt eiectus. Factus enim Epiſcopus & Romanæ curiæ Cardinalis, tyrannizauit feraliter contra fratres Prędicatores pariter & Minores, & ob hoc, vt patuit, tali morte mulctatus eſt. Cadens enim de loco editiori, fractis ceruicibus exſpirauit. Et vide mirabilius & grauius quàm audiſti. Eadem die, qua cecidit, cùm eius mors ſubita, ex reuelatione cuiuſdã mulieris ſanctiſſimę per fratrem quemdam Minorum prædiceretur ei, ſpreuit arguentem ſe, & inuęctus contumelia, dixit: Non es propheta, neque filius prophetæ. Et ego quidem procuraui, vt ordo veſter, & ordo Prędicatorum ſubijciantur Epiſcopis, addam & hoc, vt ſubijciamini viliſſimorum pedibus ſacerdotum. Hæc dicens, vidit ſigna prædicta ſibi, & non aduertit. Excęcauit enim eum ſuperbia, quam non vidit. Et hæc ſigna fuerunt: quòd ira immoderata dominaretur * ei, dum in ipſo mane diei, quo acceſſurus erat ad altare, pacificari non poſſet: quòd loturus manus ſuas, epiſcopalem anulum perderet: quæ omnia luce clariùs ſunt completa. Cùm enim dominus Papa eccleſiam quamdam fratrum Minorum conſecrare debuiſſet, & dictus Epiſcopus Cardinalis ad portam fratrum Minorum pulſans, intromiſſus celeriter non fuiſſet, tanta ira raptus eſt extra ſe, vt celebraturus primam miſſam nullo modo, etiam facta confeſſione, pacificari poſſet: & tamen ad terrifica ſacramenta proceſſit. Poſt hęc verò, cùm manus ſuas, regreſſus ad hoſpitium, abluere voluiſſet, & aſtanti epiſcopalem anulum ad tenendum porrexiſſet, lotus, mox illum, qui haberet anulum non inuenit. Statimque miratus, dixit: Ego perdidi

Amos 7.

Sap. 2.

ms. p. s. eidem in ipſo mane diei: quòd acceſſurus ad alt.

didi Præſulatum. Omnibus itaque ſubticentibus atque ſtupentibus, aſcendit editiùs, & ſolus contra conſuetudinem ſuam, ſenex ac debilitate confectus, proceſsit ad cameram, & diſsiliente aſſere, deorſum excidit, & exſpirauit. Et vide ſtupendum valde & occultum Dei iudicium. Cognoui ipſe hominem, vt commenſalis dilectus & familiaris eidem † ſecum vna domo Pariſijs hoſpitatus. De quo fateor raró ſecularem clericum tam ſobrium, tam honeſtum, tam affabilem, tam largum in pauperes me vidiſſe. Et cum vtique vidi nouem Epiſcopatuum contemptorem, tandemque per tres menſes † excommunicatione coactum Archiepiſcopatus cuiuſdam ſuſcipere dignitatem. Inde veró tranſlatus, Romanæ fit curiæ Epiſcopus Cardinalis, & in tali eminentia, taliter vt audiſtis, deſipuit. Sed ſpero, quòd non in finem Deus obliuiſcatur eius, nec in ira ſua continebit miſericordias ſuas; ſed magna pietate ſua miſerebitur forſitan pœnitenti.

Secum, pro cum ipſo.

.i. per excommunicationem.

Pſal. 76.

Mors alterius aduerſarij.

35. NOn tacebo igitur diuinæ permiſsionis mirabilia, poſtquam cœpi. Narrabo & de infeliciſsimo quodam noto mihi ſacerdote primùm parochiali, & poſtea Decano Chriſtianitatis, & demum canonico cuiuſdam eccleſiæ cathedralis: qui omnibus religioſis, & ſpecialiter Prædicatoribus, pariter & Minoribus ſupra modum contrarius, eorum prædicationibus, & maximè ne confeſsiones audirent, crudeliſsimè detrahebat. Verebatur autem (ſicut omnes ferè tales) ne immundiſsima & luxurioſiſsima eius vita per eos quoquo

Non erat quæſtio de confeſſione Paſchali, ſed volebāt aduerſarij ne vllo vm-

quo modo in notitiam deueniret. Et factum est, vt paralysi destitutus, per septennium vexaretur. In qua ægritudine, nec verbo saltem, Dominum recognouit. Cumque à proprio Episcopo, socijs, & fratribus dictorum ordinum sæpius visitaretur, corripereturque, & non curaret, sine confessione & diuini nominis reclamatione, & sacramentis, vita priuatus est: & extra cœmiterium asinina tumulatione sepultus. Et dignè quidem: vt qui alijs beneficium prædicationis & confessionis inuidens, impediuit, ipse peccatorum confessione, & sacramentis ecclesiasticis priuaretur.

quam tempore docerent, prædicarent, aut confessiones audirent.]

Occasio mortis Philippi Cancellarij Parisiensis.

NArrabo & de magistro Philippo Cancellario Parisiensi, de quo superiùs loco suo retuli. Hic contra fratres ordinis Prædicatorum in omni ferè publica statione & sermone Parisijs latrabat. Et quidem cùm ipse diebus quindecim ante mortem contra eos crudeliter prædicasset, sequenti Dominica frater Henricus, dictus de Colonia, dicti ordinis feruentissimus & discretissimus prædicator; Parisijs coram vniuersitate, singulis, quæ contra fratres dictus Cancellarius prędicauerat, retractatis, ad vnguem omnia luculentissimè per diuinæ scripturæ paginam improbauit. Cuius improbationis confusione, Cancellarius mox tactus dolore cordis intrinsecus, repentè contremuit, & infirmatus ad mortem, obijt tali modo vt in præcedentibus iam audistis.


36. l. 1. c. 19. p. 5. & 6.

Vbi suprà.

HÆc sunt quæ contra fratrum aduersarios facta vidimus, exceptis alijs, quæ multa & veracis-

Conclusio.

veracissimè nouimus, & occultis Dei iudicijs, quę grauiora & damnabiliora istis omnibus reputamus. Hæc contra inuidos. Sed de his omnibus ad præsens ista sufficiant, nos autem ad exponenda reliqua ociùs transeamus.



De bonitate socialis vitæ.

CAPITVLVM XI.

Omnes vnam incolunt mansionem: neque enim eas natura diuidi patitur.

1. ROBABILE est omnibus, tutissimum esse fidelibus, omnes vnam incolere mansionem. Vnde Dauid: *Psal. 132.* Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Sæui enim equi vno mitescunt loco. Et iterum *Psal. 67.* Dauid. Qui habitare facit vnius moris in domo. Hoc contra consuetudines quorumdam monasteriorum, qui monachos suos, vel clericos, vt ita dicam, si fuerint regulares, in curias aut parochias solos mittunt, solosque relinquunt, & hoc contra ipsum Dominum totius rectitudinis & virtutis *Luc. 10.* exemplum: qui suos binos & binos misit. Vę enim *Eccle. 4.* soli, vt dicit Salomon, quoniam si ceciderit, non habebit subleuantem. Quàm vera sit hæc sententia, ego noui, qui triginta annis, & eò ampliùs, vices Episcopi in diuersis prouincijs & diœcesibus habui:

habui: qui in hoc articulo, quo religiosi vel soli vadunt in vijs, vel soli manent in * curijs, horrenda mala, horrenda scandala, horrendaque pericula frequenter audiui, quæ numquam sustinuissent adiuncto socio, vel fecissent. *ms.b.c. ter. imp. parochijs.*

Docet religiosos non debere solos exire, & soluit obiecta.

SEd & pater discretissimus Augustinus in regula sua statuit; vt non minus quàm duo vel tres, vbicumque necesse haberēt, irent. In hoc ergo articulo omnes ferè ordines regulares contra votum & regulam suam grauiter peccare videntur, vel probantur, qui suos per se solos, & non cōbinatos in via mittunt. Sed * sic dicunt vt audio, & mihi sæpius obiecerunt; quòd de fratre socio * non sit necesse hoc intelligere, sed cum quibus, vt regula dicit, Prępositus iusserit ire debet qui mittitur; eosque interpretari velle seculares quoslibet garsiones & seruos. Ego probare volo per regulā, quòd interpretes tales contra animam suam pessimè mentiuntur, & hoc euidenter in præcedentibus regulæ videri potest, vbi dicitur: Quando simul estis in ecclesia, & vbicumque feminæ sunt, inuicem vestram pudicitiam custodite. Deus enim, qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis.] Si ergo vos ex vobis, id est, fratrem ex fratre, Deus custodit, quid est quod isti dicunt; vt ex seruis & vilibus personis nullam sui curam aut custodiam habentibus, quantò minùs vestri, custodiantur in via? Si autem duo ex fratribus simul sunt, & se vnus custodire non vult, tamen custos ipsius erit frater, quod nequaquam

2. Aug. in regul. c. 28.

ms.p.s.si.

ms.p.s. intelligendū non sit, sed &c.

Aug. in regul. c. 29.

Cap. 19.

quaquam poteſt de ſeruo & garcione ſperari, niſi fortè talis ſit; qui non inuenitur in mille. O quanta cuſtodia debent regi in oculis eorum ad quos declinant: coram quibus eis incumbit; & ſuam propriam famam, & nihilominus famam ſui ordinis cuſtodire. Legitur & tenetur de beato patre Auguſtino, quòd monaſterium inſtituit ſecundum regulam ſub ſanctis Apoſtolis cōnſtitutam: quam quidem certum eſt fundamentum habuiſſe ab ipſo ſalutis auctore, qui & inſtituit, vt dictum eſt, vt cōbinati, ſeptuaginta duo diſcipuli mitterentur, & per Spiritum ſanctum in Barnabam & Paulum ſegregatos, & miſſos pariter, poſtmodum approbauit. Hanc ergo regulam canonici regulares ſpecialiter & præcipuè, & plures aliæ religiones, ſicut Præmonſtratenſes ſparſim per vniuerſalem eccleſiam profitentur: ſed nulli penitus dictum regulæ articulum obſeruare videntur. Sed & derident arguentes, & dicunt: Quæ neceſſitas eſt, vt pro negotio, quod ſolus complere poteſt, duo combinati pariter emittantur, cur fruſtra bona eccleſiæ conſumentur? O quàm miſerabilis deriſio, & quàm deridenda reſponſio. Non ſic impij, non ſic, ne tegas caluitiem ſtercore ſuperducto. Vulgò dicitur: Non latet hîc lepus. Vbi ergo? Reuera latet vbi alius nō accedat. In corde latet, vbi nullus teſtis, niſi cordium perſcrutator. Heu quantis procellis inutilium expenſarum obruitur monaſtica celſitudo, quarum copiæ in cuſtodiam fratrum & ordinis, Deo gratiùs locarentur. Gallicè prouerbium dicitur, & neſcio ſi verba Latina ſufficiant: Vbi bona cuſtodia, ibi & bona pax. Dicam quod ſentio, etſi inuitè ab improbis audiatur. Credo ſolis, id eſt, ſine ſocio foris ambulanti-

Poſſid. in vita Aug. c. 5.

Luc. 10, Act. 13.

Pſal. 1.


Où il y a bonne garde, il y a bōne paix; vel breuiùs bonne garde, bonne paix.

lantibus, mille infortunia, & plura quàm credi potest, sæpius occurrisse: in quibus nec opere, nec saltem animo offendissent, si custos fratris socius affuisset. Sed qui amat periculum, incidet in illud. Et hoc iustè, vt dicit Seneca, dum contemnitur. Quotidie est deterior dies posterior.] Qui non timet periculum, quod casui patet, omni bruto dementior est. Sed dicis: Tutela tutissima est in eo, quòd sibi quisque commissus est. Verum dicis, sed hoc, loco, tempore, & persona. Prędicatorum atque Minorum fratrum ordines expensas non habent, nec copias, & tamen combinantur semper in via, nec socius socium debet deserere, maximè in colloquio mulieris, nisi alter alterum, videat colloquentem. *Eccli. 3.* *Apud Sen. in pro.*

De fratre, socio ignorante, defuncto.

3. NArrauit mihi frater ordinis Prædicatorum, cui optimè credo: qui cùm in ordine cognatum haberet, virum quondam diuitem & pręclarum, accidit ei, vt nocte dormitum pergens, vnam de tunicis expositam posuisset ad caput. Habebat enim secum fratrem dilectum sibi cum quo solebat secretiùs & iocundiùs ambulare. Soporatus ergo audiuit vocem dicentem sibi: Surge, & vide quid agat frater tuus. Nam grauiter infirmatur. Euigilans ille, & nihil aduertens, iterum obdormiuit. Cui iterum vox quę priùs. Surge, inquit, & vide quid agat frater tuus, nam iam morti proximus agonizat. Ad hanc iterum vocem euigilans, & nihil aduertens, iterum obdormiuit. Et ecce vox tertiò dixit ei: Malè dissimulasti, quia mortuus est frater tuus. Mox ille euigilans,

gilans, tunicam ſuam, quam ad caput poſuerat, ſuper ſe extenſam inuenit quaſi paratam ad induendum, quam ille ſtatim confuſus & admirans induit, & ſurrexit, fratremq́ue quæſitum letali funere iam ſopitum inuenit. Ecce quàm manifeſto exemplo per contrarium vera eſſe innuitur ſententia Salomonis: Frater, qui adiuuatur
Pro.18. à fratre, quaſi ciuitas firma. Cain primus & nequiſſimus homicida interrogatur à Domino: Vbi eſt Abel frater tuus? cuius tutor fuiſſe debuiſ-
Gen. 4. ſet non occiſor, & negauit ille, dicens: Numquid cuſtos fratris mei ſum ego? Et ideo maledi-
Ibid. cente Domino, ſuper terram profugus agitatur. In figura huius, qui fratris cuſtos eſſe recuſat, & à fratre renuit cuſtodiri, vanus, frequenter & vagus diuerſis tentationibus agitatur, & terra in eius opere maledicta, ſpinas ei remorſionis, ac
Gen.3. ſcandali tribulos germinabit. O verè beata & in oculis ſummi iudicis conſtitutio benedicta, per quam fama tuetur noxaq́ue vitatur, & omnis malorum ſuſpicio, & tentationis occaſio præpeditur.



De communitate & partialitate victus.

CAPITVLVM XII.

Communis eſt omnium cibus. Neque enim ſeparatim veſcuntur, ne

inæqualitas operis, & cibi fiat, & temporis.


ET idem vſus omnibus iure monaſte- 1.
rijs inoleuit, vt officinam refectorij habeant, vbi omnibus in commune, ſine perſonarum acceptione, cibaria miniſtrentur. O quàm decens hæc, & quàm digna Deo conſuetudo in monaſterijs obſeruatur. Hanc & Chriſtus ipſe, totius virtutis exemplar, in ſuo beatiſſimo conuentu, hoc eſt cum diſcipulis, obſeruauit, ita quòd nec manum Iudæ proditoris in *Mat. 26.* parapſide horruit. Tu ergo Prior, tu Prælate, quis es vt quæras angulos in communi? Iſtud tamen hoſpitum cauſa, quandoque, & non ſemper, aut ſæpe fieri neceſſe eſt, quos paſtu refici competit largiori. Conſuetudinem bonam non damno, ſed abuſum penitus non commendo. Beatus Benedictus quid in his agendum ſit, indicat, dicens: Menſa abbatis cum peregrinis & hoſpitibus ſem- *Ben. in reg. c. 56.* per ſit. Quotiens tamen minus ſunt hoſpites, quos de fratribus vocare vult, in eius ſit poteſtate: ſeniorum tamen vnum aut duos ſemper cum fratribus dimittendos procuret, propter diſciplinam.] Vide lector, quia ex tunc tantus homo per talia conuiuia, occaſione hoſpitum, inſolentias fiendas eſſe præuidit. Et notandum, quòd vir ille diſcretiſſimus Auguſtinus nihil horum in regula ſcri- *Auguſt. in reg. c. 10.* pſiſſe comprobatur, ſed ſuos conuenire ad menſam, vt ibi non ſolùm fauces ſumant cibum, ſed & aures eſuriant verbum Dei. Optimè tamen beatus Benedictus poſteriori tempore, vt prædiximus, iſta diſtinxit.

De abusu conuiuiorum in monasterijs.

2. SAcram autem conuentualem familiam egere necessarijs,& Prælatos cum hospitibus superflua dissipare, Isaias conqueritur,dicens:Pascentur agni iuxta ordinem suum,& deserta eremi in vbertatem versa aduenæ comedent. Qui sunt agni, nisi claustrales, innocentiæ veste circumdati? Qui iuxta ordinem consuetudinis, non instituitionis, pisis, vel olere malè condito pascuntur. Et qui sunt aduenæ,nisi Cardinalium,Legatorum,Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque Prælatorum hospitum multitudo, qui cum magnis exercitibus suis potiùs quàm familijs, quasi non sit singulis numerus familiæ Iure canonico definitus, deserta eremi, hoc est possessiones acquisitas noualium, in vbertatem versas comedunt.Et ideo vix est monasterium tantis diuitijs opulentum, quod talibus sufficere valeat in expensis. O quis veniet? O quando venturus est summus Pontifex,cuius æquitate librata, miseria & insania ista corrigatur? Sed dicetur forsitan mihi, nec dubito quin dicatur: Quis est iste, qui posuit os in cælum;& ad arcam fœderis etiam inclinatam, manum indignus extendit. Irascentur fortè mihi,sed non Dominus,cuius vices semper dolui,& dolebo,pro cuius veritate & iustitia, vtinam dignus essem membris omnibus dissipari. Scio tamen quicumque, quantuscumque, ex his scriptis indignabitur, se debitæ reprehensionis obnoxium * iudicabit.

Isa. 5.

10.q. 3.c.8. Inter cetera;& extra de censibus cap.6. Cùm Apostolus.

Psa.72.
2.Reg. 6.

ms.c. indicabit.

Quàm

Quàm graue sit, & multiplex hoc peccatum.

HInc autem ad noſtram materiam & propoſitum redeamus. Quicumque extra refectorium inordinatè, & ſine debita cauſa inſtaurant conuiuia, grauiſſimè peccant: & hoc multipliciter. Fiunt enim rerum conuentualium diſtractiones, & hoc eſt rapina, vel furtum: quia ex illis, quæ ſuperfluè ſeorſum tribus aut quatuor exhibentur, totus aliquando conuentus poſſet cum ſufficientia & moderamine procurari. Fiunt inſuper ſuſurrationes & murmura, quibus pax & vnitas clauſtralium diſſipatur. Ex his ille beatus ordo Ciſtercienſis alienus habetur, vbi nullus extra refectorium, infirmariam, vel menſam abbatis comedere conſueuit. Legimus in libro Regum primo, quòd filij Heli ſacerdotis, non timentes Dominum, neque quod iuſtum eſt iudicantes, populum Domini à ſacrificijs detrahebant, ſeorſumque ſibi contra conſuetudinem, reſeruari carnes crudas, vt eas lautiùs præpararent, exactione & violentia faciebant. Quod peccatum puerorum grande coram Domino ibidem fuiſſe deſcribitur. Et vide quã grauiter hoc à Deo animaduerſum ſit ad vindictam. Ambo in vno die occiduntur in bello: & pater Heli, qui etſi verbo, verbere tamen non corripuit tranſgreſſores, audita filiorum morte, retrorſum de ſella editiori cadens, fractis ceruibus exſpirauit. 3. 1. Reg. 2. 1. Reg. 4. Ibid.

Admonitio ad Prælatos.

TV ergo Heli, tu Abba, tu Prior, tu Præpoſite, vel Prælate, ne facias ipſe quod vetas in 4.

alijs faciendum:nec hoc ipsum in filijs patiaris, ne vindictam in eis, aut in te sentias, quam audisti. Audi & quid meo tempore in Francia talibus contigerit in exemplum.

De eadem re terribile exemplum.

5. ERant duo senes monachi, ab ipsis puerilibus annis pares in scelere, dissoluti valde, in monastica obseruantia enutriti. Hi sibi plures ex iuuenibus, in immunditia assidui, quotidie copulabant, seorsum vacabant epulis, risibus & cantibus exultabant, innocentibusque ac simplicibus detrahebant. Cumque de eorum insolentijs conuentus quotidie non mediocriter turbaretur, nec esset qui corrigeret delinquentes, vidit Dominus,

Deut. 32. & ad iracundiam concitatus est. Vix enim finit turbationem piorum claustralium inultam. Accidit igitur quodam vespere, vt secundum consuetudinem suam esculento ore ad voraginem inhiarent. Vix ori cibis appositis, quartum aut quintum morsellum manus obtulerat, cùm ecce vnus prædictorum senum, subita ingluuie strangulatus, euersis statim oculis exspirauit. Territi igitur omnes, qui consederant, surrexerunt. Nec diu post superstes vetulus, socij animaduersione non fractus, licet ad momentum horruisset, sicut porcus occiso à carnifice porco, resumpta audacia, resedit ad mensam. Et cum enormi crapula sic est repletus, vt amens penitus portaretur ad lectum, & quasi brutum animal, exspirauit. Horrore ergo omnes exemplorum talium perturbati, vitam suam & mores in melius mutauerunt, communemque vitam & cibum strictissimè seruauerunt.

Com-

Commendatur parcitas victus ex Seneca.

DIſcant ergo fideles apes clauſtralium, cibis parcere, nec ingurgitari ſuperfluis, & ſecundum Auguſtinum ad menſam tanquam ad medicamenta, non vt delectamenta, ſumpturi cibos accedant. Apoſtolus abundare ſciuit & penuriam pati, & hoc, quia omnia potuit in eo, qui eum in omnibus confortabat. Multos morbos, vt dicit Seneca, multa fercula fecerunt. Numera coquos, & non miraberis morbos. Bene morigeratus venter, & contumeliæ patiens, æſtimari non poteſt. Vbi ſe animus præparauit, & indixit ſibi patientiam, non æquè apparet, quantum habeat veræ firmitatis. Si quid dari deberet, ipſe non deſiderando ſuppleuit, & cogitauit aliquid conſuetudini ſuæ, ſibi nihil deeſſe. Multa quàm ſuperuacua eſſent non intelleximus, niſi quando deeſſe cœperunt. Vtebamur * verò illis, non quia debebamus, ſed quia habebamus. Sapiens aſſueſcit futuris malis, & quæ alij leuia faciunt diu patiendo, hic leuia facit diu cogitando.] Nulla res æquè adiuuat curſum vitæ, quàm temperantiæ moderamen. Corpus multis eget rebus vt valeat: animus ex ſe creſcit, ſeipſum exercet & alit. Virtus nihil vacare patitur loci, totũ animum tenet, deſiderium omnium ſibi tollit. Sola ſibi ſatis eſt, & omnia opera eius cum ipſa concordant & congruunt. Quemadmodum deſiderare delicatas res luxuriæ eſt: ita vſitatas, & non magno parabiles fugere, demẽtię eſt.] Duæ voluptates ſunt, guſtus & tactus, hominibus communes & beſtijs, & idcirco in pecudum numero habẽdi ſunt, qui


6.
Aug. l. 10. conf. c. 31.
Philip. 4.
Sen. ep. 96.
Ep. 124.
or. enim.
Ep. 77.
Ep. 81.
Ep. 75.
Ep. 5.

qui his ferinis voluptatibus bestialiter innituntur.
Ep. 18. Non iocunda res est aqua & polenta, ac fragmen hordeacei panis: sed summa voluptas est, posse capere ex his etiam voluptatem, & ad id se deduxisse, quod nulla fortunæ iniquitas possit. Maior
Ep. 66. sum, & ad maiora genitus, quàm vt mancipium mei corporis sim: quod equidem non aliter aspicio, quàm vinculum aliquod libertati circumdatum. Contemptus autem corporis sui, certa libertas est.

De Ioanne Ranchum canonico regulari, cui æqualiter omnes cibi sapiebant.

7. VIdi hominem inter modernos excellentissimæ gratiæ in prædicatione & exhortatione fidelium, magistrum Ioannem cognomento*
ms. p. s. Ratthum. Ranchum, canonicum regularem sancti Ioannis in vineis ciuitatis Suessionis, Watinianensem, postea & Blesensem Abbatem. Hic quidem in abstinentia sedulus, & in omni virtute coruscus, à se, multo vsu & violentia parcitatis extorserat, vt ei æquali modo rudissimi & delicatissimi cibi saperent ore sumpti. Nec hoc credimus naturali potentia contigisse, sed illius virtute & gratia, qui hoc olim egerat in Hebræis, vt secundum quod
Sap. 16. quisque desiderabat cælestis cibus in ore omnium sapiebat.


De



De silentio & eius virtute.

CAPITVLVM XIIII.

Simul silent. Aduesperascente enim die, in alueo strepunt minus ac minus, donec vna circumuolet, vocis bucina quietem imperans, & hoc castrorum more. Hoc idem faciunt in matutino.



AD litteram ego ipse ista in apibus sum expertus, & ista æstatis tempore poteris experiri. Silentium ab Isaia præcipuè commendatur, vbi dicit: Cultus iustitiæ, silentium. Et bene dicit cultum iustitiæ, quia testante Iacobo: Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, huius vana est religio. Opulentissima terrarum Ægyptus, ranis loquacibus legitur flagellata: vnde compulsi sunt orare Moysen, vt Dominus auferret ab eis ranas. Ita & verè religiosi, magis quàm seculares tentantur ranis. Semper enim nitimur in vetitum. Hieremias quoque in persona religiosorum dicit: Ingrediamur ciuitatem munitam, religionem intellige, & sileamus ibi, quia Dominus Deus noster facit nos silere. Causam autem reddens quare, in sequentibus dicit: Bonum est

1. *Isa, 32.* *Iac. 1.* *Exod. 8.* *Ier. 8.* *Thren. 3.*

eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Domini. Exiſtimo autem eſſe ſalutare Domini, gratiam conſolationis & pacis in contemplatione diuina.
Ibid. Vnde poſtea dictus propheta ſubiungit: Sedebit ſolitarius,& tacebit: quia leuauit ſe ſuper ſe. Et hoc vbi,niſi in contemplatione? De hoc contemplator glorioſiſſimus Auguſtinus in libro confeſ-
Aug. l. 7. ſionum ait: Intraui in intima mea duce te, & po-
confeſ. c. 10. tui; quoniam factus es adiutor meus. Intraui, &
Pſa. 29. vidi qualicunque oculo animæ meæ, ſuper eumdem oculum animæ meæ, ſupra mentem meam lumen Domini incommutabile, quod tu es].

Vtile contemplationi ſilentium.

4. ISta ergo gratia, iſta dignitas, in ſilentio maximè præſtolatur, quia delicata res, vt dicit beatus Bernardus, amoris affectio, & tenui occaſione læditur lætitia ſpiritualis. Vnde Salomon:
Pro. 15. Lingua, quæ immoderata eſt, conteret ſpiritum.
3. Reg. 19. In libro Regum tertio dicitur, quòd non in igne, non in commotione, non in turbine Dominus; ſed in ſibilo auræ tenuis, ibi Dominus.

Seneca de ſilentio.

5. DE ſilentio & paucitate verborum Seneca dicit: Quod diu tacueris, id puta rectiſſimum. Arceſilaus philoſophus, quæſitus quomodo quis placere poſſet hominibus: Si fecerit, inquit, optima, & locutus fuerit pauca. Socrates, cuidam interroganti, quomodo poſſet optimè dicere: Si nihil, inquit, dixeris, niſi quod bene ſcieris. Solon philoſophus, cùm alijs loquentibus
taceret,

taceret, interogatus: Vtrum propter inopiam verborum; an quia stultus esset, taceret: Nemo, inquit, stultus tacere potest. Theocritus in conuiuio tacenti rustico: Ex doctis, inquit, hoc solùm habes, quòd taces. Socrates Cleonam garrulam volentem discere compescuit, dicens: Dicere & discere non sibi compatiuntur, quia discentem silere competit. Nihil æquè proderit quàm quiescere, & minimum cum alijs loqui, plurimum secum. *Ep. 106.* Hæc sit propositi nostri summa: quod sentimus loquamur: & quod loquimur, hoc sentiamus. *Ep. 76.* Concordet sermo cum vita. Sermo tuus non sit inanis, dicit Seneca, sed aut suadeat, aut moueat, aut consoletur, aut præcipiat. *Apud Sen. l. de 4. virt. cap. 1.* Turpia fugito antequam accidant, nec quemquam alium verearis plus quàm te. *Ibid. c. 3.* A verbis quoque turpibus abstineto, quia licentia eorum impudentiam nutrit. Sermones vtiles magis, quàm facetos & affabiles, ama, rectos potiùs, quàm obsecundantes. Reprehensibilis risus est, si immoderatus, si pueriliter effusus, si muliebriter, inutiliterque effractus, si alienis malis euocatus. Sales tui sine dente sint, ioci sine * leuitate, risus sine cachinno, vox sine clamore, incessus sine tumultu. *Or. vilitate.* Quies tibi sine desidia erit, & cum ab alijs luditur, tu sancti aliquid honestique tractabis. *l. de moribus.* Tacere qui nescit, nescit & loqui. *Sen. ep. 40.* Quemadmodum sapienti viro incessus modestior conuenit: ita verbum pressum, non audax. Summa autem summarum hæc erit: tardiloquum te esse iubeo.] O quantis opus est, vt stabile quid acquiras intimæ bonitatis. Si scires quid est vir bonus, nondum te esse crederes, fortasse etiam fieri posse desperares. *Ep. 42.*

Exem-

Exemplum de virtute ſilentij in incendio monaſterij Aſſligemienſis.

4. QVantæ autem virtutis ſilentium ſit exemplo manifeſtiſsimo demonſtrabo. Haffligemium monaſterium ordinis ſancti Benedicti in Brabantia, religione probatiſsimum eſt, & in charitate præcipuum. In hoc cœnobio monachus erat ita ſilentio deditus, quòd infrà ſexdecim annos ab ore eius nec vna verbi ſyllaba per tantum temporis audiretur. Contigit autem, ſicut à monachis ibidem audiuimus, vt in clauſtro grauiſsimum ignis incendium graſſaretur. Tunc idem monachus, videns humanum auxilium non valere, mox ſe contulit ad diuinum, oranſque paululum in ſilentio, linguam diu mutam in hæc verba laxauit: Stes ignis hac hora: flamma penitus conquieſcas. Mira res: vim virtutis ſuæ oblitus eſt ignis, ſtetitque in verbo viri ſancti, & flamma protinus eſt extincta.

Radulphus Tacens dictus eſt.

Sap. 16.

De ſilentio contra rixoſos.

5. O Quàm longè iſte erat ab his, quorum lingua maculat totum corpus, & vt dicit Iacobus, rotam noſtræ natiuitatis inflammat. In ore, inquit Salomon, fatuorũ ebullit ſtultitia: & homo ſapiens tacebit vſque ad tempus. Et vide quã diſcretè, quã prouidè*hic diſtinxit. Sæpe minus circumſpectos & ſtultos verba diſcordiæ, verba ad indignationem prouocatiua proijcere cernimus, quibus ſi audiens ſtatim reſpondere voluerit, multiplicabit incommodum: ſi autem tacuerit vſquè ad tem-

Iac. 3.
Pro. 15.
Eccl. 20.
ms. p. hac.
ms. b. omit.

ad tempus, in ſe moderamen reperiet, quod nequaquam ante, ſubitò potuiſſet. Et ideo dicit Iſaias: In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra. Si *Iſa. 30.* enim cauſa remunerationis æternæ compreſſeris *Pro. 26.* labia, ne ſtulto reſpondeas iuxta ſtultitiam ſuam, fortitudinem in animo conſequeris, ne periculoſiùs contra Deum ad impatientiam mouearis. Vnde beatus Auguſtinus: Tene arma exteriùs, ne ſcilicet lingua maliloqua ad vituperium proximi moueatur: & imperator tuus ſuperior cor interiùs gubernabit. Et notandum quòd Prælatorum proprium eſt, cùm animos viderint ſubditorum contra fratrem ad verba contumelioſa prorumpere; verbo eos, aut præcepto obedientiæ refrenare. Vnde Salomon: Qui imponit ſtulto ſilen- *Ibid.* tium, iras mitigat ſuſcitatas. Conſultiſſimum autem eſſet vt quis, videns aduerſum ſe proximum eſſe commotum, ſub ſilentio pertranſiret: vel curialitate verborum commotum proximi animum mitigaret.


Exemplum de Pyrrho rege Epirotarum, qui vrbanitate verborum placatus eſt.

6.

LEgitur in geſtis philoſophorum, quòd Pyrrhus rex, cùm audiſſet quoſdam de ſe in *Vale. Max. l. 5. c. 1.* conuiuio malè fuiſſe locutos, mandauit eos, quærens ſi verum eſſet. Cui vnus illorum: Niſi vinum, inquit, nobis potantibus defeciſſet, ludum reputares ea, quæ dicta ſunt, reſpectu eorum, quæ bibituris dicenda reſtabant. Nec mora, tam vrbana confeſſione veritatis, regem priùs commotum, concitauit in riſum, & curialitate reſponſionis regalem animum mitigauit.

Magna

Conclusio. MAgna itaque virtus in bonis claustralium apibus, tenere silentium statutis horis: alijsque fidelibus, pro tempore, moderatis verbis temperare sermonem.



De pace mutuo habenda.

CAPITVLVM XIV.

Pax inter eas præcipua.



1. *Heb. 12.* QVID mirum? Sine qua nec vidit quis, nec videre poterit Deum. Vt autem quæ pacis sunt commoda videamus, secundum beatissimum Augustinum, pacem multiplicem distinguamus. Ait enim in libro de ciuitate Dei: Pax corporis, est ordinata temperatura partium. Pax animæ irrationalis, ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis, cognitionis, actionisque consensus. Pax animæ & corporis, ordinata vita. Pax hominum, ordinata concordia. Pax hominis mortalis & Dei, ordinata in fide sub æterna lege obedientia. Pax ciuitatis & claustri ordinata imperandi obediendique concordia. Pax ciuitatis cælestis ordinatissima & concordissima societas fruendi Deo, & se inuicem in Deo. Pax omnium rerum, est tranquillitas ordinis.]

Aug. l. 19. de ciuit. c. 13.
Varia pacis diuisio.

De

De pace cum Deo.

CVm Deo autem pax primò habenda est. 2.
Quis vmquam restitit ei, & pacem habuit? *Iob. 9.*
quasi diceret, nullus. Vnde libro Regum quarto dicitur. Quæ pax (inquit Iehu) cùm adhuc fornicationes Iezabel, id est, animæ peccatricis, & veneficia multa vigeant? *4. Reg. 9.* Propter quod Iob consulit, dicens: Acquiesce illi, & sic habeto pacem: *Iob 22.* & per hoc habebis fructus optimos. Vnde in Canticis anima fidelis gratulatur, & dicit: Ego murus, id est, fortis inter aduersa & prospera: & vbera mea * sicut vitis fructifera, *bib. sicut turris.* scilicet in affectionibus: ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. *Cant. 8.* Postquam igitur anima fidelis coram Deo pacem adepta est: pacem cordis eam habere necesse est. In pace enim factus est locus eius. *Psa. 75.*

De pace cordis.

EST autem pax, vt dicit beatus Augustinus, 3.
serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium caritatis. Hæc est quæ simultates tollit, bella compescit, * conquiescit iras, superbos calcat, humiles * amat, discordes sedat, inimicos concordat. *Aug. serm. 167. de temp. or. comprimit. or. eleuat.* Cunctis est placita, non quærit alienum, nihil reputat suum, docet amare quæ odisse non nouit.] De hac cordis pace Salomon rex pacificus meritò loquitur, dicens: Qui pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium. *Pro. 21.* Ad hanc nos Hieremias hortatur, dicens: Quærite pacem ciuitatis, scilicet cordis; & orate pro ea Dominum: quia in *Ier. 29.*

pace

3. Reg. 2. pace illius erit pax vestra. In Hierusalem Semei vixit pacificus, qui extra positus trucidatur. Hanc
Luc. 2. & angeli, Christo nato, bonæ voluntatis hominibus nunciarunt. De hac & Seneca: Non est pax
Ep. 57. vera, nisi quam mens boni conscia possidet. Et illa est vera tranquillitas in quam mens bona consentit. Si speciosa contemnimus, nulla res nos auocabit, nullus hominum auiumque concentus interrumpet cogitationes bonas, solidasque iam & certas. Tunc te scito esse compositum, cùm ad te nullus clamor pertinebit, cùm te nulla vox aut
Ep. 62. visus excutiet. Vbicumque sim, ibi meus sum. Rebus enim me non trado, sed commodo: nec consector perdendi temporis causas, sed quocumque constitutus loco ibi cogitationes meas
Ioan. 14. & 16. tracto, & aliquid in animo salutare verso.] Hanc etiam inter pressuras mundi in Christo, eo promittente, veram habemus quia sicut nec mundus dare potest pacem: ita nec habitam potest auferre.

De pace cum proximo.

4. INde post primam pacem cum Deo, post secundam, quam cordis diximus, tertiò pacem
Mar. 9. cum proximo distinguamus. Pacem, inquit Dominus, habete inter vos. Hæc vt beatus Augusti-
Aug. serm. 167. de temp. nus ait, tanta est, vt ad hereditatem Domini non poterit peruenire, qui hanc noluerit obseruare. Abdicatur enim à Patre, exheredatur à Filio, & à Spiritu sancto alienus efficitur. Salomon de pa-
Prou. 16. ce diffiniens, dicit: Cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pa-
Deut. 29. cem. Et de hoc in Deuteronomio dicitur: Non sit inter

inter vos radix germinans fel & amaritudinem.
Paulus quoque nobis inculcans pacem: Si fieri, *Rom.12.*
inquit, poteſt, quòd ex vobis eſt, cum omnibus
hominibus pacem habentes. Non enim eſt Deus *1.Cor.14.*
diſſenſionis, ſed pacis. Et magnæ quidem virtutis
eſt, cum pacificis hab[...]e pacem: ſed multò maioris
eſt, cum his, qui oderunt pacem eſſe pacificum. *Pſa.119.*

De pace æternitatis.

CONſideratis igitur, quæ ſunt commoda pacis ad proximum, de illa ſempiterna pace, 5.
quæ erit in patria, videamus. Et hæc eſt illa, de
qua Paulus ait: Et pax Dei, quæ exuperat omnem *Philip.4.*
ſenſum. Super quo dicit beatus Auguſtinus. Si *Aug.enchi.*
pax Dei omnem ſenſum exuperat, ergo & ſenſum *c.63.*
Angelorum, & eſt argumentum à minori.
Quid ergo dicemus ad hæc? Vtique pax Dei
Deus eſt. Hanc nemo perfectè nouit, quia Deum *Ioan.1 &*
nemo vidit vnquam. Vnde Dominus in Euange- *1.Ioan.4.*
lio: Nemo nouit patrem, niſi filius; & conſide- *Mat.11.*
rãdum eſt, ſicut ipſe filius. Quod autem ſequitur:
Et cui voluerit filius reuelare: hoc * ſumatur pro *ms.p.inſinuatur.*
capacitate angeli vel hominis. Vnde beatus Augu- *ms.b.ſignatur.*
ſtinus: Et hoc intelligere quis angelus dabit an-
gelo? quis angelus homini?] Iſaias clamat: Do- *Aug.l.13.conf.c.vlt.*
mine dabis pacem nobis. Super quo beatus Au- *Iſa. 26.*
guſtinus: Pacem, inquit, dabis nobis, pacem cor- *Aug.l.13.*
dis, pacem quietis, pacem ſabbati, pacem ſine *conf.c.35.*
veſpera.] Et hæc vltima æternitatis eſt. De qua
Dauid exultabundus inclamat: In pace in idipſum *Pſa.4.*
dormiam & requieſcam. Ad hanc autem *Heb.12.*
venire nemo poterit, qui nec ad Deum nec ad

ſeipſum,

ſeipſum, nec ad proximum pacem habuerit. Et hic quidem miſerrimus eſt, & omni miſero prorſus miſerior.

De pace ex Seneca.

6. Sen.ep.103. MAgna & generoſa res eſt, vt dicit Philoſophus, humanus animus, nullos ſibi niſi cōmunes, & cum Deo terminos patitur; nullū ſeculum magnis ingenijs clauſum eſt, nullum non
Ep. 88. cogitationi peruium tempus. Animi magnitudo numquam maior eſt, quàm cùm aliena ſepoſuit; & fecit ſibi pacem, nihil timendo: fecit ſibi diuitias, nihil concupiſcendo. Quis ergo ſit ſummi boni locus quæris? Animus hic, qui niſi purus & ſanctus ſit, vt dicit Seneca, Deum non capit. O-
Ep. 54. mnia ergo impedimenta dimitte, & vaca bonæ
or. peruenit menti. Nemo enim ad illam * venit occupatus.
Ep. 52. Proijce quæcumque cor tuum laniant: quæ ſi aliter extrahi nequeunt, ipſum cor cum illis euel-
Ep. 32. lendum erit. O quando illud videbis tempus, quo
Ep. 80. ſcies tempus ad te non penitus pertinere. Tunc animus noſter habebit quòd gratuletur ſibi, cùm emiſſis his tenebris, in quibus hîc volutatur, non tenui viſu clara proſpexerit: ſed totum diem ad-
Ep. 45. miſerit, & redditus cælo ſuo fuerit. Qui quò deſtinauit vult peruenire, Vnam ſequatur viam, nec per plurimas euagetur.]

Exemplum de quodam turbulentæ vitæ.


7. TAlium quempiam in partibus Galliæ ſub Philippo rege, noſtris temporibus, viro religioſo referente, fuiſſe cognouimus. Hic ab ineunte

eunte ætate peruicacissimæ vitæ fuit, vt illud, quod de Ismaële scriptum est: Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum, in eo ita videretur impletum, vt nec parentes proprios quiescere sustineret, sed ad amarissimum vitæ finem perduceret. Post quos & ipse miserabiliter infirmatus, & in agone mortis positus, sumptis ecclesiasticis sacramentis, subitò inter manus assistentium, clamans horribiliter, exiliuit, dicens: Surgite omnes, arma accipite, iuuate me contra proprium patrem, quia omnium inimicorum meorum ductor factus est, & me conatur occidere. Et hoc dicens, quasi contra ingredientem multitudinem ad ostium conabatur. Nec mora, cadens, euersis terribiliter oculis, clamauit expirans: Heu me, pater meus modò validissimo lapide frontem meam percutiendo contriuit. Hi autem, qui assistebant, neminem quidem videbant, sed quasi turmas se comprimentium, & ingredientium audiebant. Vide ergo, qui nec patrem proprium propitium habere potuit, quantis diuinæ vindictæ animaduersionibus dignus fuit. Non tamen absolutè eum, qui apparuit, illius patrem dixerim: sed quemcumque fortè ex spiritibus, siue bonis, siue malis, cùm dictum sit: Armabit creaturam ad vltionem inimicorum contra insensatos.

Gen. 16.

Conabatur i. certabat, obluctabatur.

Sap. 5.



De contentionis exortæ sedatione

CAPITVLVM XV.

Pro conuehendis floribus rixa quandoque inter apes fit: sed interiectu pulueris, aut fumo, tota discutitur.

1.



N florum genere diuersæ species sunt, vnam cereæ dignitatis substantiam facientes: cuius alimonia lucis, inter noctis tenebras, domus terrenæ habitationis solet iocundissimè decorari. In scriptura verò consuetum est florum nomine spem fructuum sumi, virtutumque dignitatem designari. Quæ virtutes, etsi diuersæ sunt in specie, ad vnam tamen patriam, & ad vnum finem fructus vitæ gratia tendunt. Vnde beatus Augustinus in libro confessionum de seipso ait: Displicebat mihi quidquid agebam in seculo prę dulcedine Dei, & decore domus eius, quam dilexi. Et illud: Volebam conferenti æstus meos, vt proferret quis esset aptus modus viuendi ad ambulandum in via Dei: in qua alius sic, alius sic ibat.] Diuersis enim, sed non aduersis vijs, sancti quique ad vnam patriam diriguntur. In via virtutis iustitiæ Noë saluatus est. In fide Abraham. In timore Isaac. In propagatione Iacob. In innocentia Ioseph. In mansuetudine Moyses. In obedientia Iosue. In lenitate Samuel. In humilitate Dauid. Helias in zelo.

Diuersæ virtutes ad eundem finem tendunt.
Cant.2. & 7.
Eccl.24.
Aug.l.8. confes.c.1.
Psa. 25.
Aug ibid: & loquitur de Simpliciano.
Gen.6 & 7
Gen.15.
Ibid. 31.
Ibid. 29. & 30.
Ibid.37. & 40.
Num. 12.
Ibid. 14. & Iosue 1. & 5.
1.Reg.12.
2. Reg. 6.
3. Reg.19.

zelo. Ezechias in oratione & lacrymis. Iosias in omnimoda perfectione. Iob in patientia. Daniel in abstinentia. Tobias in misericordia. Isaias in veritatis annuntiatione. Ieremias in sanctificatione. His floribus antiqui Patres vernantissimè micuerunt. Sed & his patres nouæ gratiæ singulariter floruerunt. In Maria primò, matre Christi, quę est totius virtutis exemplar, cum virginitatis & fœcunditatis honore effulsit humilitas. In Ioanne contemplationis assiduitas. In Petro fides. In ceteris Apostolis charitas. In Magdalena deuotio & pœnitentia. In Paulo labor, cum prædicationis doctrina præfulsit. Horum omnium sparsim nunc à fidelibus flores virtutum singulariter rapiuntur, vt vnum ædificium * mystici corporis Christi cum sarcinis bonorum operum, onusti ingredi gestientes, materiam laudis, quasi ceram præbeant in ecclesia Dei, qua in tenebris peccatorum, quæ solito ampliùs condensantur, solemniter illustretur.

4 Reg. 20. Ibid. 23. Iob 1. 2. & toto libro. Dan. 1. 9. & 10. Tob. 1. 2. 3. 4. Isa. 1. & 6. Hier. 1. Luc. 1. Ioan. 1. & vlt. Luc. 22. Act. 5. Luc. 7. 1. Cor. 4. 2. Cor. 11. & alibi.

* ms s. p. 2. imp. corporis Christi, quod est mysticum.

De rixa apum non mirandum.


QVod autem in textu dicitur: pro conuehendis floribus rixam fieri inter apes, nullus miretur miretur, cùm inter ipsos Christi Apostolos contentio facta sit, quis eorum maior, virtute, vel meritis, videretur. 2.

Luc. 9. 22. & alibi.

De superba rixa sedanda.

QVamquam & rixa aliter dici poteſt, cũ quis in vna virtute præpolleat, vt in abstinentia & parsimonia cibi: eosque qui embolismum vel 3.

naturaliter, vel vſualiter patiuntur, ſecum abſtinere etiam cogit inuitos; qui tamen illi in feruore ſpiritus, vel alia virtute, aut caritate præpollent. Propter quod Paulus ad Romanos ſcribens, ait: Qui non manducat, manducantem non iudicet.
Rom.14. Diuerſa enim gratiarum dona ſunt, vnus autem
1.Cor.12. Dominus. Proinde nota quod in textu ſubiungitur: *Rixa inter apes interiectu pulueris tota diſcutitur.* Et iuſtè quidem. Quid enim ſuperbis terra
Eccli.10. & cinis? Nemo altero nobilior, vt dicit Philoſo-
Sen.l.3.de ben.c.28. phus, niſi cui rectius ingenium, & artibus bonis aptius atque facilius. Citò ignominia fit ſuperbi
apud eumdem in pro. gloria. Ambitio nullum terminum habet, tam ſol-
Sen.ep.85. licita eſt, ne quem ante ſe videat, quàm ſe.] Similiter & rixa fumo diſcutitur. Quid autem eſt
Iac.4. vita hominis, niſi vapor ad modicum parens.



De ſubditorum mutua admonitione.

CAPITVLVM XVI.

Verarum apum ſingulæ habent aculeum, ſed eo nihil mitibus nocent: ſi qui verò ſudores amaros habent, & ex natura fœtidi ſunt, hos perſequuntur & pungunt.

1. l.1.c.4. VPRA poſuimus regem apum carere aculeo; hîc verò dicitur, verarum apum ſingulas habere aculeum. Sed notandum eſt, quòd inter aculeum regis & apum

apum sit magna distantia, cùm ille crudelitatem in prælato: iste loco & tempore, redargutionem vitij in subdito designet. Verarum enim apum singulas; quæ religiosos, aut fideles quosque signant; sine aculeo esse non decet: cùm discretissimus Augustinus dicat in regula. Magis, inquit, *Aug. in regul. c. 20.* innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Et beatus Benedictus in regula sua: Si quis *Bened. in reg. c. 23.* frater contumax, vel superbus, aut inobediens, aut murmurans, aut in aliquo contrarius regulæ sanctæ, & præceptis* seniorum suorum contemptor *al. si seniorum contemptor, &c.* repertus fuerit, hic secundum præceptum Domini nostri Iesu Christi admoneatur secretò semel, & secundò à senioribus suis, &, si se non emendauerit, obiurgetur publicè coram omnibus.] Talis *Mat. 18.* aculeus in claustralibus esse debet.

Correptionis omissio damnosa.

2\. DE hoc Ezechiel propheta terribiliter loquitur, dicens: Si non annunciaueris im- *Ezech. 3. & 33.* pio impietatem suam, & ipse in impietate sua mortuus fuerit, portabis iniquitatem eius. Sed dicis cum Cain. Numquid custos fratris mei sum *Gen. 4.* ego? Et quidem negando, verum dixit, qui fratrem non custodiendo, inuidus interfecit. Caue ergo & tu, ne in eo, quod non custodis, occidas: & vtique non custodis, si peccantem non arguis. Quod sciens doctor gentium Paulus, discipulo præcepit, dicens: Argue, inquit, obsecra, in- *2. Tim. 4.* crepa, in omni patientia & doctrina. Et bene dixit in omni patientia: quia Dauid prædixerat: Superueniet mansuetudo & corripiemur. Et *Psa. 89.*

Exod. 7. Num. 17. quidem virga Aaron, † quæ priùs versa fuerat in colubrum, postea flores, & amygdala protulit. Si non eadẽ numero, saltẽ specie. Vnde in Prouerbijs dicitur: qui corripit hominem, gratiam inueniet postea apud eum magis, Pro. 28. quàm qui per blandimenta linguæ decipit.

Modus corripiendi.

3. Gal. 6. QValiter autem arguendus est proximus, Apostolus docet, dicens: Si præoccupatus fuerit aliquis in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Bene dixit, in spiritu lenitatis. Asperitas enim crudelitas appellata est. Et, si quandoque corda tumidorum frangat, ferè tamen omnium, vt frequenter, exaspegat. Moderata autem lenitas, etsi quandoque peccantibus reprobis audaciam præbeat, tamen in generosis animis malefaciendi voluntatem anni-Sen. ep. 25. hilat. Alterius vitia, vt dicit Philosophus emendanda sunt; & alterius frangenda. Nec desperaueris diutinos ægros posse sanari, si contra intemperantiam steteris, si multa inuitos facere coëgeris & pati. * Verecundus est enim pudor, qui quàm- or. nutriendus. diu in animo durauerit, aliquis erit bonæ spei lo- Ep. 29. cus. Vitia alterius etsi non excidero, tamen inhibebo. Non desinent, sed * intermittent, fortasse or. intermittentur. autem & desinent, si intermittendi consuetudi- Ep. 101. fecerint. Debet aliquid contra vitia asperè dici, contra pericula animosè: contra auaritiam superbè, contra ambitionem contumeliosè, luxuria detestari, fallacitas obiurgari.]

Præ-

Præstat hîc puniri quàm in futuro.

QVomodocumque tamen, siue seueriter, siue leniter, excessus peccātium corrigatur. Malle debet quisque hîc à superiore corrigi verbo, quàm verbere in futuro. Et si se tempus aut locus obtulerit, potiùs in Capitulo velle debet coram fratribus, & à fratre, virgæ verbere vapulare, quàm in illo terribili & extremo iudicio dæmonum sæuitia cruciari: vel saltem, si Christi benignitas nobiscum remissiùs egerit, ad tempus ante iudicium in purgatorio tribulari. Miserum & plus quàm fatuum iudico, qui differt & eligit corrigi in futuro. Huius ergo rei videas manifestum exemplum. 4.

Idem docetur exemplo Hugonis Victorini.

APud sanctum Victorem Parisijs, in monasterio Canonicorum regularium, magister Hugo canonicus fuit: qui secundus Augustinus, id est, secundus ab Augustino, in scientia dictus est. Qui etsi vitæ valde laudabilis fuerit; in hoc tamen minus perfectè fecit, quòd disciplinas in secreto, vel in Capitulo cum alijs, pro quotidianis excessibus non accepit. Habebat enim, vt mihi dictum est, carnem tenerrimam, & nimis à pueritia delicatam. Quia ergo naturam, vel consuetudinem potiùs minùs bonam, in se, virtutis exercitio, non euicit, audi quid eum inde sustinere contigerit. Ad extrema veniens, à quodam concanonico suo, qui eum in vita valde dilexerat, adiuratus est, quatenus ei post obitum appareret: Libenter, inquit, si hoc mihi per vitæ & mortis do- 5.

minum concedatur. His conditionibus medijs magister Hugo defungitur, nec multò post, redit ad socium præstolantem, dicens: Ecce ego, quære quod vis, morari non possum. Tunc ille, etsi cum timore, non tamen modicè gratulatus: Quomodo, inquit, dilectissime, tibi est. Bene, ait, nunc mihi est: sed quia dum viuerem, accipere renui disciplinam, vix vllus dæmonum in inferno remansit, qui non mihi ictum validum dederit ad purgatorium transeunti.

Auctoris exhortatio.

6. ECce nunc carissimi, quantò meliùs, quantò gratiùs, quantò leuiùs in vita, quàm post mortem, vir ille doctissimus vapulasset: Videant nunc, qui nec in capitulis arguere volunt, nec argui. Cessant accusationes, & ideo accrescunt excessus. Defert vnus alteri, vt sibi ab altero deferatur: veniet certè tempus, in quo cani muto, non
Isa. 56. valenti latrare, silentium indicetur, ore per ignẽ flammæ vorantis obstructo. Tunc ille, qui latratus accusantium vel corrigentium sustinere contempsit, clamores, irrisiones, & cachinnos dæmonum ad pœnas ineuitabiles compellentium sustinere cogetur. Hinc per prophetam dicitur: Re-
Psa. 2. ges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Et post pauca, quasi causam subiun-
Ibid. gens, ait: Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta. Memor virgæ ferreæ, cuius propheta iam meminit, quid inde in puerili ætate audierim, audiatis.

De duobus peruersis scholaribus, corrigi nolentibus.


ERant in schola duo insolentissimi scholares adolescentes, qui non solùm magistri correctiones pati nolebant; verùm etiam ad insolentias & dissolutiones, alios studere volentes, sæpissimè compellebant: Et hæc quidem magister emendare non poterat, nec audebat. Contigit ergo magistrum mori, & tertio die aut quarto † in medìa schola, in effigie magistri, diabolum cum virga ferrea coram omnibus apparere. Nec mora, cum truci vultu in dictos adolescentes exsurgens, & cum virga mortem illis intentans, repentè disparuit. Moxque illi, præ pauore in furiam versi, post dies aliquot obierunt. Ex his ergo scholares diuinum aduertant iudicium, & magistris suis subdi discant, nec vmquam refugiant corrigi, ne eis contingat postmodum sub virga ferrea vapulare. 7. *f. post.*

Secunda pars textus exponitur.

IN fine autem huius particulæ de apibus notari potest, quod dicitur, nihil eos aculeo mitibus nocere: quia non propter legum obseruatores, sed propter transgressores pœna est in legibus constituta. Si qui verò sudores amaros habent & quasi à natura fœtidi sunt, hos persequuntur & pungunt. Sudores amari peccata significant, quæ ad amaritudinem pertrahunt sempiternam. Natura autem fœtidi sunt, qui per consuetudinem * peccandi, quæ propriè non est natura, sed quasi altera natura, infames facti sunt, & 8 *1. Tim. 1.* *ms. p. s. 2. imp. peccatorum.*

fœtore

fœtore turpis famæ ſuæ corda hominum omni fœtore grauiùs infecerunt. Tales vtique, boni clauſtrales vel veri fideles; quaſi veræ apes, non immeritò perſequuntur & pungunt: ſicut Dauid
Pſa.138. de illis dicit: Perfectò odio oderam illos: inimi-
Pſa.118. ci facti ſunt mihi. Et ſuprà: Iniquos odio habui: & legem tuam dilexi. Conſequens enim eſt, vt qui legem diligit, inimicos legis, ſcilicet iniquos, odiat, perſectò tamen odio, id eſt, perfectorum, qui Dei facturam diligunt, hoc eſt, hominem, & factum hominis, quod eſt peccatum, oderunt.



De periculo carentium zelo correctionis.

CAPITVLVM XVII.


Apes, quæ aculeum perdunt, mella de cetero facere non poſſunt.

1.
Iudic.14.



QVID melle dulcius? quid virtute iucundius? Hanc vtique in proximo promouere non ſatagunt, qui peccantem proximum arguendo, vel accuſando non pungunt: vel aliter exponi poteſt, ſed grauiùs. Apes, quæ aculeum perdunt, mella de cetero facere non poſſunt: quia ſępius fit, vt qui proximo ſubuenire arguendo, vel indicando non curat, iuſta vindicta Dei à melle virtutis cadat: & qui fratri ſuo à fouea cauere noluit, ipſemet labyrinthum iniquitatis incurrit. Quid mirum?
Ier.48. Maledictus à propheta dicitur, qui prohibet gladium

fœtore turpis famæ suæ corda hominum omni fœtore grauiùs infecerunt. Tales vtique, boni claustrales vel veri fideles; quasi veræ apes, non immeritò persequuntur & pungunt: sicut David de illis dicit: Perfecto odio oderam illos: inimici facti sunt mihi. Et suprà: Iniquos odio habui: & legem tuam dilexi. Consequens enim est, vt qui legem diligit, inimicos legis, scilicet iniquos, odiat, perfecto tamen odio, id est, perfectorum, qui Dei facturam diligunt, hoc est, hominem, & factum hominis, quod est peccatum, oderunt.



De periculo carentium zelo correctionis.

CAPITVLVM XVII.

Apes, quæ aculeum perdunt, mella de cetero facere non possunt.



QVID melle dulcius? quid virtute iucundius? Hanc vtique in proximo promouere non satagunt, qui peccantem proximum arguendo, vel accu...ndo non pungunt: vel aliter exponi potest, sed ...grauiùs. Apes, quæ aculeum perdunt, mella de cetero facere non possunt: quia sæpius fit, vt qui proximo subuenire arguendo, vel indicando non ...rat. iusta vindicta Dei à melle virtutis cadat: qui fratri suo à fouea cauere noluit, ipsemet ...yrinthum iniquitatis incurrit. Quid mirum? ...aledictus à propheta dicitur, qui prohibet gladium

gladium suum à sanguine. Prohibere autem gladium à sanguine, est proximum nolle verbo corrigere, quo mori posset, pœnitendo, peccato, & correctus viuere Deo. Talis maledictus, id est, malo addictus est: quia in eo, quòd proximum curare noluit, cum malum culpę in pręsenti, & malum pœnę in futuro perpetuę damnationis inuoluit. De hoc, quid nostro tempore contigerit, audiamus.

De eadem re exemplum.

2. Vidimus in monasterio quodam monachum, naturali ingenio & scientia præditum, virtute castitatis, & omni morum honestate pręclarum. In quo solus ille defectus erat, quòd nullam contra peccata rigiditatem habebat. Quem defectum in eo corrigendum sperantes monachi, eum in abbatem vnanimiter elegerunt. At ille, factus abbas, vt antè, in pusillanimitate & ignauia perstitit: & ex hoc ordo monasticus notam satis grauem dissolutionis incurrit. Quod superiores eius, ordinarij nimirum, graue ducentes, illum ab officio remouerũt. Quod ille supra modũ grauiter ferens, ad tantam paulatim impatientiã venit, vt manus iniquitati totaliter daret, & se impudentissimè nequissimis in dilapidationem ecclesię sociaret. Nec post hęc tempus distentiùs intercessit, cùm * ecce positus in agonia, importunos exactores sibi instare vidit, seque oporte- *ms. b. c. tria imp. esset.*
re rationem reddere, non solùm de suis excessibus, verùm & de illorum, quos quandoque corrigere debuit, & non correxit. Exactores itaque cùm declinare vellet, nec posset, clamans inter angustias

guſtias exſpirauit. O quàm horrendum eſt illius horam exitus expectare, & non cum lacrymis debitis & lamentis, & dignis pœnitentiæ fructibus eam præuenire.

3. Concluſio. HVius ergo exempli gratia, correctionis aculeum habeas, ne fruſtreris melle, & à virtute cadas.



De culpæ remiſſione.

CAPITVLVM XVIII.

Sunt & apes ruſticæ, aſpectu horridæ, multò iracundiores; ſed labore & opere præſtantes. Illæ aliquando in tantum adacto aculeo pungunt, vt inteſtinum ſequatur, & tunc illico moriuntur.

1. Nimia auſteritas cauenda in reprehendendo.



APEM ruſticam & aſpectu horridam, clauſtrales quoſdam intelligo, qui in exteriori ordinis obſeruatione ſuperficialiter ambulantes, nulla interiùs dulcedine Spiritus ſancti irrorantur. Hi bene in actibus Apoſtolorum ſignati ſunt per illos, qui
Act. 19. ſe Spiritum ſanctum ignorare reſpondent, & ſe
Mat. 3. tantùm in Ioannis baptiſmate baptizatos eſſe; qui vtique dura abſtinentia præditus, & zona pellicea,

licea, & camelorum pilis hirsutus horrescat. Tales, vt prædiximus, in austeritate morum, exteriùs ambulantes, actiuæ vitæ multo labore opera præstant, & ideo iracundiores sunt. Martha enim sollicita erat circa frequens ministerium, & ideo erga plurima turbabatur. Tales autem si in tantum adacto aculeo pungunt, vt * intestini rancoris odium sequatur, vel etiam occasionem infirmis & nondum perfectis fratribus dederint, vt ab ipsis odio habeantur, mortalissimè peccant; & quasi irremediabile peccatum manet quousque fratribus reconcilientur, & correctis moribus se habilitent, vt & ipsi in pace viuant, & alios secum in pace viuere permittant. Et vide quàm reprehensibile istud Christus in Euangelio denotauit. Qui scandalizauerit, inquit, vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit, supple magis ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Nota quòd rarissimè Christus, nisi hîc, pœnas certas in alio peccato distinguit: hîc autem pro solo scandalo demersionem in mari cum mola asinaria fieri iudicauit. Quis autem magis scandalizat hominem, quàm qui ei occasionem peccati & scandali præstat? De his autem quorum reprehensiones vel mordicitates odij sequitur intestinum, exemplum nostri temporis audiamus.

Luc.10.

ms.p.intestinum, 2. imp. intestini & rancoris.

Mat.18.

Exemplum de odio intestino terribiliter punito.

VEnerabilis Iacobus de Vitriaco, cuius suprà fecimus mentionem, vt multis adhuc notum est, crucem Hierosolymitanam ob salutem

2. l.1.c.22.p.2

tem multorum in Brabantia prædicauit. Contigit autem vt pacificaturus quadam die mortales inimicitias, iniuriam passum, primò suppliciter, deinde prostratus pedibus eius, semel, iterum, & tertiò cum multitudine populi præsente rogaret, nec proficeret in rebellem. Conuersus igitur ad populum, dixit: Palam omnibus contestor vos: quia
Luc.10. qui spernit nos, spernit & eum, qui mittit nos. Rogate ergo Dominum, vt tale signum ostendat in hominem obstinatum, quo cunctis præsentibus pateat eum hostiliter contra se in retentione odij contra proximum hoc egisse. Nec mora, vbi vir sanctus orationem expleuit, miser ille euersis oculis semel, iterum, & tertiò in terram corruit: oreque cruorem spumans & saniem, horroris maximum spectaculum & piaculum omnibus præbuit. Tunc flente populo, vir reuerendus fusa prece prostratum erexit. Qui mox integerrimè sospitatus, vbi ante se inimicum vidit, quasi aliquid amicissimum rogaturus, cum lacrymis veniam petiuit, ruensque in oscula eius, ad lacrymas & laudem Christi omnium corda commouit. Similiter & de hoc eodem articulo quiddam valde memorabile in Germaniæ partibus contigit.

De nobili, qui alteri mortem fratris indulsit.

3. NObilis quidam fratrem vterinum à quodam plebeio & ignobili occisum perdiderát. Fugiente ergo de patria occisore, contigit vt nobilis ille cum multo comitatu peregrè profectus, impræmeditatè soli in agro occurreret occisori, qui mox extracto gladio, vbi inimicũ expetijt,

tem multorum in Brabantia prædicauit. Contigit autem vt pacificaturus quadam die mortales inimicitias, iniuriam passum, primò suppliciter, deinde prostratus pedibus eius, semel, iterum, & tertiò cum multitudine populi præsente rogaret, nec proficeret in rebellem. Conuersus igitur ad populum, dixit: Palam omnibus contestor vos: quia qui spernit nos, spernit & eum, qui mittit nos. Rogate ergo Dominum, vt tale signum ostendat in hominem obstinatum, quo cunctis præsentibus pateat eum hostiliter contra se in retentione odij contra proximum hoc egisse. Nec mora, vbi vir sanctus orationem expleuit, miser ille euersis oculis semel, iterum, & tertiò in terram corruit: oreque cruorem spumans & saniem, horroris maximum spectaculum & piaculum omnibus præbuit. Tunc flente populo, vir reuerendus fusa prece prostratum erexit. Qui mox integerrimè sospitatus, vbi ante se inimicum vidit, quasi aliquid amicissimum rogaturus, cum lacrymis veniam petiuit, ruensque in oscula eius, ad lacrymas & laudem Christi omnium corda commouit. Similiter & de hoc eodem articulo quiddam valde memorabile in Germaniæ partibus contigit.

De nobili, qui alteri mortem fratris indulsit.

NObilis quidam fratrem vterinum à quodam plebeio & ignobili occisum perdiderat. Fugiente ergo de patria occisore, contigit vt nobilis ille cum multo comitatu peregrè profectus, impræmeditatè soli in agro occurreret occisori, qui mox extracto gladio, vbi inimicũ expetijt,

petijt, in terram prostratus occisor, clamauit: Miserere mei, nobilissime vir, pro illius memoria, qui tui misertus & omnium, mundum istum sua morte redemit. Repentè nobilis animus in lacrymas resolutus, illam, quam extenderat, retraxit manum. Sed cùm hoc ignauiæ adscriberetur à suis, & iterum manum extenderet in prostratum, iteratò reo ob remissionem omnium peccatorum eius veniam petente, secundò manum deposuit. Tertioque increpatus à suis, cùm mortem * certiùs intentaret, & miser ille ob euasionem angustiæ, quam omnis caro in extremo esset iudicio perpessura, veniam precaretur, respondit nobilis genere, sed nobilior mente: Et ego, inquit, tibi prorsus mortem fratris indulgeo. Nec mora, eadem die, vt audiret missam, ecclesiam introgressus: vbi coram imagine crucifixi tertiò genua flexit, visus est à quodam sancto viro, ad singulas genuflexiones nobilis illius, crucifixus caput suum humiliter inclinare. Seorsum ergo vir sanctus ille, qui solus hoc viderat, nobilem euocauit, quis esset interrogat. At ille, miles, inquit, dicor in terra, qua natus sum. Et rursum ille: Dicas mihi carissime, nihil celes: In quo confidis te magis diuinam misericordiam meruisse? Tunc miles, peccator, inquit, sum, & seculo deditus, in nullo prorsus, nisi hodie forsitan, veniam promerui. Et his dictis, quid actum est retulit. Mox ille, & quid vidisset exponens, ad actum vitæ gratioris & meriti nobilem exhortatur.

ms. b. c. ter. imp. tertiò.

Exem-

Exemplum de vera ingenuitate Archytæ Tarentinj.

4. ET dignè quidem de viro nobili hoc auditur, quoniam Philoſophus dicit, vera ingenuitas
Val.Max. l.4.c.1. non recipit contumeliam. Vnde Tarentinus ille nobiliſſimus. diuitem intuens villicum malè diſpēſantem rebus: Sumpſiſſem,inquit,de te ſupplicium, niſi tibi iratus eſſem. Maluitque impunitum relinquere,quàm per iram impium plùs iuſtò punire.

De dimittenda iniuria,ex Seneca.

5. NIhil enim eſt tam præclarum, tamque magnificum, quod non deſideret temperantiæ moderamen. Proinde quid Philoſophi ſentiant ſuper eo, quòd iniuria dimittenda ſit proximis,
Apud Sen. in pro. videamus. Dicit enim philoſophus: Numquam ſcelus ſcelere vindicandum eſt. Quàm impium eſt nocuiſſe, quòd oderis lædere, quantò iniquiùs odiſſe quod læſeris? O quàm magnarum virium eſt, lædentem negligere. Res igitur magnæ clementiæ eſt, indulgendo peccata corrigere non vindicando. Riduculum eſt odio nocentis innocentiam perdere. Sed reuera beneficiorum memoria fragilis eſt, iniuriarum tenax. Si
Lib.1.de clem.c.5. quis iraſcitur,& ab aliquo pœnas expetit, à ſe exigit. Magni animi eſt proprium, placidum eſſe, tranquillumque: & iniurias atque offenſiones ſupremè deſpicere. Si magnanimus fueris, numquam tibi iniuriam fieri iudicabis. Honeſtum e-
Lib. de 4. virt. c.2. nim vindictæ genus, ignoſcere. Propoſitum optimi viri

mi viri & ingentis animi eſt, tam diu ferre ingratum, donec fecerit gratum. Nec te ratio iſta decipiet: ſuccumbunt vitia virtutibus, ſi illa concitò odiſſe * paraueris.] *Sen.l.5.de ben.c.1.* *or. properaueris.*

DIſcant ergo apes fidelium pro tempore, loco, & perſona, aculeo pungere, & nullum inteſtinum fraterni odij in cordibus retinere, vt ſic in mellis dulcore proficiant, & fratrem charitatiuè correctum, emendatumque oſtendant. *Concluſio.*



De non quærendo gloriam propriam.

CAPITVLVM XIX.

Inter omnia genera animalium, illud ſupra modum mirabile eſt, quòd apes communem habent ſobolem, & eis communis eſt fructus.



QVID ergo monache religioſè viuẽs, quid prædicator egregie, de fructu multiplici ſingulariter gloriaris? Et tuus fructus, ſi congaudeo, meus eſt: Et hoc, vt Auguſtinus dicit, charitas operatur. Charitas enim, teſtante Apoſtolo, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt. Rex Dauid, quem Deus hominem ſecundum cor ſuum inueniſſe teſtatur, in multitudine populi, quaſi 1. *Quæ bene feciſti communia credere debes. Aug. tract. 67. in Ioan. 1. Cor. 13. 1. Reg. 13. & Act. 13. 2. Reg. 24.*

2.Reg.15. ſub eo auctus creuerit, gloriatus; cum populo ſuo tanta animaduerſione percuſſus eſt diuinitus, vt ſeptuaginta millia populi, angelo cædente, corruerent: & ipſe regni gloria deſtitutus, proprium filium fugeret, & in maxima penuria tribus menſibus exularet. Si ergo regi Dauid in multitudine populi nequaquam gloriari permiſſum eſt, quid tibi paſtor, prælate, quid tibi monache, quid tibi prædicator eſt & gloriæ? Communem tibi ſobolem reputes, communem tibi fructum cum alijs. Paulus ille excellentiſſimus prædicator olim in electis fidelibus reprehendit quòd dicebant: Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ. Et iuſtè, quia poſtea ſubinfert: Ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus vt non glorietur in conſpectu eius omnis caro. Quare autẽ ille glorioſiſſimus Nathanaël, cui Chriſtus ſuper omnes ferè Apoſtolos & diſcipulos ſuos teſtimoniũ perhibet, dicens: Ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt, ſicut Petrus & Andreas, qui vtique homines erant ſine litteris & idiotæ, Apoſtolatus non accepit dignitatem? Hinc Auguſtinus innuere videtur, quòd Nathanaël, ſi idiota fuiſſet, Apoſtolus * forſitan extitiſſet. Quid ergo prædicator, quid doctor populi, de multis litteris gloriaris?

Hæc poſterior pœna nõ ob ſuperbiam, ſed propter adulteriũ & homicidium ei inflicta eſt.

1.Cor.1. *Ibid.* *Ioan.1.* *Act.4.* *Aug.tract.7.in Ioan.*


ms.s.p.2. imp.omittit forſitan

Non caret probabilitate Nathanaelem eſſe Bartholomæum.

De sexaginta iuuenibus paruæ litteraturæ receptis ad ordinem à beato Iordano.

MEmor sum loci, & temporis, & personæ, quòd beatissimæ memoriæ frater Iordanus magister ordinis Prædicatorum secundus, prædicator strenuus, iuuenes vno tempore tam paruæ litteraturæ ad ordinem recepit Parisijs sexaginta, vt plures eorum vix possent, vt audiui, cum multa repetitione ad matutinale officium vnam legere lectionem. Super quo, vt dicitur, à fratribus grauiter ad generale Capitulum accusatus, Spiritu sancto repletus dixit: Sinite istos, ne contemnatis vnum ex his pusillis. *Mat.* 18. Dico vobis quòd multos, & ferè omnes Prædicatores videbitis gloriosos, & per quos Dominus super multò lucidiores & litteratiores in salutem operabitur animarum. Quod nos veridico ore dictum vsque in hodiernum diem vidimus & videmus. 2.

DIscant ergo melliflui fructus apes, cum gaudio & admiratione fidelium, sobolem communem habere, & non in fructu singulariter gloriari. *Conclusio.*



De mutua & vera amicitia.

CAPITVLVM XX.

Mira apes amicitia fouentur inuicem.

1. T hoc iure, cùm Christus totius virtutis exemplar nequaquam discipulos seruos,
Ioan.15. sed amicos vocare dignatus est. Ecclesiasticus quoque de amicitia eleganter insinuans,
Eccl.37. dicit: Ne obliuiscaris amici tui in animo tuo: & non immemor sis illius in operibus tuis. Fidelita-
Vt nominatim Pro.17. Eccl.6.&c. tem amicitiæ omnes diuinæ scripturæ commendant. Sed & philosophi iucunda nimis & pulchra de illa testantur. Ait enim Philosophus: Nul-
Sen.ep. 6. lius boni sine amico vel socio iocunda est possessio. Cum his conuersare, qui te meliorem factu-
Ep. 7. ri sunt: illos admitte, quos tu potes facere meliores.] Tales tibi comparabis amicos, quibus possis & in aduersis confidere, & in prosperis non timere: vt & hinc te in aduersis subleuent, & inde te in prosperis non supplantent. Qualem amicum habere volueris, talem te exhibeas erga ipsum. Ita semper amicum habeas, vt posse fieri
Apud Sen. in pro. inimicum putes. Ita credas amico, ne sit inimico locus. Turpius nihil est quàm cum eo bellum ge-
Sen.ep.9. rere, cum quo familiariter vixeris. Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine her-
ms.p.s.venefici.or. venefica. ba, sine vllius * veneficij carmine: Si vis amari, ama.

De mutua & vera amicitia.

CAPITVLVM XX.

Mira apes amicitia fouentur inuicem.

ET hoc iure, cùm Christus totius virtutis exemplar nequaquam discipulos seruos, sed amicos vocare dignatus est. Ecclesiasticus quoque de amicitia eleganter insinuans, dicit: Ne obliuiscaris amici tui in animo tuo: & non immemor sis illius in operibus tuis. Fidelitatem amicitiæ omnes diuinæ scripturæ commendant. Sed & philosophi iucunda nimis & pulchra de illa testantur. Ait enim Philosophus: Nullius boni sine amico vel socio iocunda est possessio. Cum his conuersare, qui te meliorem facturi sunt: illos admitte, quos tu potes facere meliores.]Tales tibi comparabis amicos, quibus possis & in aduersis confidere, & in prosperis non timere: vt & hinc te in aduersis subleuent, & inde te in prosperis non supplantent. Qualem amicum habere volueris, talem te exhibeas erga ipsum. Ita semper amicum habeas, vt posse fieri inimicum putes. Ita credas amico, ne sit inimico locus. Turpius nihil est quàm cum eo bellum gerere, cum quo familiariter vixeris. Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine vllius * veneficij carmine: Si vis amari, ama.

ama. Negociatio est, non amicitia, quæ ad commodum accedit: quæ quid consecutura sit, spectat. Detrahit amicitiæ maiestatem suam, qui illam parat ad bonos casus. Si aliquem amicum existimas, cui non tantumdem credis, quantum tibi, vehementer erras, & non satis nosti vim veræ amicitiæ. Omnia cum amico tuo delibera, sed de ipso priùs. Post amicitiam credendum est: ante amicitiam iudicandum. Tu ita viue, vt nihil illi committas, nisi quod committere etiam inimico possis. Diu cogita antequam tibi aliquis in amicitiam copulandus sit. Cùm placuerit, toto illum pectore admitte: tam audacter cum eo loquere quàm tecum. Vtrumque vitium est, & omnibus credere, & nulli.] Semper in amicitia fixus esto. Contra amicum nulli credas, nisi quod ipse probaueris. Vera amicitia numquam fefellit, sed semper stabilis perseuerat. Si verò in contrarium actum est, numquam vera fuit. Ep.3.

Exemplum mirabile de duobus amicis

DE duobus verè amicis, vir quidam philosophiæ deditus ista narrauit. Erat, vt memini, parum ante nostra tempora, iuuenis quidam sagax ingenio & diues valde, qui nuncios suos per diuersas mundi partes mercationis causa mittebat. Quorum quidam, vt venerunt in partes Orientis, repererunt gentilem quemdam in omnibus copijs, & rebus mundi super omnem modum ditissimum, liberalem in omnibus, & fidelem. Quid plura? Nunciant illi talem se habere dominum. Vadunt, & redeunt, munera ex parte domini sui gentili deferunt, a.


referuntque maiora iuueni Christiano. Ex quo iuuenis ipse tantùm amore & admiratione succenditur, quòd properat cum multo comitatu & muneribus in Orientem, videre gentilem. Quem ille cum magna gloria & exultatione susceptum, expertus est honestum hominem moribus, sagacem ingenio, & præ omnibus liberalem, secumque illum tenet non paruo tempore, nec paruis expensis. Qui cùm redire deliberaret ad patriam, eum ad thesauros incomparabiles introduxit. Sed cùm aliquid ille accipere constantissimè recusaret, tandem ostendit illi septem puellas virgines in conclaui, nobilissimas genere, & pulcherrimas in decore, quas secundum ritum suum, oportuno tempore ducere proponebat, & dixit ei: Ex his tibi vnam eligas in vxorem, nec mora iuuenis supra modum animo captus & oculis, vnam elegit, præstantiorem moribus & decore. Cui gentilis: Optionem, inquit, dedi tibi, & tu mihi prę omnibus dilectissimã elegisti. Et tu quidem vt sapiẽs, experieris quid dederim tibi: & ego, vt minus sapiens propter te, quid dimiserim experiri nõ cũctabor. His dictis, sponsæ tradidit condigna munuscula, & eã Christiano tradidit. At ille ad propria veniens, spõsam suam in magna gloria baptizatam, accepit vxorem, & mulierẽ miræ virtutis inuenit. Ipse autem auctus gloria & diuitijs, in virum profecit maximum ciuitatis. Gentilis autem è contrario, frequenter recolens quid in dicta iuuencula perdidisset, grauari cœpit animo vltra quàm credi potest, & paulatim, præ tristitia, contabuit in eo species atque sensus. De die ergo in diem, de anno in annum, de tempore in tempus decrescens rebus, cùm iam nihil curaret de omnibus,

referuntque maiora iuueni Christiano. Ex quo
iuuenis ipse tantùm amore & admiratione suc-
cenditur, quòd properat cum multo comitatu &
muneribus in Orientem, videre gentilem. Quem
ille cum magna gloria & exultatione susceptum,
expertus est honestum hominem moribus, saga-
cem ingenio, & præ omnibus liberalem, secum-
que illum tenet non paruo tempore, nec paruis
expensis. Qui cùm redire deliberaret ad patriam,
cum ad thesauros incomparabiles introduxit. Sed
cùm aliquid ille accipere constantissimè recusa-
ret, tandem ostendit illi septem puellas virgines in
conclaui, nobilissimas genere, & pulcherrimas in
decore, quas secundum ritum suum, oportuno
tempore ducere proponebat, & dixit ei: Ex his
tibi vnam eligas in vxorem, nec mora iuuenis su-
pra modum animo captus & oculis, vnam elegit,
præstantiorem moribus & decore. Cui gentilis:
Optionem, inquit, dedi tibi, & tu mihi præ omni-
bus dilectissimam elegisti. Et tu quidem vt sapiës,
experiens quid dederim tibi: & ego, vt minus sa-
piens propter te, quid dimiserim experiri nõ cu-
ctabor. His dictis, sponsæ tradidit condigna mu-
nuscula, & eã Christiano tradidit. At ille ad pro-
pria veniens spõsam suam in magna gloria bapti-
zatam, accepit vxorem, & mulieré miræ virtutis
inuenit. Ipse autem auctus gloria & diuitijs, in vi-
rum profecit maximum ciuitatis. Gentilis autem
è contrario, frequenter recolens quid in dicta iu-
uencula perdidisset, grauari cœpit animo vltra
quam credi potest, & paulatim, præ tristitia, con-
tabuit in eo species atque sensus. De die ergo in
diem, de anno in annum, de tempore in tempus
decrescens rebus, cùm iam nihil curaret de omni-
bus,

bus, quæ haberet, tandem ad extremam mise-
riam deueniës, exul de patria, quasi infatuatus ab
amicis est expulsus. Qui, cùm quid ageret ignora-
ret, incidit cordi eius, amicum visitare debere
pro quo talia incurrerat: nec posse credere eum
futurum sui immemorem, & nunc tanti piaculi
contemptorem. Aggressus ergo iter, venit ad lo-
cum vbi ille manebat, & pulsans ad portã quondã
amici sui, dixit quis esset. Neglexit nuncius ver-
bum: non intromissus est. Quo in facto gentilis
contristatus ad mortem, vespere veniente, super
vastum ecclesiæ atrium se proiecit. Intempestæ
ergo noctis silentio, quidam latrunculus insidia-
tus transeunti, ipsum occidit, clamque discessit.
Mane autem iuxta gentilem inuento homine oc-
ciso, idem gentilis ignotus capitur, & congregatis
nobilibus & populo ciuitatis offertur captus, &
illi factum imponitur. Qui cùm desperatione fra-
ctus, homicidium non negaret, ille quondam a-
micus eius, stans diu stupefactus, contemplatus est
hominem, & cognouit, statimque prosiliens, cùm
ille duceretur ad mortem, clamauit. Innocens iste
est, ego sum qui factum feci. Nec mora, dum cum
maximo clamore & mœrore populi procumbe-
ret decollandus: ille, qui factum fecerat, proui-
dentia diuina, veritus tam nobilem & innocëtem
hominem deperire, in medium prosiliens, excla-
mauit: Innocentes ambo, & primus, & secundus,
ego sum ille nequissimus, qui homicidium perpe-
traui. Mox iudex & proceres ciuitatis mirabili-
ter stupefacti simul capiunt dictos tres viros, &
factum diligentiùs perscrutantes, cùm veritatem
per omnia cognouissent, innocentes absoluunt, &
ipsum reum præ admiratione piaculi dimittunt.

Christianus autem ille obuijs manibus & oculis amicum suscepit: & vt breuiter dicam, inuitat ad fidem, annuit ille, baptizatus est: accepit vxorem nobilem consobrinam amici: & co-gente dimidia cum illo bona partitus est, quæ habebat.

Conclusio. APes ergo fidelium, Christiana & debita amicitia adinuicem foueantur: studeantque diuinæ gratiæ deditι exemplum saltem gentilis hominis imitari.



De bono hospitalitatis.

CAPITVLVM XXI.

Sunt apes hospitalitatis virtuti deditæ: apes enim extraneas, dummodo bonæ & mitis naturæ sint, secum recipiunt.

1. *Gen.19.* *Gen.18.*

VID mirum? Per hanc enim, & Loth euasit incendium, & Abraham receptis & refectis angelis meruit benedici. Et Apostolus hospitales, inquit, inuicem, sine simulatione. Et bene addidit, sine simulatione, quia maximè isto tēpore in pluribus videmus hospitia simulata: vt hoc faciāt seculares homines aut propter verecundiam honestatis: aut propter fauorem, & gloriam secularem, pauci

Heb. 13. *1. Pet.4. vbi bib. habent sine murmuratione.*

Christianus autem ille obuijs manibus & oculis amicum suscepit: & vt breuiter dicam, inuitatus ad fidem, annuit ille, baptizatus est: accepit vxorem nobilem consobrinam amici: & eo curante dimidia cum illo bona partitus est, quæ habebat.

Apes ergo fidelium, Christiana & debita amicitia adinuicem foueantur: studeantque diuinæ gratiæ deditı exemplum saltem gentilis hominis imitari.



De bono hospitalitatis.

CAPITVLVM XXI.

Sunt apes hospitalitatis virtuti deditæ: apes enim extraneas, dummodo bonæ & mitis naturæ sint, secum recipiunt.



QVID mirum? Per hanc enim, & Loth euasit incendium, & Abraham receptis & refectis angelis meruit benedici. Et Apostolus hospitales, inuit, inuicem, sine simulatione. Et bene addidit, ne simulatione, quia maximè isto tẽpore in pluribus videmus hospitia simulata: vt hoc faciãt seculares homines aut propter verecundiam honestatis: aut propter fauorem, & gloriam secularem, pauci

pauci verò simpliciter propter Deum. Et verè credo, quòd qui modo debito indigentibus hospitium exhiberet, ei etiam Dominus refunderet in præsenti, & de hoc digna fratris Prædicatoris relatione manifestum miraculum enarrabo.

Miraculum de hospitalitate remunerata, quod Romæ contigit.

FVit Romæ vir quidam pius & bonus, qui indifferenter homines religiosos & pauperes ad hospitium suum inuitabat. Contigit autem eum senio confectum rebus temporalibus attenuari, & angustiabatur plus, quòd solitam hospitalitatem exercere non posset, quàm quòd ad vsus suos sufficientiam non haberet. Cumque vna noctium anxius pro talibus in lecto iaceret semiuigilans, audiuit vocem dicentem sibi: Vidi charitatem tuã & misericordiam, quam in exhibenda hospitalitate, multo tempore infatigabiliter habuisti, & per hanc ad vitam pauperem deuenisti. Volo ergo non solùm in futuro remunerare te, verùm etiam in præsenti. Loquere illi diuiti, & de vinea tua, quæ melior est, cum vinea illius concambium facies. Ipse autem libenter annuet verbis tuis. Habita ergo illius vinea, in medio illius aceruum fodias in profundum, & sub eo reperies quod Romanis copijs est inuisum. Ad hanc igitur vocem cùm protinus homo non obediret, secundò quoque, & tertiò idem, quod priùs, vox diuina præcepit. Tunc igitur homo ad diuitem veniens obtulit concambium vinearum. Cui diues: Libenter, inquit, id faciam, & quo melior tua est mea, tibi soluam. Cui pauper, nolo ait, sed æquo valore concam-

concambium fiat, & factum est sic. Mox pauper, communicato secretæ rei consilio filio quem habebat, & duabus pariter filiabus, ad aceruum cum eis supradictum accedit in vineam, & incipiunt fodere cum spe magna. Cumque diu fodissent, nec adhuc effectus sui signum aliquod inuenissent, cœperunt patri suo filius cum sororibus insultare. Quibus pater: Nullo, ait, modo possum credere frustrandum me esse. Aceruo igitur pater cum filijs viriliter insistentes, tandem in profundo inter ingentes lapides, vas marmoreum plenum aqua, & in ore ipsius vasis ollam vitream plenam balsamo, & in orificio ollæ vas paruum fictile, & in eo tres lapides pretiosos, smaragdum, sapphirum, & carbunculum quantitatis non modicæ, repererunt. Nihil autem aquam in vase marmoreo reputantes, effuderunt eam. Quæ mox vt effusa est, instrumenta quædam ærea, in quibus laborauerant, perfusione contingens, colorem æris in pulcherrimam auri speciem commutauit. Erat enim aqua ex sanguine & carnibus basilisci, in modum aquæ rosaceæ per eleuationem facta, qua solet ab Alkimistis aurum fieri sophisticatum: sed hac aqua Deus noluit dicti viri innocentiam maculari, & ideo effusa * disperijt. Balsamo verò, cùm dictus homo debilitatus visu, vsus fuisset nescius, quasi communi oleo per dies aliquot, visum integerrimè recuperauit. Et post, cognito per presbyterum suum quòd esset balsamum, vendidit illud * inæstimabili precio: & pro lapidibus quos inuenerat preciosis, pecunias copiosissimas & multas accepit, factusque diues & inclytus, glorificauit Deum, & post se filios & nepotes suos in multis copijs dereliquit.

ms b.c. tria imp. disparuit.

ms.b.c. ter. imp. ineffabili. o.

Studeant

STudeant ergo apes fidelium, hoſpitalitatis gratia, pauperes & peregrinos, & maximè vita probatos ſecum recipere, & neceſſaria miniſtrare. *Concluſio.*



De auaritia cauenda.

CAPITVLVM XXII.

Cùm plura genera animalium cupida ſint & auara, apum genus nullis auaritiæ ſpurcitijs ſcatet; ſed ſuper beneficium gratulatur.



ET dignè quidem, quia auaro ſecundum verbum Sapientis nihil eſt ſceleſtius, & hîc ſuppleas, Chriſtiano. Eſt enim ſecuudum Apoſtolum auaritia idolorum ſeruitus, quod eſt peccatum maximum, & Chriſtianis finibus propulſandum. 1. *Eccli.10.* *Epheſ.5.*

Quomodo philoſophi auaritiam deteſtantur.

HAnc auaritiam & Philoſophi deteſtantur. Dicit enim Seneca in prouerbijs. In nullum auarus bonus eſt, in ſe peſſimus. Cupiditatem effugere, regnum eſt vincere. Negandi cauſa auaro numquam deeſt. Pecunia, ſi vti ſcias, ancilla eſt, ſi neſcias domina: pecunia non ſatiat auarum, 2. *Apud Sen. in pro. lit. i. ex ep.109. ibid. lit. c. n. p.*

ſed

ſed irritat. Quid hac re fieri ſtultiùs reputamus?
Ep. 19. Nihil ſatis eſt morituris. Quamdiu ſatis nihil tibi
Ep. 73. fuerit, ipſe alijs ſatis non eris. Reſiſtendum eſt occupationibus cupiditatum, nec explicandæ, ſed
adieci (in) ex or. quod legit ſubſtituent ſubmouendæ ſunt, ſi ſemel intrauerint, * in locum ſuum alias * inſtituent. Principijs illarum obſtemus, meliùs non incipient, quàm deſinent.
Epiſt. 15. Nos cæca cupiditas in nocitura, non ſatiatura, præcipitat. Quibus ſi quid ſatis eſſe poſſet, fuiſſet; qui non cogitamus quàm iucundum ſit nihil habere, quàm magnificum, plenum eſſe, nec ex fortuna pendere. Diſcedent aliquando iſta bona inſidioſa & ſperantibus meliora. Si quid in illis eſſet ſolidi aliquando implerent: nunc autem haurientium ſitim concitant, non extinguunt.]

Dictum Diogenis.

3. CVm Diogeni à capite de nocte fur ſacculum cum nummis trahere conaretur, & ille ſentiret: Trahe, inquit, infelix, vt facias vtrumque dormire.

Exhortatio ad contemptum diuitiarum, & exemplum de vſurario caſu imaginis interempto.


4. Sen. l. 6 de benef. c. 33. DOcearis ergo mobilia eſſe, quæ dedit caſus, & maiore curſu fugere quàm venire: nec his portionibus, quibus ad ſumma peruentum eſt, retroiri: ſed ſæpe inter fortunam maximam & vltimam nihil penitus intereſſe. Vnde contigit, vt didici fratre Minore referente: In porta frontis eccleſiæ cathedralis in Gallia, imago vſurarij ſculpta de lapide, deſuper quaſi cum ſacculo pecuniæ euiden-

euidentiùs præeminet. Vt autem quidam maximus ac ditiſſimus vſurarius ciuitatis eccleſiam quadam vice per portam debuit intrare, imago prædicta vſurarij deſuper cadens capiti intrare conantis illiſit,& repentè contritùs, turpiter exſpirauit.

De obitu miſerabili alterius vſurarij in Brabantia.

VIdi & ego ipſe in Brabantiæ partibus vſurarium nequam valde, qui multos nobiles 5.
& potentes exheredauerat, & pauperes ſpoliauerat ſupra modum: hic frequenter occurrens religioſis, rogabat quaſi cum lacrymis pro ſe orari, ſed in nullo penitus ſe correxit. Cumque ſuper hoc eum frequentiùs arguiſſem, nec tamen in aliquo profeciſſem, accidit, vt repentina infirmitate correptus, ad exitum propinquaret: & ecce ſubitò duo ingentes tenebrarum canes lectum iacentis circuitibus ambiebant. Ipſe verò protracta lingua ad longitudinem prope pedis, dehiſcens,horribiliter exſpirauit.

VOs igitur apes fidelium exhorreſcite quæ *Concluſio.*
audiſtis, & nolite auaritiæ ſordibus inquinari: ſed ſicut à Deo beneficium hilariter accepiſtis: ita hilariter non habentibus concedatis.



De laude & commendatione virtutis.

CAPITVLVM XXIIII.

In apibus quaſi habitualiter totius virtutis inſigne reperies,& quæ in alijs animalibus ſingulatim ſparſa videntur,in iſtis natura mater propenſiori beneficio congregauit.

1. *b. Mariæ nulla virtus defuit. Pro. 31.*



T his illa quidem, ſi dici fas eſt, felix Chriſti mater Maria ſignatur, cui veraciter & eleganter Sapiens dicit: Multæ filiæ congregauerunt diuitias:tu ſupergreſſa es vniuerſas. Hanc & tu fidelis anima pro captu tuo ſtudeas imitari. Si verè conaris,non fruſtraberis in longinquum.

Eximia virtutis commendatio, & de eadem præclara Senecæ dicta.

2. QVantæ autem, quales, & quæ virtutes ſint, omnis ſacra ſcriptura teſtatur: Sed & has per diuerſa capitula ſupradicta deſcripſimus. Ait autem philoſophorum maximus Auguſtinus:Initium virtutis eſt, immo maxima virtus,amare virtutem. Et Seneca in Prouerbijs. Scias eum multis virtutibus abundare, qui alienas amat. Virtutem veram intelligo,animoſam, excellam, quam

Apud Sen. in pro. Sen.ep. 72.

incitat

incitat quidquid infestat. Non dat natura virtu- *Ep.91.*
tem: ars est bonum fieri. Si potest virtus efficere *Ep. 93.*
ne aliquis miser sit: faciliùs efficiet vt beatissimus
sit. Minus enim interuallum à beato ad beatissi-
mum restat, quàm à misero ad beatum. Omnium *Ep.95.*
honestarum rerum semina animi gerunt, quæ ad-
monitione excitantur, non aliter quàm scintilla
flatu leui * adiuta ignem suum explicat. Erigitur *ms.p.s.tert.*
enim virtus cùm tacta est & impulsa. Virtus & *imp adusta*
aliorum scientia est, & sui. Discendum est de *ms.b.c.2.*
ipsa vt & ipsa discatur. Non contingit tranquilli- *imp.adul-*
tas, nisi immutabile quid certumque adipiscaris: *tu, rest. ex*
& hoc Deus est. Ex animo illum, non quia neces- *or.*
se est sequor. * Vnde hominis bonum ipsa virtus *Ep.97.*
est, quæ inter hanc fortunam & illam, id est, inter *Ep.77.*
aduersa & prospera, † superba incedit cum ma- *ms.p ve-*
gno vtriusque contemptu. Neminem æstimamus *rum.or.v-*
eo quod est, sed adijcimus illi, & ea, quibus ad- *num.*
ornatus est.* Atque cùm voles veram hominis æ- *superba.i.*
stimationem inire, & scire, qualis quantusque sit, *sublimis*
nudum inspice, ponat patrimonium, ponat ho- *& gloriosa.*
nores, & alia fortunæ mendacia, corpusque ipsum *or. Atqui.*
exuat, animum intuere, qualis, quantusque sit, a-
lieno, an suo magnus. Corpus multis eget, vt va- *Ep.81.*
leat: animus ex se crescit, seipsum alit, se exercet.
Quid tibi opus est vt sis bonus? Velle. Tunc scito *Ep.10.*
te omni virtute perfectum, cùm eò perueneris, vt
nihil Deum roges, nisi quod rogare palam possis.
Sic ergo cum hominibus viue, tanquam Deus vi-
deat: sic loquere cum Deo tanquam homines au-
diant. Nullo honestamento virtus eget: ipsa sui *Ep.67.*
magnum decus est. Virtuti retroire, non licet:
quidquid * intingit, in similitudinem sui addu- *or. attingit*
cit: Quidquid tractauit, id amabile, conspicuum,
mira-

mirabile facit. Omnis virtus in modo est, modus certa mensura. Virtutem materia non mutat, nec peiorem facit dura & difficilis: nec melior est hilaris & læta. Quemadmodum minora lumina claritas solis obscurat: sic dolores, molestias, iniurias, virtus magnitudine sua elidit & opprimit. Nec magis vllam portionem habent incommoda cùm in virtutem inciderint, quàm in mari nimbus. Vir-
Ep. 72. tus non potest maior & minor fieri, vnius staturæ est. Cato, qua die repulsus est, lusit, qua nocte occidendus, legit. Eodem loco habuit gratulari, & vita excedere. Magnus & virtuosus animus Deo pareat, & quocumque fortuna impulerit, sine cunctatione patiatur. Non mirum est in tranquillitate non concuti. Illud mirare, ibi extolli aliquem, vbi omnes deprimuntur: ibi stare, vbi omnes iacent. Sapienti nihil eorum displicet quæ ferenda sunt. Nam quidquid in hominem cade-
Ep. 74. re potest, in se cecidisse non queritur. Sapiens nihil se minoris vitæ conqueritur, quàm quòd virtutes eius spacio breuiore clauduntur. Perfe-
Ep. 31. cta virtus est, æqualitas & tenor vitæ per omnia
apud Sen. l. de 4. virt. c. 1. sibi consonans. Vbique idem eris, si prout rerum varietas exigit, ita te accommodes tempori: nec te in aliquibus mutes, sed potiùs aptes, sicut manus, quæ eadem est, & cùm in palmam extenditur, & cùm in pugillum constringitur.]

Documenta quædam moralia apud eumdem.

3. *Apud Sen. ibidem.* DE dubijs non definias, sed suspensam tene sententiam. Quæ possunt contingere, animo tuo cuncta propone. Nil tibi sit subitum: sed totum antè conspicies. Cogitationes vagas & inutiles,

utiles, & quasi somno similes non recipies. Cogitatio tua stabilis & certa sit: siue deliberet, siue quærat, siue contempletur, non recedat á vero. Non extollas quemquam: nec deijcias. Mobilis esto, non leuis: constans, non pertinax: paucis familiaris, omnibus æquus. Omnes tibi pares facies, si inferiores superbiendo non contemnas, superiores rectè viuendo non metuas. Cunctis esto benignus: nemini blandus. Seuerior esto * iudicio, quàm sermone: vita, quàm vultu. Rari sermonis sis ipse: sed & loquentium patiens, seuerus ac serenus: hilaris, non aspernans. Quæ nosti, sine arrogantia imparties, quæ nescis sine occultatione ignorantiæ tibi postules impartiri. Velis omnibus prodesse: nulli nocere. Mensura magnanimitatis est, nec timidum esse hominem, nec audacem.

Ibid.c. 5.

or. in indicio quàm in ser.

or. omittit (&)

Ibid. c. 4. c. 2. & 6.

Rursum de virtute amplectenda ex Seneca.

NVlli præclusa virtus est, omnibus patet, omnes admittit, omnes inuitat, ingenuos, libertinos, seruos, reges, & exules. Non eligit domum nec censum: sed nudo homine contenta est. Corpora obnoxia sunt & adscripta dominis: mens quidem sui iuris, quæ adeo * libera & vaga est, vt nec ab hoc quidem carcere, cui inclusa est, teneri queat quò minùs impetu suo vtatur, & ingentia agat; & in infinitum comes * exeat. Tutum iter est, iocundum iter est, ad quod natura te instituit. Dedit illa tibi, quę si non deserueris, par Deo consurges. Subsilire enim in cælum ex angulo licet, nec ad hoc efficacius vehiculum, quàm virtus est.]

Sen. l. 3. de ben. c. 18.

Ibid. c. 20.

addidi (libera) ex or.

or. addit cælestibus.

Ep. 31.

De quadam persona in Brabantia, magna perfectionis.

5. POstremò quidem exemplum virtutis omnimodæ posuissem, si non defectum virtutis in
Luc. 18. omni homine reperissem. Nemo enim bonus nisi solus Deus. Scio tamen personam in Brabantiæ partibus adhuc in carne viuentem, quam & conuersatione & vita annis triginta familiarissimè noui: de qua, qui cum illa annis sexaginta conuersati fuerunt, fidelissimè testati sunt, quòd numquam in factis eius, numquam in dictis aliquid aduerterunt, quod saltem veniale peccatum iudicari ab vllo homine potuisset. Mores, incessus, & verba, tam composita, tam sincera, tam angelica sunt, vt modus vitæ eius super homines credi possit. Vultus eius tantæ maiestatis & gratiæ, vt omnium in se contuentium vultus præ nimio stupore & admiratione conuertat.

Conclusio. SAtagant igitur apes fidelium secundum datam sibi gratiam, virtutibus habitualiter insigniri. Quod enim sine habitu multimodi exercitij ingenijs nostris adhæserit, sicut sunt artes diuersæ; vel cordis intimis, vt virtutes, facillima dissimulatione abolebit obliuio. Quod verò habitudinaliter infixum est, permanet inconcussum.



De ratione reddenda in commissis officijs.

CAPITVLVM XXIV.

Sunt & inter apes diuersa quædam officia: Aliæ struunt, aliæ poliunt, aliæ suggerunt, aliæ distribuunt ex eo quod allatum est.



HIc notare potes officia diuersa claustralium. Ad litteram struere dicuntur, qui monasticis institutis prouident in structuris, vt Præpositi. Polire verò dicuntur, qui ecclesiasticis operibus prę-sunt: vt matricularij, vel sacristæ. Suggerere verò dicimus illorum esse, quorum consilio regitur monasterium, vt sunt maiores, seniores, atque prudentes. Distribuere autem cellerariorum est, qui cibum alijs tribuunt in tempore oportuno. Horum officia in regula beati Augustini, & regula beati Benedicti singulariter distinguuntur: & ex eorum traditionibus etiam inter canonicos seculares eorumdem officiorum nomina * retinentur.

1. *Diuersa officia claus.*


Aug. in regul. c. 20. 23. 31. 38. & alibi. Ben. c. 2. 3. 31. &c.

ms. p. s. 2. imp. sortiuntur.

De ratione eorum reddenda.

HIs competit, quasi summo iudici Deo rationem de suis officijs reddituris, ita Domino deseruire, vt inter bonos, & fideles seruos 2.

Mat. 25. euge mereantur audire, & intrantes in Domini gaudium, super omnia bona illius constitui mereantur.



De diuersitate & certamine virtutum.

CAPITVLVM XXV.

Videres omnes certare de munere.

1. LVCIDISSIME verum est, munus esse apud fideles opus omne virtutis. Sicut autem non omnium est virtus: ita non omnis virtus est omnium. Nemo est bonus nisi solus Deus. (Luc. 18.) Et dicitur bonitas hæc essentialis, quæ soli competit Deo, non accidentalis. Sicut enim omnis creatura ex nihilo facta est: ita, teste beato Augustino, ad nihilum tendit, si sibimet relinquatur, & non diuina prouidentia in suo mobili esse teneatur. (Haberi potest ex Aug. l. 4. de gen. ad lit. c. 12.) Non ergo omnis virtus est omnium, quia solius Dei est.

Exhortatio ad certamen virtutis.

2. CErtes ergo fidelis anima de munere virtutis alicuius, etsi non de virtute omnimoda. Certes Deo tuo offerre aliquid, quod in conspectu eius † gratificetur oblatum. (.i. gratum sit, aut fiat.) Alij aurum in populo Dei: alij argentum: alij gemmas: alij purpuram: alij coccum bis tinctum: atque alij alia offerebant. (Exod. 35.)

rebant. Mecum bene agitur, si pilos caprarum, aut minutum cum vidua in gazophylacium Domini posuero. Primò Cornelium, postea Romam obtulit Petrus. Maria Magdalena pretiosum vnguentum. Paulus ferè totum mundum, Apostoli cæteri singulas regiones: vtpote Andreas Achaiam, Iacobus maior Hispaniam, Ioannes Asiam, Thomas Indiam, Iacobus minor Iudæam, Philippus Persidem, Bartholomæus Indiam citeriorem, Matthæus Æthiopiam, Simon & Thaddæus Mesopotamiam, Matthias Palestinam, Martyres generaliter sanguinem, Confessores linguam, Virgines sanctimoniam: Nec defuit Sanctorum aliquis, qui non de proprio certaret munere, ne in conspectu summi Dei vacuus appareret. Sed & nostrum quilibet certare de munere gestiat, ne lampade vacua, cum fatuis virginibus excludatur. Palmes quidē cum lignis & folijs grauidus,* quasi filo tenuissimo in stipite pēdet, vt vix possit auelli. Quantulacumque virtus sit, compage charitatis te tenebit in Christo, dummodo omnino non cadas. Virtute enim nemo malè vtitur. Nullum diem penitus prætermittas, nulla te sollicitudo, nullus labor excuset, quin boni aliquid opereris, & vide causam.

Mar. 12. Act. 10. Mat. 26. Rom. 15. Exod 23. & 34. Mat. 25. ms. p. 2. imp. addunt cultui. o. ms. s. clivi.

Mirum quid de gallina ex Plinio.

IN libro de natura rerum, cuius Plinius auctor est, dicitur, quòd gallina à serpente non potest infici ea die, qua ouum ediderit. Quid in ouo, in quo spes pulli est, nisi fructus boni operis, per quem est spes vitæ perpetuæ, designatur?

3. Plin. Nat. hist. l. 29. c. 4.

De quadruplici bono opere.

4. *Isa. 58.* QVale autem esse debeat opus illud, propheta Isaias ostendit dicens: Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagósque induc in domum tuam. Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Quatuor ponit hîc. Dare panem esurienti, hospitem suscipere, vestire nudum, non despicere proximum, sed fouere. De his quatuor, exempla ponemus, & primò, quòd subueniendum est pauperi.

De boue Wilhelmi abbatis Villariensis, qui mactatus à morte reuixit.

5. *Fuit 11. Abbas, & idem refertur in chro. Villarensi.* NOstro tempore, anno videlicet ab incarnatione Domini M. CC. XXII. quidam abbas Willelmus nomine, in monasterio Villariensi in Brabantiæ partibus fuit, qui in pauperes largus valde & pius tali occasione miraculi extitit, sicut fratri Waltero, quondam Priori fratrum Prædicatorum in Treueri, à quo & ipse accepi, idem abbas secretiùs enarrauit. Curia erat cœnobio Villariensi in Lossensi Comitatu Hasbaniæ, quæ Hex dicebatur, in qua bos conuersis fratribus fuit elegans forma, virtute, & pinguedine: de cuius carnibus quædam paupercula prægnans comedere irremediabili desiderio concupiuit. Flebat autem quotidie, & quasi cum vitæ periculo torquebatur. Dabantur illi bouinæ carnes pulcherrimæ: sed ad restringendam eius concupiscentiam non valebant. Veniente ergo abbate Willelmo ad curiam, & narrante fratre conuerso periculum

culum mulieris, respondit abbas, melius est occidi bouem, quàm hominem: sed secretè hoc facias, & comple mulieris desiderium. Induxit ergo frater conuersus bouem vespere secretiùs in conclaui, & occisum excoriatumque membratim diuisit, & reposuit: particulam vero, quam mulier in boue concupierat, eidem mox transmisit. Qua comesta, mulier ex toto conualuit. Mira res, horrendum spectaculum. Mane facto, cùm frater Conuersus famulos suos ad aratrum sequeretur, videt bouem occisum arantem in aratro, & vltra quàm credi potest, terribiliter stupefactus, recurrit ad domum, intrat thalamum, requirit carnes repositas, nihil de boue prorsus inuenit, nec carnes, nec pellem, nec saltem sanguinem, quem effuderat. Huius rei tres fratres Conuersi in domo, testes idonei pro veritate fuerunt, sed & ipse carnifex, vir fidelis & bonus, necnon & super omnes ipsa mulier, quæ in sola bouis occisi carne comesta conualuit, cùm in cæteris non potuisset: quia in eis quodam occulto, sed tamen naturali instinctu, cum violenta desiderij virtute decreuit †. Familiam autem curiæ res penitus latuit, quia eam diuulgari abbas districtè prohibuit.

Carnifex i. lanio.

Subaudi appetitus.

De vita eiusdem abbatis.

6. APud ipsum autem abbatem res adeo valuit, vt sicut ipse dicebat, qui antè naturaliter parcus fuit, largus super omnes abbates ordinis, & pius in pauperes extitit. Hic postmodum in Clareuallensi monasterio abbas electus & translatus, cum multis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & Prælatis ad generale concilium Romæ à do-

à domino Papa Gregorio nono vocatus, à Frederico Imperatore in Lombardiæ partibus captus est, & post triennium ab ipso Imperatore pro vitæ meritis specialiter est dimissus, & post pauca rebus humanis exemptus est. Hunc specialissimè lacrymis deditum vidimus, & vt illi dixerunt, qui eumdem secretiùs cognouerunt: in tantum diuinæ contemplationis assiduitati vacabat: vt ei Dominus multa in visione monstraret, de quibus nonnulla scripta vidimus & probata.

De farina à Deo missa matronæ, quæ liberalis erat in pauperes.

7. SEd hinc potiùs specialiter videamus de eo, quòd panis dandus est pauperi, & quòd in exemplum huius rei, anno ab incarnatione Domini M.C. XCV. multa per Gallias & Theutoniæ partes miracula contigerunt. Ex quibus vnū referam, quod cuidam matronæ in Brabantiæ partibus contigit, quam optimè noui. Erat in illo tempore, citra mõtes Alpium & Anglicum mare, fames perualida, ita vt communis populi multitudo maxima moreretur. Tunc illa, quam diximus, matrona genere clara & opibus, egenis cœpit sine pondere, mensura, & numero, liberaliter erogare. Quod cernens vir eius miles, arctauit eam, & ei farinæ mensuram certam per singulas hebdomadas dari fecit: Quam, vbi die quadam, totam expenderat, instante paupere & petente, præcepit ancillæ domina, vt diligenter scopata cista, in qua reposita fuerat farina, pauperi, si quid inueniret, afferret, & fecit ancilla, vt domina iusserat. Post hunc venit & alter, qui se nihil comedisse

disse infra biduum deplorabat. Quod vbi audiuit domina, fleuit; & iteratò iubet ancillæ scopare cistam, & pauperi aliquid impartiri. Iurat ancilla nihil penitus in cista remansisse, sed instante domina cum lacrymis vt attentet, currens impatientiùs & cistam aperiens, plenam florentissima simila mox inuenit. Ad cuius intuitum, ancilla clamans horrificè, cecidit in extasi resupina. Clamore audito, accurrit domina, accurrit dominus, accurrunt & famuli, & viso miraculo, in commune Dominum benedicunt. Mox vir ipse horreum lætus aperiens, omnibus ex illa die aduenientibus dedit. Nec defuit annona sitarcijs, donec, superueniente Augusto, propitiaretur Dominus populo, quem afflixerat. Dixit autem mihi dictus miles maritus dominæ, quòd nisi fuisset diuinum miraculum, nequaquam sibi tria vel quinque horreà suffecissent,

Eidem feminæ auicula suauißimè cantabat

SEd & ipsa venerabilis & nobilis femina mihi sicut confessori suo, sincero animo, & cum gaudio mentis dixit, quòd & nocte & die, septem horis, quę Canonicæ nuncupantur, auis miræ pulchritudinis & decoris, eam dulcissimis & ineffabilibus vocibus annis ante mortem plurimis solaretur. Elanguit enim multo tempore in lecto iacens. Cumque ab ea quæsiuissem, cuius auis voces imitari illa volucris videretur: nihil, ait, in terrenis est, quod illius posset vocibus comparari. Nec solis auribus delector in illis, verùm etiam ad cor interiùs transfunditur modulamen, & ex eo spiritus meus ad delicias æternales desiderantiùs excitatur.

Eadem liberatur à diutina tentatione per sanctum Martinum.

9. HVic eidem beatiſſimæ mulieri, vt mihi ipſa cum lacrymis reuelauit, tentatione quadam annis ſexdecim quaſi quotidie laboranti, in vigilia ſolennitatis ſuę beatus Martinus in eccleſia oranti apparuit, qui quaſi viueret, pontificaliter infulatus altaria ſingula cum thuribulo aureo circuiuit, indeque ad eam veniens, ipſam ab illa tentatione diutina liberauit. Quid mirum? Omne animal diligit ſimile ſibi: Martinus adhuc catechumenus Chriſtum in paupere veſte contexit: iſtam autem numquam lætam vidimus, numquam ridentem, niſi cùm manus liberas ad egenos extendere potuiſſet. Et verè, bene, & dignè, quia hominem, cui Deus cor beneficum tribuit, & in eleëmoſynis dandis hilariter delectari, nihil in terrenis credo dulciùs experiri. Si verò talium quis non ſufficeret dare quod voluit, vt frequenter & ſæpe viſum eſt, eidem * benignitas Domini, quod non habuit, miniſtrauit.

Eccli. 13.

ms. p. s. benignitatis Dominus.

De piſcibus ab auctore miraculosè captis in hoſpitum aduentu.

10. VNde mihi ipſi res mira ſatis contigit, quam etſi factam tegere voluiſſem, non potui: eò quòd multis innotuit. Menſe Auguſto, familia circa meſſem inſtantiùs occupata, facto manè prandio, ego & diaconus, qui mecum religiosè degebat, rete ſumpſimus, & vt tempus deduceremus, ad piſcinam latè diffuſam acceſſimus ad piſcandum,

ſcandum, remiſſo ergo diacono ad cuſtodiam domus, intraui ſolus nauiculam piſcaturus. Multo ergo niſu capere aliquid longa die fruſtra conatus ſum, & circa occaſum ſolis cùm exire tentarem, ecce prędictus diaconus cum tribus fratribus Minoribus hoſpitio ſuſceptis veniebat, quos vt vidi, gauiſus ſum, & omiſſa ſalutatione, præ gaudio dixi: Per totum diem laborans nihil prendidi: in *Luc. 5.* verbo autem veſtro laxabo rete. Et accepta corda, qua vnus cinctus erat, retis funiculo alligaui. Prima ergo vice iactato reti, in terram traxi octoginta piſces talis qualitatis, ſaporis, & eſus, quales numquam antè vel pòſt, in eadem piſcina, vel alia eiuſdem ſpeciei, vidi vel guſtaui. Læti ergo in facto mirabili, domum perreximus, cenauimus, reuerſa de agro familia, quotquot erant in domo, ſatiati ſunt: miſſiſque partibus his, qui ſibi non *Nehem. 8.* præparauerant, gratias Domino retulimus largitori.

De dolio vino miraculosè repleto.

NArrauerunt mihi fratres ordinis Prædicatorum in Traiecto, quòd Prior eorum frater Guinandus, quem ipſe cognoui, domum hoſpitum poſt prandium introiuit, & dixit cellerario: Vade & affer fratribus & mihi ſcyphū vini, ſi potes. Et ille, verè ait, tres dies ſunt, quòd eleuato dolio, vinum totaliter eſt extractum. Quid plura? Iubente Priore, redit ad dolium cellerarius, repletum inuenit, & vltra ſpem fratribus diu poſtea ad augmentum miraculi miniſtrauit. 11.

De laguncula vino repleta.

12. NEc ab re, vidi quemdam Iordanum, virum in rebus tenuem, ſed eleëmoſynis deditum ſuper vires. Anno autem ab incarnatione Domini M. CC. XXXI. ſuper Rhenum & Moſellam in Theutonia, vinorum cariſtia habebatur, & accidit vt duo fratres ordinis Prædicatorum ad dicti viri hoſpitium declinarent. Quibus hilariter introductis, filium cum laguncula pro vino miſit. Quo reuerſo, dixit eidem mater: Defectum cordis frequenter in mane patior: tu autem mihi nocte hac hauſtum vini reſerues de laguncula, quia nimis tardè ſolet pater tuus vinũ ante prandium demandare. His dictis, omnes conſederunt ad menſam, qui erant in domo. Ebibito autem ferè de laguncula vino, filius in aure patri matris verba ſuſurrat. Quæ ille, quaſi cum indignatione, diſſimulans laguncul am in magna iocunditate cum hoſpitibus exhauſit. Manè ergo illis recedentibus, & eos hoſpite deducente, cœpit mulier ſecundum conſuetum morem cordis defectum pati, & vocato filio, quæſiuit ſi quid eſſet in vaſculo. Et ille: Nihil inquit. Cui anxia mater: Verſa, ait, in manu mea, vt ſaltem in tribus guttis aut quatuor ſumpta buccella panis, cordis mei debilitas releuetur. Acceſſit puer, leuauit vaſculum, inuenit plenum. Quod vt vidit mulier, exclamans cecidit, & ferè præ pauore defecit. Currens autem filius poſt patrem & fratres, quid factum ſit recitat. Quibus in laudem Chriſti cum lacrymis reſolutis, orat hoſpes redire Fratres, benedictionem recipere, quam dedit omnipotens.

Negant

Negant illi, commendant illum Deo, & cum benedictione remittunt ad propria gratulantem. Post multos verò annos, cùm hoc à fratribus Treuerensibus audiuissem, & per descensum Mosellæ fluminis domui dicti viri nauigio proximassem, exiens nauem, pedes iui videre virum, vxorem illius, & filium; & redij ædificatus non modicum in modo & verbis eius. Erat enim totus extra modum vitæ verborum & gestuum habitatorum illius terrę, qui in vinetis montium & desertis, agrestes moribus conuersantur.

De leproso, & rosis inuentis in hyeme.

AD secundum quoque articulum, quòd egeni sunt hospitijs inducendi, venerabili Adæ de Belomeir tale miraculum contigit. Recedente viro suo nobilissimo milite, & quasi diebus plurimis non redituro, petens leprosus hospitium, receptus est. Illo ergo gemente, & causante debilitatem corporis fatigati: petit in lectum suauissimum se deponi. Domina autem nullum credens lecto domini sui molliorem, in eo leprosum hominem mox deponit. Nec mora, ex insperato dominus rediens, petit in thalamum intromitti. Dissimulante ergo domina, coniecit ille aliquem esse in thalamo, & irruptione facta, hyemali tempore, lectum suum rosis fragrantissimis coopertum inuenit. Admiratus igitur, quærit quid factum sit, indicat vxor. Nec mora, in laudem Christi ambo cum lacrymis resoluuntur. 13

De

De Theobaldo Comite, & paupere, qui disparuit.

14. AD tertium articulum, quòd vestiendus est nudus, illustris Domina Aleidis Carnotensium ac Blesensium Comitissa, mihi de auo suo retulit, dicens: Nobilissimus ac potentissimus in Baronibus Galliæ, Comes Carnotensium ac Blesensium pariter, Theobaldus, liberalissimus omnium suo tempore extitit in donando. Iste hyeme media, quæ tunc solito magis inhorruit, per viam cum multitudine * transiens, obuium habuit pauperem nudum. Quo clamante, respondit Comes, quid petis? Cui pauper: Da, inquit, cappam quam habes indutam. Nec mora, Comes extractam cappam pauperi dedit, dicens: Si quid vis amplius, petas: & pauper: Da mihi supertunicale, quod habes, quo statim habito, petiuit tunicam, quam vt Comes dedit remansit in lineis. Cui pauper: Vides, inquit, ô Comes, quòd caput rasum habeam, & nudum, da igitur & pileum. Tunc Comes paululùm erubescens, caluus enim erat: Nunc, inquit, charissime nimis insistis, quia hoc ipse carere non possum. Quo dicto, relictis vestibus, pauper euanuit. Comes verò de equo cadens, planctum lamentabilem fecit, & omni tempore postea tale quid cauens, omni petenti se tribuit.

ms. s. p. 2. imp. transeunte.

Luc. 6.

De Leproso defuncto, prædicto Comiti apparente.

15. IN quarto autem articulo, quòd proximum non oportet despicere, sed fouere: Christus eumdem, de quo diximus, Comitem consolatus est hoc modo. Leprosus quidam quasi in meditullio

tullio viæ inter Carnotum & Blesum, membris deformatus & fœdus valde, manebat, quem Comes Theobaldus pro sanctitate vitæ plurimùm diligebat, & semper, per eamdem viam transiens, visitabat. Contigit autem Comitem aliàs moram facere ferè per annum, & medio tempore leprosum mori. Reuersus tandem Comes, per locum transijt, relictisque omnibus, leprosi solus casam intrauit, & hominem, quem tabefactum lepra reliquerat, cute nitentem, & integerrimum membris inuenit. Comite igitur stupefacto, & diu secum hæsitanti quisnam esset: Ego sum, inquit, leprosus ille, amicus tuus, & nunc per misericordiam Dei sanus effectus sum, superestque mihi corona iustitiæ. Tibi verò vicem rependet dilectionis in illum diem iustus iudex, quam mihi & alijs pauperibus exhibere dignantissimè voluisti. Hoc dicto, Comes cum magno gaudio & lacrymis, sicut ante semper in ipso & in alijs leprosis consueuerat, osculabatur manus eius, & valedicens ei, suos prosequebatur. Venienti autem Comiti quidam ex militibus arridendo dixit: Credebatis more solito, leprosum amicum vestrum, quasi adhuc viueret visitare, sed frustra: quia iam diu carnis viam ingressus est vniuersæ. Tunc Comes primùm sciens leprosum esse defunctum, cautè dissimulauit, & verè recolens quid vidisset, respondit: Animæ eius misereatur omnipotens & clemens Deus.

Idem, sed imperfectiùs refert Cæsarius l. 8. dial. c. 31.

2. Tim. 4.

Quid philosophi de beneficijs & misericordia in pauperes.

QVid autem philosophi de misericordia in pauperes sentiant, videamus; Homo, qui in homi-

16. Pub. Mim. & apud Sen. in pro.

hominem misericors est, meminit sui. Et quidem auarus sibi pessimus est, & in nullo bonus. Inopi qui beneficium dat, bis dat, si dat celeriter. Qui succurrere potest morituro, & non succurrit, occidit. Quid est dare beneficium? Imitari Deum. Succurre pauperi; immo potiùs occurre.] Eo animo quo acceperis, dare debes. Si verò non eguisti accipere, eo lętiùs dare debes, quo minùs eges.

Sen. ep. 81. Errat ergo si quis beneficium libentiùs accipit; quàm reddit. Sæpe quod datur exiguum est;

or. addit (ex eo.) quod autem sequitur * magnum est. Nihil carius æstimamus, quàm beneficium quamdiu petimus, nihil vilius, quàm cùm accepimus. Quæris quid sit, quod obliuionem nobis acceptorum faciat? Cupiditas accipiendorum.

l. 2. de ben. c. 1. Sic demus, quomodo vellemus accipere, ante omnia libenter, citò, sine

or. dubitatione. vlla * dilatione. Ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis hæsit. Gratissima sunt beneficia parata, faciliá, occurrentia, vbi nulla mora

Addidi (nisi) ex or. fuit * nisi in accipientis verecundia. Qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum. Non tulit gratis, qui cùm rogasset accepit. Nulla res carius constat, quàm quę precibus empta est.

Ibid. c. 3. Optima res est adijcere verba bona rebus bonis, & prædicatione humana commendare quæ præ-

l. 1. de ben. c. 7. stas. Nonnumquam magis obligat, qui dedit parua; quàm qui magnifica. Regum opes æquauit animo, qui exiguum tribuit, sed libenter, qui paupertatis suæ oblitus dum meam respicit. Nihil æquè vitandum in beneficio, quàm iactantia.

l. 2. c. 11. Res loquentur, nobis tacentibus. Non est bene-

l. 6. c. 9. ficium, nisi quod à bona voluntate procedit. Non


l. 4 c. 10. & 11. est beneficium, nisi quod ratione datur: quia ratio omnis honesti comes est. Videbo ergo, quando, cui

do, cui dem, quemadmodum, quare. Des igitur tempore necessitatis, pauperi, largè, propter Deũ. Primò demus necessaria, deinde vtilia, postmodum iucunda. Et in his, quæ sunt necessaria, quædam primum obtinent locum, sine quibus non possumus viuere: quædam secundum obtinent locum, sinè quibus non debemus viuere: quædam verò tertium, sine quibus nolumus viuere. Sunt quædam nocitura impetrantibus: quæ non dare, sed negare, beneficium est. Æstimabimus ergo vtilitatem potiùs, quàm voluntatem poscentium. Sæpe enim noxia concupiscimus, nec * respicere quàm perniciosa sunt licet, quia iudicium interpellat affectus. Vnde ea demus, quæ non tantùm accipere, sed etiam accepisse delectet. Exorari in perniciem rogantium, sæua bonitas est. Turpissimum dandi genus est, inconsulta donatio. Viro bono dabo. Erit enim in summa inopia gratus; & cùm omnia illi deerunt, non deerit animus. Eligam virum integrum, simplicem, memorem, gratum, alieni abstinentem, sui non auarum, non tenacem, beniuolum. Animus cæcus, quidquid commiseris illi, id onus suum, & perniciem, & occasionem miseriæ facit. Nihil enim potest ad malos peruenire, quod prosit; immo nihil quod non noceat.

l.1.c.11. *l.2.c.14.* *or. dispicere.* *l.4.c.10.* *Ibid.c. 11.* *l.5.c.12.*

TV ergo lector, secundum ista, quæ legis, exercere virtutem, & omni tempore certare de munere videaris, quo Deum places & proximum, & copiosiùs meritis augeris.

Conclusio.



De vigili cura officiatorum.

CAPITVLVM XXVI.

Videres alias inuigilare quærendo victualia, alias de custodia esse sollicitas, & diligentem custodiam adhibere.

1. CERTARE de munere dici possunt, qui secundum literalem sensum, in aliquo commune negocium studuerunt quotidie promouere. Inuigilare autem quærendis victualibus, est rerum venalium mercationes exercere, & commutatione non necessariarum rerum, quotidiana sollicitudine, necessaria prouidere. Et hi, qui talia exercent, mercatores in Cisterciensi ordine nuncupantur. His quasi in Ægypto inter mundi tenebras proficiscentibus,
Mat. 2. valde necessarium est, vt cum Ioseph Iesum puerum secum tollant. His vigilantissimè cauendum est, ne aliqua per talem modum exerceant, per quæ sanctus ordo, inter illos, qui religiosorum actus fraudulenter obseruant, scandalum infamiæ
Mat. 18. patiatur. Væ enim illi, per quem scandalum venit.

De molendino palearum miraculosè Vaucellis subuerso.

2. HInc accidit, quòd in Vaucellensi monasterio quoddam nostro tempore molendinum

num factum est, quod stramina & palcas, quasi in farinam, contritione perualida conuertebat. Tali autem farina porci admixtis furfuribus impinguabantur. Venundatis itaque eis in proximam Cameracensem ciuitatem, cùm pulmosa & non solida caro inueniretur in illis, & ex hoc graue scãdalum oriretur, quidam ipsius monasterij sanctissimus frater, Lambertus nomine, cognomento Pater noster, audito quod actum est, manus & oculos eleuauit ad cælum, & dixit: Numquam ampliùs Domine Deus huius molendini rota vertatur. Nec mora, dicto citiùs, machina totaliter corruit, & simpliciores fratres & monachos sui miraculo à scandalo liberauit.

Admonitio ad follicitudinem.

PRoinde de castris sollicitos dicimus esse debere, & eis custodiam adhibere prælatos, vt Priores & Suppriores in claustris, vel illos, qui dicuntur officio curatores. Istis maximè vigilanter incumbit ne sessiones inordinatæ, & intra, vel extra, suspecta colloquia teneantur, per quę pax domestica, vel regularis disciplina negligentiùs* subruatur. Istis etiam inter cetera præstanter incumbit, ne fratres minus timorati, aliqua per vsuras, vel iniustè acquisita, vbi certæ personæ inueniri possunt, quibus debent restitui, monasterijs attrahant, & ex his diuinæ vindictæ periculum non solùm conscijs, sed etiam generaliter, sicut ex peccato Achor populo Israël, cunctis incumbat. *Iosu. 7.*

3. *ms. b. c. tert. imp. obseruetur.*

De diabolo sedente super pecuniam vsurarij.

4. HInc accidit nostro tempore, vt certissima relatione didicimus, in prædicto Vaucellensi monasterio, vt congesta cuiusdam defuncti fœneratoris de Attrebato pecunia in ipso cœnobio seruaretur. Igitur die quadam, cùm ille famosissimę sanctitatis monachus Walterus scilicet de Beaumont, iuxta scriniũ, in quo pecunia seruabatur, oraret, diabolũ desuper sedere vidit. Territus autẽ ad horam, sed signo crucis munitus interrogat. Quid hîc sedes? Quid hîc expectas nequissime humani generis inimice? Cui ille: Bene, inquit, & iustè hîc sedeo, hoc, quod meum est conseruando. Nec mora, monachus ad abbatem currens, quid vidisset exponit: Abbas verò in Attrebatum pecuniam cum omni velocitate remisit.

Exemplum abbatis Villariensis, de restituenda pecunia vsuris parta.

5. SEd & hinc quid nostro ferè tempore sub quodam religiosissimo abbate in Villariensi monasterio, in Brabantia contigerit, audiamus. Maxima summa pecuniæ librarum fortè mille sexcentarum, mortuo quodam vsurario in Namurco, in dictum monasterium est delata. Ex qua, cùm multæ possessiones emptæ essent, quidam vir arctæ conscientiæ monasterij abbas est electus. Quod vbi comperit factum, condoluit: & venditis ouibus atque pecudibus, rebusque mobilibus, pecuniam in Namurcum remisit, vt spoliatis singulis redderetur. Nemine autem assumere vo-

re volente restitutionis negotia, pecunia iterum ad monasterium est delata. Pius ergo abbas reportantibus indignatus, iussit eam iteratò referri, & in foro coram ciuibus, & omni plebe deponi, dicens: Pecuniam, qui velit, accipiat, nostram esse renuo, quam iniustè acquisitam non dubito. Quod vbi viderunt ciues, ædificati non modicum in hoc facto, communi consilio, per manus fidelium virorum, pecuniam ipsam iniuriatis singulis reddiderunt: Monasterio autem Deus non multò pòst in decuplo plura restituit, & quod antè tenuissimum, & ferè mendicum fuisse probatur, modò elegans, & multis copijs opulentum videmus, & ampliatum.

De sanctis fratribus monasterij Villariensis, & nominatim de Waltero de Traiecto.

IN hoc monasterio multos vidimus sanctos, & plerosque, qui prophetiæ spiritu, & miraculis claruerunt. Inter quos Walterum quemdam vidimus, dictum de Traiecto, qui cùm esset vir nobilis genere, diues & delicatus in seculo, optimè litteris, & maximè quadruuialibus institutus, numquam tamen adeo vilem in oculis suis & verè humilem vidi. De eo quidem Robertus abbas Vaucellensis, me coram posito, referebat, quòd ab ore illius audisset frequenter, eum per dimidiam vel totam diem, dum meditaretur, aut oraret, in tanta mentis sinceritate & tranquillitate fuisse: vt nec vna saltem tenuissima cogitatione eius animus altrinsecus pulsaretur. Et hoc super hominem fuisse non ambigo. 6. *De SS. huius monast. Ioan. Mol. in Natt. SS. Belg. 30. Iunii.*

Caueat Prælatus ne religiosi mentiantur.

7. Est & aliud malum, quod cauere debent prælati in his, qui negociantur exteriùs. Quidam enim, vt veraciter expertus sum, causa promotionis domus suæ mentiri hominibus non verentur, patrocinium mendacij ab Abraham, Sara, Isaac, & Iacob, & consimilibus de scriptis veterum proferentes: quasi hoc istis modò sub nouo testamento facere liceat, quod olim fieri sub veteri testamento licebat: non attendentes quod in Euangelio Dominus dixit: Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Verùm etiam, etsi secularibus, quod absit, vlla occasione liceret, religiosis tamen & claustralibus numquam, qui perfectionem vitæ & sanctimoniam sunt professi.

Gen. 12. & 20. Ibid. 26. & 27. Nullo vmquam tempore licitum fuit mentiri, vide annot. Matt. 5.

Dictum cuiusdam viri simplicis de religiosis mentientibus.

8 Memor sum verbi, quod à laico viro simplicissimo in Cameraco percepi. Religiosi quidam promissum ei non seruauerant veritate firmatum. Non videns autem quomodo illos aliter excusaret, dixit: Isti mihi mendaciter quotidie quod promittunt infringunt, sed credo quòd per abbatis sui licentiam mentiantur. Quod vsque hodie illuc, quando aliquis religiosus minùs verè loquitur, quasi pro prouerbio retinetur. Dicitur enim: Salua res est: per abbatem suum licentiosè mentitur.

De

De veritate & mendacio ex Seneca.


DE vitio falſitatis Philoſophus dicit: Nihil ſi- 9.
mulatio proficit, tenue eſt mendacium, per- *Sen. ep. 80.*
lucet ſi diligenter inſpexeris: veritas autem in o-
mni parte ſui eadem eſt. Numquam in faſtidium *Ep. 79.*
veniet veritas: falſa ſatiabuntur.] Simulatoriè lo-
qui & facere, eiuſdem eſt vitij: quia, quæ facere
turpe eſt, loqui inhoneſtum puta.[Id agas vt o- *Ep. 34.*
mnia facta, dictaque tua inter ſe congruant, ac ſi-
bi reſpondeant, & vna forma percuſſa ſint. Non
eſt huius animus in recto cuius actus diſcordant
à verbo. A verbis turpibus & mendacibus abſ- *Apud Sen. l. de 4. virt. c. 3.*
tineto: quia licentia eorum impudentiam nutrit.]
Quantumcumque magnus & potens ſis, in con-
temptum, ſi mendax fueris, venies: honorabitur
autem inops, veritatis amicus. Viri boni eſt, etiam
non pollicitam fidem ſeruare. Monſtrabo tibi, cu- *Sen. l. 6. de ben. c. 30.*
ius rei inopia laborent magna faſtigia, quid o-
mnia poſſidentibus deſit: ille ſcilicet, qui verum
dicat, dum nemo ex animi ſui ſententia dicit, ſua-
detque: ſed adulandi certamen eſt, * vnum ami- *or. add. (&)*
corum omnium officium, vna cura, quis eorum
blandiſſimè fallat. Dic illis non quod audire vo- *Ibid. c. 33.*
lunt, ſed quod audiſſe ſemper vellent. Plenas au-
res adulationibus aliquando vera vox intret.]

De legendis Auguſtini libris de mendacio, & contra mendacium.

QVàm ſtrictè autem mendacium in libro de 10.
mendacio, & contra mendacium ad Con- *Aug. l. de mend. & contra, per totum.*
ſentium ab Auguſtino ſumatur, legat clauſtralis &
videat,

videat,& excommunicatum librum illum, quem in parrocinium mendacij quemdam * maledicum fecisse cognouimus, respuat nec attendat.

ms.s. p.2. imp. maledictum.



De subditis suspectis diligentior sit Prælatorum custodia.

CAPITVLVM XXVII.

Videres de castris alias esse sollicitas, & diligentem custodiam adhibere.

1. 
Os vtique Prælatos dicimus,& Priores. Istis maximè vigilanter incumbit, vt si qui conuersatione suspecti sunt,& Prælatos calliditate deludunt, arctentur in claustro, vel ab * illis diligentiùs obseruentur. Quod si nec sic deprehendi possunt de facili, zelus in oratione magis spirituales accendat, vt diuino adiutorio fiat, quod humano non potest.

ms.s.b.c. tria imp. aliis.

De duobus fratribus incontinentibus.

2. VIdi fratrem in ordine regulari, qui Prælatis suspectus de incontinentia, multa tamen sollicitudine callidissimè latitabat, ita quòd in nullo penitus poterat deprehendi. Cuidam autem de collegio visio talis apparuit. Vidit ipsum qui suspectus erat, & alium, qui bonæ conscientiæ credebatur, in claustro stantes, quibus subitò

bitò conuersis in arbores, vt in somnis plerumque fieri consueuit, & in terram prostratis, ipsarum arborum caudæ membro pudoris femineo ligabantur. Quod vt ille vidit, abbati retulit. Qui cum mœrore respondit, ambos illos finem vitæ in luxuria sortituros. Quod non multò pòst vidimus. Nam vterque factus infamis, de monasterio est proiectus: primus tamen primò, alius multò pòst. Veridica enim Domini sententia in talibus, frequenter experta est: Nihil opertum, quod non reueletur, neque absconditum, quod non sciatur. *Luc. 12.*



De iugo Domini ab adolescentia portando.

CAPITVLVM XXVIII.

Quibus est earum adolescentia, ad opera exeunt: seniores intus operantur.

DE operibus adolescentum vel manualibus, vel spiritualibus, satis diffusè dixisse superiùs æstimamus. Nūc autem exemplo euidentissimo doceamus, quòd à seruitio Christi nulla prorsus ętas excipitur: cùm perfectissimus ille in regibus rex Iosias octennis cœperit timere Deum, & mandatis eius obsequi: & cum beatissimo Iob ab infantia creuerit miseratio, & ab vtero matris egressa sit secum. *1. c. 1. 2. 8. 9. & 10. huius lib.* *4. Reg. 22.* *Iob 31.*

De

De puero Achas Thoraltensi habitum fratrum Minorum gerente, & consuetudines illius ordinis obseruante.

2. *De hoc eodẽ puero Thoraltano Meyerus in Annal. Fland. an. 1220. & ex vtroque Molan. in natal. SS. Belgij die 11. Iunij.*

NEc admiratione dissimili, sub nostro nuper tempore, in Thorouth opido Flandriæ, puer Achas annorum quinque, honestis valde parentibus oriundus fuit: qui primùm visis Minoribus fratribus, à parentibus suis lacrymis multis obtinuit, vt ipsorum habitu vestiretur. Sed cùm hoc illi primùm, quasi puerile iudicarent, crederentque secundum quod in alijs pueris videri solet, obliuione temporis in illo similiter aboleri, animaduertunt parentes, & vicini eorum omnes, quòd seriosè puer cœpit consuetudines ordinis modis mirificis obseruare, incedere nudipes, nodata & dura corda præcingi.

Vitat pecuniæ contactum.

3. ARgentum & aurum summopere vitabat attingere: & in hoc articulo casus accidit mirus valde. Negociatores quidam ad hospitium patris eius hospitandi gratia declinarant, qui viso in tali puero habitu, mirati sunt. Et cùm intellexissent puerum omnem vitare pecuniam, nummum in fundo vasis, quo bibebant, latenter immittunt, & cum modico vini puero poculum porrexerunt. Qui vbi exhausto vino nummum vidit: exclamans horrificè, vas proiecit; tentisque in cælum oculis & manibus, cum lacrymis dixit: Tu nosti Deus omnipotens, quòd insciùs ordinem meum violaui. Hinc tremebundus expalluit, & qua-

& quaſi ad mortem tendens, nigredo eius faciem occupauit. Quod videns eius pater, expauit, & currens properè ſacerdotem adduxit, qui puero abſoluto manum imponens, cum à dolore & pœnitudine mitigauit.

De ipſius prædicationibus.

IN platea puer ſedens pueros vicinorum diebus ſolemnibus conuocabat: & eos, ſi diſtorti eſſent in moribus, ſi ſuperbi, ſi ornati veſtibus, arguebat; pœnas inferni pro eorum exceſsibus proponebat, bonis verò pueris cælorum gloriam promittebat. Interdum eos docebat orationem Dominicam, Pater noſter ſcilicet: & quàm bonum eſſet matri Chriſti, in ſalutatione Angelica, & genu flexionibus deſeruire. Ad has pueri conuocationes & exhortationes ſenes etiam ipſi cum iunioribus concurrebant, & miro modo delectabantur in prudentia & reſponſis eius. 4. Luc. 2.

Quomodo parentes corripiebat.

PAtrem proprium iurantem, vel leuem in geſtibus, aut ebrioſum ſi quando videret, ei compatiendo, & quaſi cum lacrymis arguebat, dicens: Pater chariſsime, numquid presbyter noſter in eccleſia dicit, quia qui talia agunt regnum Dei non poſsidebunt? Matrem quoque ſuam, cùm in ſolemnitate quadam, optimis ſcarleticis & rubicundis veſtibus vteretur, cum graui mœrore corripuit in Eccleſia coram conſedentibus, dicens, digitoque demonſtrans imaginem crucifixi: Intuere mater, intuere, & videas Dominum noſtrum 5. Gal. 5.

ſtrum Ieſum Chriſtum nudum in cruce pendentem, ſanguine rubricatum, & tu te in contumeliam eius veſtibus ſcarleticis adornaſti? Caue mater, caue chariſsima, ne pro rubore veſtium pœnas ignis ęternalis incurras. Nec mora, mater verbum filij non modicum exhorreſcens, veſtes depoſuit, & eis, vel talibus vti vlteriùs penitus abnegauit.

De moribus & ſanctitate eius.

6. SEd quid moror? Impoſsibile quidem eſſet verbis vmquam attingere, quanta morum eius dignitas: quanta in oratione ſedulitas: quanta oculorum grauitas: quanta incedentis humilitas: quanta in loquente congruitas. Et hoc quidem mirabilius omnibus excedebat, quòd ætas tantùm & membra exilis corporis, puerùm oſtendebant, mores verò & geſtus eius * perfectiſsimæ virtutis virum in omnibus prædicabant.

ms p. 2. imp. perfectiſsimum.

De eius obitu ante impletum ſeptennium.

7. *Sap. 4.* HIc nondum ætatem ſeptemnem impleuerat: & conſummatus in breui expleuit tempora
Ibid. multa: placita enim erat Deo anima illius. Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ipſius, aut fictio deciperet animam eius. Appropinquans ergo morti, confeſſus ſacerdoti, ſacramentum corporis Chriſti poſtuláuit. Sed cùm hoc propter generalis Concilij vetitum, ne in ętate tali puero conferretur, ſacerdos facere non auderet: puer cum mira oris gratia extenſis in cælum manibus, dixit: Tu noſti Domine Ieſu Chriſte, quòd meum ſummum deſiderium eſt, te habere, petiui te, feciqúe

cique quod debui, & spero confidentiùs, quòd tui præsentia non frustrabor. His dictis, parentes circumsedentes & flentes consolatus est, & ad meliora prouocans, inter verba exhortationis, orationis, & laudis spiritum Deo reddidit impollutum. *obijt Meyero teste, an. 1220.*

Post mortem tunica eius disparuit.

NEc mora, sine vllo interstitio habitus ordinis fratum Minorum, tunica scilicet cum assuto capucio, quæ super eum extenta iacebat, repentè disparuit, & numquam postea visa fuit. 8.

Ad sepulchrum eius nemo absoluere potuit psalmum De profundis.

IGitur post mortem eius, cùm ad sepulchrum illius stantes quidam de fratribus, psalmum De profundis dicere voluissent, nullo conatu, nulla reiteratione, hunc finire, vel dicere potuerunt: videlicet vt per hoc daretur intelligi, nullis sanctam illam animam orationum suffragijs indigere. Credo quòd & idem mihi ad sepulchrum illius contigerit rogitanti. 9. *Psa. 129.*

Qualiter parentes exemplo eius profecerint.

PArentes verò pueri, post mortem eius, in tantum exemplo filij profecerunt, vt omnia sæculi deserentes oblectamenta, pater ordinem Prædicatorum; mater autem Cistercienscm ordinem, ijsdem simul temporibus intrauerint. 10.

De

De Alberto filio Comitis Flankenbergensis ordinem Prædicatorum ingresso.

11\. SImili deuotione, etsi ætate non simili, quia adultus magis, puer nobilissimus annorum tredecim, in Theutoniæ partibus fuit. Hic filius Comitis de Flankenberch à matre missus est ad regem Franciæ cognatum suum, cum eius filijs educandus. At quoniam mos est in alienis maximè terris, compatriotas sibi inuicem congaudere, accidit vt dictus puer, Albertus nomine, beatissimæ memoriæ fratrem Iordanum, Magistrum ordinis Prædicatorum, natione Theutonicum, eo tempore Parisijs commorantem, & alios fratres Theutonicos visitaret. Cumque id sæpius & diutius faceret, ex collocutione sancti viri, puero cœperunt terrena vilescere, & placere cælestia, concepitque intrare ordinem, & apud magistrum Iordanum occultè pro ordine petere. Erat autem puer parumper imbutus literis, sed magister inconstantem ducens affectum pueri, eum ad regimen Comitatus sui, cuius solus puer legitimus heres erat, vt mansuetudine subditos gubernaret, potiùs hortabatur. Factus ergo puer annorum sexdecim, per solemnes nuncios à matre mandatus est, quasi ducturus vxorem nobilissimam, & Comitatus gubernacula suscepturus. Pater enim eius iam longa ætate senuerat. Dicit ergo puer militibus, & seruis suis: Eamus videre compatriotas nostros fratres ordinis Prędicatorum Parisijs, antequam recedamus. Veniens ergo cum suis omnibus ad domum Fratrum, in conclaui seorsum magistrum vocauit & fratres, quorum pedibus

bus prouolutus, dixit: Contestor Deum coram vobis, quòd hodie paratus sum mundum deserere,& vobiscum in ordine Christo Domino deseruire. Quòd si volentem respuitis, videat & iudicet ipse Deus, & non inultum ire à vobis meum sanguinem patiatur. Hæc vt dixit puer, magister fleuit & fratres, & attoniti in verbis eius, arctati sunt spiritu, & soli Domino negocium commiserunt. Conuocato itaque Conuentu, causam & verba pueri diligenter exposuerunt, & receptum statim habitu ordinis induerunt. Quod vbi suis innotuit, planxerunt valde, & reuersi ad patriam rumores tristissimos parentibus detulerunt. Cuius pater senex assumpta copiosa familia, venit Parisios, & cùm filium violenter extrahere conaretur, à Nouitijs fratribus membratim ferè laceratus, ad patriam infecto negocio est reuersus.

Quomodo auunculum suum Archidiaconum Theutoniæ ad ordinem traxerit.

Erat autem ea tempestate Parisijs Archidiaconus quidam Theutoniæ, speciosus forma præ omnibus clericis ciuitatis. Theodoricus nomine, nec ab re Pulcher Theutonicus cognomēto. Hic quidem ex matre dicti adolescentis auunculus erat, & † turbatus grauiter consobrino, illum diu videre distulit. Tandem autem cùm repatriare deberet, mandauit ei per clericum suum, quòd ad videndum eum sequenti die veniret. Quòd vt audiuit puer, frater Albertus, cucurrit ad magistrum, cucurrit etiam ad fratres magis spirituales, supplicat omnibus, vt pro auunculi salute, quem sinceriùs diligebat, Dominum exorarent.

12.

† i. commotus, iratus.

rent. Quo facto venit Archidiaconus auunculus eius: & in capella ad colloquium consederunt, & mox obortis lacrymis dixit puero: Quomodo hoc charissime facere potuisti, vt matrem tuam sororem meam, quæ te solum in filiis superstitem habuit, & me auunculum tuum, qui te præ omnibus diligo, desereres? Et nunc vt audio, mater tua præ tristitia moritur: sed & ego post ingressum tuum ferè moriturus elangui: nec vmquam vllo releuabor solatio, nisi te videam infra annum probationis, licitè ad seculum redeuntem. Cui puer cum mira oris gratia respondens, quærit: Ecce trium imaginum figuræ pictæ in fenestra vitrea coram nobis, quinam sunt illi carissime, quorum memoriam repræsentant? Nonne Christi & matris suæ, & Ioannis eius consobrini inter ceteros prædilecti. Ex his verè conijcias, quòd etsi Christus matrē multum dilexerat, & in tātum ex passione sua eam cerneret cruciari, vt animā eius doloris gladius pertransiret: consobrinum verò dilectum Euangelistam Ioannem, grauatum vltrà quàm credi potest, doloris anxietate videret: tamen cùm potens esset de cruce descendere, noluit, propter illos: sed in cruce perstitit moriturus. A simili me scias carissime religionis huius sanctæ crucem cum Christo, & pro ipso Christo Domino conscendisse, & licet matrem mori videam præ dolore, & te carissime periclitari: in cruce tamen vsque ad mortem immobilis permanebo. Et hanc quidem, si credis mihi, ascendes & tu: ne te mundi huius, vt cœpit, damnabilis labyrinthus inuoluat. Quid plura? Resolutus Archidiaconus in maximas lacrymas, corde compungitur, conscientiæ stimulis * agitatur, & non valebat

Ioan. 19.
Luc. 2.


ms. p. s. & primum imp. angitur, secund. agitur.

valebat resistere spiritui, qui in puero loquebatur. Super hoc igitur institit orationibus iuuenis, & tandem in paucis diebus Archidiaconum flexit ad ordinem, mirante clero & populo ciuitatis, quòd tam subitò leoninum animum ad tantam humilitatem verba pueri domuissent. *Act. 6.*

Quomodo prædictus frater Albertus in ordine profecerit, & Episcopatum recusauerit.

CReuit autem puer frater Albertus in virum perfectum & bonum: & vsque hodie prædicator nobilissimus declaratur. Hunc dominus Papa Episcopum maximæ ciuitati præficere voluit: sed vir sanctus restitit, memorabili verbo dicens: Securiùs & lætiùs ordinis frater moriar, quàm vllo vmquam Episcopio sublimatus. 13.

BOnum est ergo homini, cùm portauerit iugum Domini ab adolescentia sua, & ceruicem subdiderit leui sarcinæ Iesu Christi. *Conclusio. Thren. 3. Mat. 11.*



De virtute castitatis.

CAPITVLVM XXIX.

Integritas est cunctis apibus corporis virginalis.



NEQVE enim vllo inter se concubitu miscentur, nec in libidinem resoluuntur, & tamen maximum filiorum examen emittunt. Et in hoc maximum † mirum secundum litterā videri potest, & 1.
i. miraculū.

vnum ex abditissimis naturæ secretis. Si hoc erigo in minimis animalibus reperitur, quid calumniaris Iudææ, vnā apud Christianos virginem perisse? & hanc non quemlibet hominem, sed Christum, quem Messiam venisse credimus, & vos dicitis esse venturum. Videas Iudææ Christum natum, & non mireris virginis partum.

Cur apes non commisceantur.

2. OBserua lector quàm notabiliter dicat: Integritas cunctis est corporis virginalis. Quare ergo Deus eas, sicut & cetera animalia, commisceri non statuit? Absolutè credo, non ambigo: quia & hominibus dare voluit virginitatis exemplum, & in libidinem extraordinariè resolui quàm nociuum sit, euidenter ostendere.

Cur in lege antiqua virginitas non commendabatur.

3. QVæri autem potest, cur in antiquo populo Dei, non commendabatur integritas virginalis, & nunc post aduentum Christi deserta eremi virginitatis lilijs decorantur. Vna ratio, propagatio fuit humani generis, & maximè populi Dei. Secunda, quia rudis ille populus ad litteram maledictionem sterilitatis metuebat. Vnde filia Iephte virginem se morituram expauit: & à patre deflendi virginitatem suam tempus tātùm* duorum mensium postulauit. Beatissima verò Virgo Maria, super quam requieuit spiritus sapientiæ, & intellectus, virginitatem Deo prima omnium vouit: & sterilem à fructu bonorum operum, legis maledictione plectendam ostendit. In cuius rei

Exod. 23. Deut. 7. Iudic. 11. *Restitui ex bib. pro triū. Isa. 11.

rei figura Christus postea ficui non habenti fru- *Mat. 21. &*
ctus maledixit; & aruit. Sed & discipulis planè *Mar. 11.*
dixit: Omnis arbor, quæ non facit fructum bo- *Mat. 7.*
num excidetur, & in ignẽ mittetur. Proinde nota quòd virginitatis decus, contra illos, qui nuptias præferunt, in virginitate virginis matris, nec non & eius filij virginis, qui omnis virtutis exemplar est, gloriosissimè commendatur. Et ad exemplum Baptistam vide, quo maior inter natos *Mat. 11.*
mulierum nemo surrexit. Sed & Ioannem Apostolum & Euangelistam, qui de nuptijs specialiter vocatur à Domino, cui in cruce virgo virgini commendatur: vt lilium liliorum Christus, nostri amore languens, ex vtraque parte lilijs fulciretur.

Ioan. 2. vt quidam arbitrati sunt, sed improbabiliter. Vide notat.

Virginitas cur lilio comparetur.

ET beata quidem virginitas lilio comparatur, 4.
tum propter candorem niueum, tum quia ex sex folijs repandis constat, vt cordi primò, deinde quinque sensibus corporis, ab omni contagio illibatissimè caueatur. Et bene folia ista repanda dixerimus, quod prominens & apertum significat: quia licet omnis gloria filiæ regis ab intus, *Psal. 44.*
quantum ad conscientiam, exigatur: tamen quia Dominus in Euangelio iubet, vt opera nostra ad exemplum luceant proximorum, necesse est, vt *Mat. 5.*
compositio forinseca sensuum ad commendationem virgineę dignitatis ordinatissimè famuletur.

Quòd pulchritudo beatæ Mariæ neminem incitarit ad libidinem.

QVod vtique de regina virginum sanctus 5.
quidam eleganter asserit, dicens: Licet Ma-

ria, etiam in corpore, mulierum pulcherrima fuerit: vtpote quæ concepit sine admixtione virili, & peperit forma præ filijs hominum speciosum: tamen ita ordinatissima fuit in moribus, vt nummquam eius decentissima pulchritudo quemquam etiam facinorosissimum luxu, ad concupiscentiam, saltem tenuissima tentatione, commouit: & hoc per Spiritum sanctum cooperãtem in ea credimus & fatemur contigisse. Quomodo enim aliter fieri potuerit, non videmus.

Psal. 44.

De iuuene dissoluto, qui beatam Virginem salutationibus Angelicis quotidie honorabat, ex nuptijs assumpto.

6. IGitur lectorem nostrum, vt plenè confidimus, non pigebit de gloriosa Virgine aliquid inserere lectioni, per quod & ad amorem ipsius, & dignam venerationem eius sinceriùs accendamur. Iuuenem fuisse prope nostra tempora in Germaniæ partibus, certa relatióne didicimus: Hic mortuis parentibus, malorum consilio deprauatus, hereditatem præclaram in ludo tesserarum & tabernis totaliter dissipauit. Hinc vagabundus & miser per patriam ferebatur: qui etsi aliàs stultus, castitatem tamen corporis conseruauit. Quem quidam miles, patruus eius, non modicè miseratus, die quadam óbuium alloquitur, dicens: Malè te competit consobrine charissime taliter oberrare, qui clarus genere probum virum & magnum efficere potuisses, nisi te talis insania rapuisset. Cuius verba cùm quasi muliebria iuuenis dideret, subiunxit miles: Estne aliquid * chare fili, quod pro me facere tu curares? Cui ille: Est

ms p.s.2. imp. caro mons.

le: Eſt vtique. Et miles: Volo ergo vt glorioſam Dei genitricem Mariam ſalutes quinquaginta vicibus omni die. Qui cùm cachinnando reſponderet: Hoc ſemel faciam, & non omni die: patruus inſtitit, dicens: Hoc te facere modis omnibus oportebit, ſi quando te oculis miſericordiæ ſuæ glorioſa virgo reſpiciat, & pro tua miſeria ſuum filium interpellet. Ad huiuſmodi verba annuit iuuenis, & receſsit inde. Poſt annum contigit patruum videre iuuenem, quem & ſi promiſſum ſeruaſſet, interrogat. Et ille: Seruaui, inquit, & nollem me vllatenus non ſeruaſſe. Remiſsiùs enim mihi eſt, quā antè in vanitate mundana. Cui patruus cum gaudio dixit: Ergo & iſto ſequēti anno ſeruitiū tuum Chriſti matri in ſalutationibus duplicabis. Et iuuenis: Fiat, inquit. Exacto autem ſecundo anno reuerſus eſt ad patruum, dicēs: Iam ſuffragātē matre Chriſti, omnis vecordia miſerrimi mei ſtatus euanuit, & firmo benefaciendi propoſito, voluntatis meæ conſtantia ſtabilitur. Cui patruus cum lacrymis dixit: Benedicta ſit pietatis mater, & tibi quoque cariſsime gratias refero, qui ſalubri conſilio credidiſti. Nihil ergo reſtat, niſi vt anno præſenti propoſitum tuum fixum experiar: & ſi dignum inuenero, condignas tibi nuptias procurabo. Tu autem medio tempore auxiliatricem tuam, †in ſalutationibus quinquageſimæ tertiæ ſedulus honorabis. Conſentit iuuenis, ſtabilis inuentus eſt, & euoluto anno perfecit patruus quod promiſit iuueni, * cōquiſiuit nuptias, & inſtaurato conuiuio, ex vtraque parte conueniunt parentelę. Poſitis itaque menſis, & lotis manibus, cū iam ſponſus & ſponſa comeſſuri pariter conſediſſent: ex inopinato, memor ſponſus, non-

De virtute ſalutationis angelicæ exempla ſunt in Cæſar. l. 7. c. 26. 27. 28. & 33. & l. 12. c. 50

† Hoc eſt [illegible] cen[illegible] die [illegible] ſalut[illegible] angel[illegible] ms. p. s. con- cinit.

dum se sponsionis debitæ salutationes illa die gloriosæ virgini, occupatus aliàs, persoluisse, repentè surgens, susurrat patruo, vt paululũ † induciet fercula ministranda. Quo annuente, solus iuuenis intrat thalamum, soluit matri Christi quod vouerat tantò deuotiùs, quantò se clementiùs probauerat exauditum. Nec mora, vbi extremam salutationem trinæ quinquagesimæ iam compleuit, apparuit ei gloriosa virgo lucidior super solem, tres * thecas in tunica sua iuueni, vnam anteriorem, & duas laterales, ostendens. Ecce, inquit, salutationes tuæ litteris aureis scriptæ, quibus me in tribus quinquagenis sedulus honorasti. Et quoniam in tuo corpore, licet vanus & vagus, virginitatis munditiam conseruasti, mox te febris lenta corripiet, & ad me die tertia sine vlla carnis corruptione peruenies. Hoc dicto gloriosa virgo disparuit. Iuuenis autem egressus, hortatur omnes lætari, epulari, & gaudere: se verò appetitu comedendi destitutum, ad præsens cum eis esse non posse. Singulis ergo ad mensam consedentibus, & comedentibus, iuuenis interim lectum ascendit, & facto prandio sponsam suam, patruum, & amicos in thalamum conuocauit: & eis quid sibi contigerit, vel dictum fuerit, intimauit. Mortuus est ergo iuuenis die tertia, vt prædixit, sponsa verò eius nulli postmodum nubere volens, in sancta virginitate permansit. Nec mirum si in tribus quinquagenis beatissima virgo à iuuene prædicto se dixit per salutationem angelicam honoratam, cùm in tempore gratiæ, quasi anno iubilæo electa sit, & effecta nobile triclinium Trinitatis.

† i. iubeat nonnihil expectari.

* ms. p thogas. ms. s. b. c. 2. imp. togas.

Alia

Alia eiusdem apparitio, & de sequentia: Salue mater Saluatoris.

VNde venerabilis magister Adam, canonicus 7.
sancti Victoris Parisijs, cum in dictanda sequentia: Salue mater Saluatoris, illum rythmi versiculum edidisset. videlicet:

Extat hac prosa in elucid. eccl. Iudoci Clichtouei l. 4.

Salue mater pietatis,
Et totius Trinitatis
Nobile triclinium.

Gloriosa virgo apparens ei, & quasi pro honoris laude satisfaciens, cogitanti eidem supplex altissimæ humilitatis * verticem inclinauit.

ms. b. c. tria imp. ceruicē.

De iuuene quotidie tria Rosaria recitante, qui reuixit, & pœnitentiam egit.

QVid iterum de triplici quinquagena in salu- 8
tatione versus Angelici, Aue Maria, anno ab incarnatione Domini M. CC. LI. contigerit, referamus. Vidi & cognoui iuuenem in Brabantiæ partibus generosum. qui quamuis esset totaliter seculo deditus, beatæ tamen virgini Mariæ deuotus, quotidie tres dictas quinquagenas in salutationibus exoluebat. Infirmatus autem, ad extrema perductus est. Cumque per horas diei plurimas mortuus iacuisset, reuixit subitò, & sorori moniali, quę iuxta se sedebat, inclamauit, dicens: Soror ecce redij, citò aduocari facias sacerdotem. Mirantibus omnibus presbyter aduocatur, & in magna cordis lætitia palam omnibus confitetur, dicens: Ad tribunal Christi iudicis raptus, cùm in tribus maximè à dæmonibus accusarer,

cuſarer, ferrique deberet ſententia contra me, pijſsima Chriſti mater rogauit filium, vt ad corpus reducerer, locum pœnitentiæ ſuſcepturus. Nec mora, factum eſt vt rogauit. Vnum de peccatis erat pro quo damnandus eram, quia decimas de bonis & agris meis ſacerdoti ſubtraxeram. Secundum erat; quòd cum ſodalibus meis piſces quorumdam religioſorum furto ſubtraxeram. Tertium erat, quòd ſegetes & fruges pauperum, cum canibus venaticis vagabundus deſtruxeram. Hæc cùm coram omnibus loqueretur, quidam ex manſionarijs reſpondit. Et cur, inquit, pro damno iſto extremo damnandus eras, cùm nos omnes illud vobis puro corde remiſerimus? Et ille: Mihi quidem veſtra remiſsio nequaquam ſuffecerat ad ſalutem, cùm copioſior eſſem vobis in iniurijs refundendis, quàm vos mihi in iniurijs dimittendis. Et his dictis, reſtituenda damna protinus aſsignauit, ſicque, diſponens rebus & domui, in ſpe & pace mirabili ſpiritum exhalauit.

Peccata ob quæ damnandus erat.

Iſa. 38.

De monacho Ciſtercienſi è cuius demortui ore proceſſit arbor, cuius folijs, aureis litteris inſculptum erat: Aue Maria.

9\. Hinc de ipſo verſiculo ſalutationis Angelicæ aliquid ſpecialius attollamus. Potiſsimum enim laudis eius illud Euangelicum reputamus, in quo eam decentiſsimè paranymphus Gabriel honorauit. Et ad hoc, quoddam à Ciſtercienſibus mirum planè miraculum recitatur. Erat quidam emeritæ militiæ veteranus, qui ſeculo, etſi tardè, renuncians, ſanctum Ciſtercienſium ordinem introiuit. Quæſitus autem à magiſtro no-

Luc. 1.

Simile eſt exempl. de S. Salauno in

stro nouitiorum si sciret orationem Dominicam, scilicet: Pater noster, negauit; numquam se discere potuisse contestans. Quid plura? Fit labor inanis vt discat, & cùm non posset, præcepit Abbas, vt saltem illi breuem angelicæ salutationis versiculum, inculcarent. Quód, etsi multo & diutino labore, factum est tamen. Cùm enim ad exhortationem magistri sui ipsum versiculum inter prandendum ad vnamquamque buccellam ferè, ne obliuioni traderet, ruminaret, ex frequenti & longo vsu, tantam in ipsa salutatione mentis concepit dulcedinem, vt cordi eius & ori sola memoria matris Christi: quamquam aliàs auocatus, indelebiliter adhæreret. Contigit ergo, vt post aliquanta annorum curricula veteranus ille deuotissimè moreretur, & inter fratres in cœmiterio sepeliretur. Mira res, de tumulo eius non multò pòst, à parte capitis arbor nasci ignoti generis visa est, cuius folia litteris aureis insignita. Aue Maria gratia plena,* notabiliter singula continebant. Quod vbi notum fit diœcesano Pontifici, ad locum venit ipse miraculi, radicem arboris per effossionem * diligenter scrutatus est, & eam de ore veterani illius ortum habere probauit. Nec mora, vbi diuinæ ostensionis arbuscula debitum officium executa est, in oculis omnium aruit, & defecit. Quicumque igitur matri Christi cupis esse deuotus, salutationem istam frequens & deuotus ingemines; nec credo quidquam illi gratius vocalis laudis offerri.

Viridario Sanctorum Matthai Raderi par. 2. c. 5.

ms p. addit Dominus tecum.

ms. s p. 2. imp. diligentem.

Quid

Quid in Angelica salutatione gratius sit beatæ Virgini.

10. PRoinde fateor à me quæsitum, quid in ipso versu salutationis angelicæ audiret lætius mater Christi. Ego autem, nihil ambigens, mox respondi: Lætanter quidem audisse virginem gratia se plenam, secum Dominum maiestatis, & se in mulieribus, id est, præ cunctis mulieribus benedictam: sed in eo Mariam gratulantiùs exultasse confido, cùm audierit fructum ventris sui singulariter benedici. Quid mirum? Ipsa dilecto suo, & ad eam conuersio eius. Benedictum autem, id est, bono ad dictum: vel benedictum, id est, dignè dictum, dicimus fructum eius, quia ipse malo pœnæ crudelis mortis addictus, bono additur sedens in potioribus * patris. Vnde per prophetam dicitur. Maledictus omnis, qui pendet in ligno. Qui vtique Christus fuit. Propter quod & Deus exaltauit eum super omne quod est, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. Benedictus etiam dicitur, quasi bonus dictus, quia nemo bonus nisi solus Deus. Et hoc essentialiter, vt in nomine eius omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum. Quotiens ergo Christum benedicimus, fructum vteri virginalis, bonum simpliciter, vel bono ad dictum dicimus; & in hoc Mariam potissimè gratulari credimus.

Cant. 7.

* *ter. imp. addit (bonis) quod subauditur.*

Deut. 21.

Philip. 2.

Luc. 18.

Philip. 2.

De

De duobus clericis, quorum vnus Ioannem Baptistam, alius præferebat Euangelistam. & reuelatione eis facta, quòd Beata Maria in cælum cum corpore sit assumpta.

TEmpore beatę memoriæ magistri Petri, 11
quondam Cantoris Parisiensis, duo clerici, vita & opinione probati, fuisse dicuntur: quorum vnus Ioannem Baptistam, alius Ioannem Euagelistam miro venerabatur affectu; ita quòd zelo nimio quo suum quisque præferret, dissidebant: erga gloriosam verò virginem Christi matrem tam mirabili deuotione feruebant, vt cùm quis eos in disputationibus irritare volebat, matrem Christi nequaquam assumptam cum corpore contendebat: & hoc frequenter risum socijs excitabat, & per hoc tędium cordis ex sincerissima simplicitate sæpius sustinebant. Ergo vbi solemnitas gloriosissimæ assumptionis instabat, dicti clerici ieiunijs, vigilijs, & orationi vacabant, rogantes sanctos suos, Baptistam dico & Euangelistam Ioannem, & obnixius Christi matrem, quatenus per signum aliquod euidens suam verecundiam releuarent, in repressionem contrariæ opinionis, qua Mariam assumptam cum corpore prędicabant. Quid igitur? Numquid apud summum *Iob* 12.
iudicem erat iustorum simplicitas deridenda? Ab- *Prou.* 3.
sit, cùm sit cum simplicibus sermocinatio eius. Ergo, vbi quilibet per se in conclaui orationibus insistebat, illis singillatim Ioannes Baptista, & Ioannes Euangelista apparuerunt, dicentes: Exaudiuit Dominus preces vestras, & nunc vobis primò dicimus, ne pro prærogatiua meritorum nostrorum

ſtrorum vlterius contendatis; cùm nos in cælo de pari meritorum priuilegio concordemus. Glorioſam verò Chriſti matrem aſſumptam cum corpore, nullus ambigat Chriſtianus: & hoc ſignũ omnibus, qui vos nouerunt: vnum ex vobis naturaliter imbarbem, barbatum reddimus: alium verò caluum penitus, reſtituimus copioſiſſimè recrinitum. His dictis diſparentibus ſanctis, manè reuelationis effectus apparuit in ambobus, & ſe magiſtris quibuſdam & clericis, in argumentum teſtatiſſimæ veritatis, quantò gratiùs, tantò humiliùs oſtenderunt. Et ego quidem ſatis miror, quòd poſt illam ſinceriſſimæ veritatis probatiſſimam auctoritatem doctoris omnium maximi Aurelij Auguſtini, intrare cor potuit fidelis hominis Chriſtiani, Chriſtiferæ virginis corpus, etſi incorruptum, vt quidam ſimplices crediderunt, in hoc ſeculo nequam, glorificata anima, remanſiſſe. Valde ergo, & indignanter admiror, quòd ſapiens quiſque non videat, Hieronymum ad Paulam & Euſtochium de aſſumptione beatæ Mariæ ſub dubio ſcriptitaſſe; quia in ſuis ſcriptis promiſerat ſe nihil ſcribere, niſi quod poſſet auctoritatibus bibliæ comprobari. Maiores ergo & plures, diu iam, & nunc quoque, aſſumptam eſſe cum corpore matrem Chriſti auctoritatibus Auguſtini in eccleſia cenſuerunt: nec vlli vmquam homini credere contra ſcripta veridica tanti Patris; cui præ omnibus expoſitoribus creditur, ſecundum quod beatus Voluſianus in epiſtola ſcribit: In alijs ſacerdotibus per mundum quomodocunque toleratur inſcitia: cùm autem ad Auguſtinum ventum fuerit, legi Dei deeſſe creditur, quidquid contigerit ignorari.

Apud Aug. tract. de aſſumpt.

Apud Hiero. ſermone de aſſumpt.

Voluſ. ep. 2. inter epiſt. Auguſtini.

Quomo-

Quomodo beata Virgo reparauit cilicium beati Thomæ Cantuariensis, & de presbytero apud eum accusato, qui numquam celebrabat aliam missam, quàm de beata Maria.

GLoriosissimum quid de matre Christi narrabo, in quo altissimæ humilitatis eius dignitas, & videri poterit, & probari. Scriptum quidem diligentiùs est, qualiter B. Thomas Cantuariensis prȩsul & martyr exilio trusus sit: & fugatus in Galliam, & in Pontiniacum monasterium ordinis Cisterciensis, plurimo tempore demoratus. Beatus autem præsul, cùm multis annis femoralibus atque camisia cilicinis vsus fuisset ad carnem, & subitò de Anglia exire compulsus, sibi pro mutatione harum vestium minimè prouidisset, & antiquitate nimia dicta femoralia soluerentur, & nullum vellet de familia huiùs conscium habere secreti: nec prȩter quamdam reclusam sanctissimam apud Cantuariam, vmquam ante voluerat, die quadam solus in capite chori foras ecclesiam, quasi reparaturus femoralia residebat. Operis ergo huius ignarus & expers, anxius, quid faceret, qualiter inciperet, nesciebat; cùm ecce Regina mundi operis non ignara: quia teste Hieronymo, filius virginis quæstuariæ iudicaturus est orbem terræ, salutat præsulem, confortat ne timeat, de manibus eius accipit vestem, residet iuxta illum, & conuenientissimè reparat laceratam. Nec mora, opere completo disparet. Præsul autem effusus in lacrymas, laudes pro precio cum multa admiratione rependit. Nec grande post hoc tempus spacium intercesserat; cùm ecce adijt

12. Idem, sed breuiùs refert Cæsar. l. 7 c. 4. & simile c. 5. Aliud his simile Vinc. in spec. hist. l. 7. c. 113.

Hiero. epist. 1.

ce adijt Philippum Regem Franciæ, obtenta pace ab Anglorum rege beatus præsul, & ad propriam sedem redire permissus est. Diebus autem paucissimis euolutis, Decanus quidam cum ruralibus presbyteris, Pharizæis calumniantibus nequiores, accusant quemdam vitæ felicissimæ Capellanum, qui numquam, nisi de beata virgine Maria consueuerat celebrare. Iste, vt totum rei ordinem dicam, adolescentiæ tempus attigerat; cùm in amorem matris Christi totus exæstuans, prima cùm labore, litterarum addisceret elementa, vt sic proficiens veniret ad ordines, & missam in honore matris Christi quotidie celebraret. Sed cùm præ nimio feruore, dilationis impatiens, non exspectaret tempus in addiscendis litteris opportunum, importunè obtinuit presbyter ordinari. Parauit ergo sibi capellam pulcherrimam, & habitaculum in fundo proprio, vbi cum clerico & famulo tantùm, de suo patrimonio cælibem ducebat vitam. Qui eleëmosynis & orationibus insistens, quotidie beatæ Virgini mira cum deuotione Missæ officium exhibebat. Hæc videntes vicini presbyteri, inuidia tabescebant, eò quòd dissimilis vita eius, aliis nollet dissimilibus sociari. Et hæc causa proditionis nequissima fuit. Citatus ergo coram Archipræsule Sancto Thoma, negare noluit, numquam se, nisi de beata Virgine celebrasse: nec habere se vsum alterius missæ professus est. Miratus ergo præsul condoluit Capellano, in nullo tamen † secum ausus aliter dispensare, propter insufficientiam litterarum, dixit illi: Cesses, inquit, à missa carissime, donec assequi poteris sacerdotale officium, quo teneris. Ad hæc verba confusus Capellanus, venit in oratorium suum,

† i. cum illo.

ſuum, vbi imaginem beatæ Virginis mire ſpecioſam ſuper altare locauerat, & ſtans coram imagine, tactus dolore cordis intrinſecus, dixit: Nouiſti pietatis mater & domina, quòd pro tuo ſeruitio ſpreui nuptias nobiles, filiorumque propaginem non curaui, niſi tuis tantùm ſeruitijs inhærere; & ecce iſtis fruſtratus ſum, & inſuper omni abiectione confuſus. Age ergo nunc quod tuæ congruit pietati; vt obſequium reddas quod perdidi: vel certè iſtud tuum oratorium diruam, quod conſtruxi. Hæc dicens, miro lacrymarum imbre, altare, cui incumbebat, perfudit. Nec mora, pietatis mater, voce per imaginem delapſa reſpondit: Miti ſis animo, & eſto in pace cariſsime, accedas ad Præſulem, & ſecretò dicas illi: Hæc tibi Domina per me mandat, ô domine, quæ in capite eccleſiæ Pontiniaci monaſterij tibi anxio femoralia reparauit. Ad hanc ergo vocem Capellanus mirificè ſtupefactus, prorupit in laudem, & mox ad curiam Præſulis feſtinauit. Quem, vt vident ſacerdotes & clerici, & eum pridie in curia confuſum nouerant, ei nequiter inſultare cœperunt, nec eum ad Præſulem intrare permittunt. Poſt horam autem, quidam Archidiaconus egreſſus, qui conſcius erat bonitatis & innocentiæ Capellani, flentem vberrimè ad Præſulem introduxit. Quem, vt cognouit Epiſcopus, leniter ſolatur, & dixit: Patientem te oportet eſſe cariſsime, & obedire mandatis: ſi quid deeſt tibi in neceſſarijs vitæ, libenter, opinionis veſtræ cauſa, ſupplebo; hoc verò, quod flagitas, ſalua conſcientia, exaudire non poſſum. Tunc Capellanus, Præſule ſeorſum confidentiùs euocato. Et tibi, ait, illa mandat Domina, quæ tibi in Pontiniaco monaſterio

in ca-

in capite ecclesiæ femoralia reparauit, vt mihi gratiam restituas celebrandi. Hoc dicto, Præsul ad pedes procidit Capellani, annuit votis eius, & offert beneficia, si qua vellet. At ille, satis se habere, respondens, patronę suę seruire regreditur tantò deuotiùs, quantò gratiùs obligatus. Cui etiam beata virgo ingenium, quasi contra naturam, pręstitit; quia supra modum durus ingenio fuit, vt officium sacerdotale sufficienter addisceret, sed tamen numquam Missam aliam, quàm de beata Virgine celebrauit. Hiis ita gestis, non multis diebus pòst beatus Thomas pro ecclesia Dei martyrio coronatus est. Secretum autem miraculi quod narraui mansit incognitum vsque ad supradicti obitum Capellani. Non diu autem pòst, annis ferme tribus, postquam corpus sancti Thomæ eleuatum est, mihi à fide dignissimis reuelatum est, qui conscripsi.

anno s. 1171 & 1174 inter sanctos relatus.

De puero à Iudæis iugulato, & sub lapide sepulcbrali recondito, qui postridie viuus est inuentus.

13. DVm quidam puer Scholaris, sicut fratrum Prædicatorum fidelissima relatione didicimus, in odium Iudæorum per plateas de vespere sæpe cantaret: Erubescat Iudæus infelix, qui dicit Christúm ex Ioseph semine esse natum, Iudęi nocte quadam comprehendentes puerum, iugularunt & in cœmiterio sub cuiusdam sepulchri lapide absconderunt. Mane autem facto, cùm mater filium perdidisset, & cum vicinis eum per diuersa loca quæreret, transiens per cœmiterium eiulando clamaret: Fili carissime, vbi te perdidi, vbi quæram te; puer de sub lapide, alta voce clamauit:

mauit: Erubescat Iudæus infelix, &c. Ad cuius vocem stupefacti quærentes, circumspexerunt, & tandem de sub lapide puerum aduertentes, viuum & incolumem sustulerunt.

De clerico cæco à natiuitate, qui cantans respons. de B. Maria illuminatus est.

INsuper cùm quidam clericus à natiuitate cæcus, illud responsorium: Gaude Maria Virgo, &c. Romæ in ecclesia, quæ dicitur ad sanctam Mariam rotundam, in laudem gloriosæ Virginis decantaret, subitò lumen oculorum, cum omnium præsentium laude & admiratione suscepit. Et nota lector, quòd omnia miracula gloriosæ Virginis misericordiam sonant: solum autem illud quod in Iuliano apostata factum legitur, iudicium demonstrauit. 14.

In vita S. Bas. per Helad. & Amphilo.

De Iosberto monacho, qui in singulos dies quinque psalmos recitabat in honorem B. Mariæ incipientes à V. litteris nominis eius, è cuius iam mortui ore, oculis, & auribus quinque rosæ eruperunt.

FVit in ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ, quæ est Dolo monasterio, monachus Iosbertus nomine; qui quotidie decantabat quinque psalmos, incipientes à quinque litteris, quæ sunt in nomine ipsius Dominæ: videlicet pro M. Magnificat, pro A. Ad Dominum cùm tribularer: pro R. Retribue seruo tuo, vsque ad illum locum: Adhæsit pauimento anima mea: pro I. In conuertendo: pro A. Ad te leuaui: post vnumquemque psalmum subiungens antiphonam, 15.

nam, Aue Maria. Versum, Post partum, & collectam, Concede nos famulos, &c. Anno autem Domini M. C. LXXXVI. in festiuitate beati Andreæ, surrexerunt fratres ad vigilias noctis; dictoque, Domine labia mea aperies, accepit Supprior absconsam, circuiens chorũ ad explorãdum si quis deesset; & non inueniens fratrẽ suum carnalẽ, prefatum sc. Iosbertum; abijt cum querere in dormitorio ad lectum suum, vbi viderat eum serò collocari. Perueniens autem ad locũ, reperit eum defunctum, & habentem in ore rosam erumpentem & explicatam; in oculis etiam duobus duas, & in auribus similiter duas. In illa verò, quæ de ore egrediebatur, prima littera nominis Dominæ nostræ, scilicet M, & primus versus psalmi, Magnificat: in illa, quæ à dextero oculo exibat, secunda nihilo minus littera, videlicet A. & primus versus psalmi, Ad Dominum, cùm tribularer: in illa, quæ à sinistro oculo procedebat, tertia littera, scilicet R. & primus versus psalmi, Retribue: in illa verò, quæ à dextra aure exibat, quarta littera, scilicet I, & primus versus psalmi, In conuertendo: in illa autem rosa à sinistra aure prodeunte, quinta littera, videlicet A, & primus versus psalmi, Ad te leuaui, exstiterunt. Stupefacti igitur & attoniti tanti miraculi nouitate, non audebãt illum contingere: sed celeri nuntio Archiepiscopum Bituricensem, ad cuius diœcesim locus ipse pertinet, accersierunt, & tantam rei nouitatem eidem ostenderunt. Qui tantæ iocunditatis miraculo exhilaratus, immensas gratiarum laudes Deo, & eius sanctissimæ genitrici reddidit, quæ sibi fideliter & deuotè seruientes honorare, & glorificantes se glorificare non desinit. Pontificali-

ficalibus igitur indumentis ornatus, cereis ac crucibus, turibulisque, clericorum ac monachorum multitudine circumdatus, reuerenter ad corpus defuncti accedens, rosam, quæ de ore eius erumpebat, manu sua tulit, qua facillimè subsequente, ceteræ, quæ in oculis eius, & auribus remanserant, protinus emarcuerunt, pristinumque decorem amiserunt. Illa tamen, quam de ore eius Archiepiscopus tulerat, in sua viriditate & pulchritudine permansit, eamque in quodam lapide de crystallo diligentissimè reclusam super altare iusserat collocari; vbi ab omnibus in modum speculi perspicui videtur, & quanta sit gratia & misericordia Dei genitricis manifestè cognoscitur. Corpus autem prædicti defuncti ante sanctum altare eiusdem Dominæ nostræ sepelitur: vbi paucis diebus interpositis, miraculis cœperat coruscare. Trãslatum verò ex eodem loco, in quodam mausoleo decenter & honorificè ad hoc præparato, reposuerunt, & iuxta sanctum altare statuerunt.

De honesta matrona ab iliaca paßione sanata per B. Virginem.

NOuimus & in Brabantiæ partibus viduam per omnia generosam, pollentem diuitijs, & in omni castitate præcipuam; quæ iliaca passione per annos plurimos cruciata, diuersa remedia attentauit, nec tamen in aliquo profecit; vnde ad gloriosissimam Christi matrem fida mente sese conuertit. Die ergo assumptionis beatæ Virginis pungitiuum dolorem sentiens in latere, sanies cum sanguine mox erupit, & lapilli plurimi de ipso eruptionis vulnere ceciderunt. Et vide gran- 16

de admirationis signum; quòd omnes lapilli quinquangularis formæ, fuerunt coloris triplicis, rubei, albi, & nigri, mirabiliter expoliti. Partem autem lapillorum habuimus, & vulnus eruptionis, nisi verecundia obstitisset, vidissemus.

De quodam religioso, qui Mariam dixit fatuam.

17 PRæterea reminiscor, me adolescentulum adhuc vidisse pariter & audisse piè temerarium quemdam in hac sententia: sed non per eadem verba de Maria Christi matre locutum. Erat autem inter religiosos quosdam spiritu mirè feruentes sermo mutuus de Maria. Alius secundum Euangelium Lucæ specialiter extollebat pudorositatem eius vbi in sermone Angeli * fit turbata. Alius prudentiam eius, atque constantiam, vbi fœcundandam se audiens, modum conceptionis inquirit. Atque alius humilitatem eius, ancillam se vocans, cùm tamen esset domina Angelorum, Gabrielis assertionibus obediuit. Tunc ille piè temerarius obortis lacrymis cum applausu: & ego, inquit, meam dicam sententiam de * Maria. Nihil illa stultius in creaturis omnibus inuenitur. Cumque in hoc verbo omnes pariter attoniti stuperemus: An ignoratis, inquit, quòd omnes ferè totaliter peccatores, vbi post lapsum surgere cœperint, Deum vltionum, & vniuersitatis Dominum formidantes, ad matrem eius, quasi pietatis propitiatorium confugiunt, & eam vt verè reconciliatricem cariùs amplectuntur? Nec mirum, quia circa frequens ministerium satagere non desistit, donec prodigos filios reconciliet patri vitæ. At illi clemen-

Marginal notes: Luc. 1. — ms. b. fuit. — Ibid. — Ibid. — 2. imp. addunt dulci. — Psal. 93. — Luc. 10. — Luc. 15.

clementissimum patrem super se, pœnitentes, vt viderint cum Angelis exultantem, ferè postmodum suæ reconciliatricis obliti, tenerrimè nimidum in pij patris oscula per dulces lacrymas resoluuntur.

Quomodo excusari possit dicta temeritas.

AVdias lector, si miraris, ausculta verissimè & expertissimè dici. Quid mirum mater? 18.
Quid mirum ô Domina? Bona per omnia tu: sed ille peroptimus est. Dulcis per omnia tu: sed ventris tui fructus omni * suauitate iocundior. *ms. p. iocunditate suauior.*
Quantò enim arbor altior, tantò suauior fructus. Planè, etsi piè temerarius ille, verissimè tamen dixit, nihil in creaturis stultius Maria inueniri. O benignissima mater, ne viro illi, vel mihi in tuo assultu quasi temerarijs indigneris. Hæc dicens, ô domina, stultus factus sum: sed me coëgisti, quin immo vehementior amor tui. *2. Cor. 12.* Verùm vt seriosè loquar de te, inquam, sancta virgo, non te minus decuit in reconciliationem pœnitentium stultam dici, quàm filium tuum, vt saluos faceret credentes, quem Paulus stultescere patris sapientiam prædicauit. *1. Cor. 1.* Certus sum pia mater & domina, quòd nullum in reconciliatis amicitiæ pateris detrimentum, cùm erga fauorem tui remissiores existunt, vt in amorem filij tui pleniùs transfundantur: quin potiùs omnimodè tibi dilectiores sunt: quantò illi fuerint gratiores.

Quomodo ter beata Maria super altare apparuit in domo fratrum Prædicatorum in Longobardia.

19. SEd & illud referamus, quod certa valde & indubitabili relatione didicimus, in partibus Lombardiæ, in domo quadam fratrum Prædicatorum apud Turinum ciuitatem, de gloriosa matre Christi miraculum accidisse. Deuotissimi fratres sub sincerissimo Priore erga beatam Virginem Dei benignissimam genitricem erant in orationibus deuoti: & infusis sępius lacrymis diuinæ contemplationi vacabant. Accidit autem vt quidam magis sedulus, secedentibus alijs, vel ad studium, vel ad quietem, dies quandoque & noctes continuaret in precibus. Hic gloriosę Virgini specialissimè deuotus & supplex, speciale ab ea meruit solatium obtinere. Contigit namque eo solo in ecclesia remanente, altaris circuitum luce iocundissima circumfundi, & ei super altare gloriosam Virginem cum ipsa sua nobilissima prole inauditis vultuum & formarum schematibus apparere: super quos in modum stellarum septem globi ignei radiabant. Hæc vt frater vidit, phantasma esse timuit, quamquam in signum verissimè visionis solatio mirabili & intellectuali lumine repléretur. Dixit ergo cum magna reuerentia cordis & lacrymis: O gloriosissima mater & domina non sum dignus solus videre, quæ video. Rogo suppliciter, si verè es mater Christi, vt sentio, appareas Priori nostro, appareas & toti conuentui, qui veri sunt serui tui, & tuæ gratiæ feruentissimi dilectores. Hoc vt dixit, mater annuit pietatis, & toti conuentui schema secundum formam

formam priorem apparuit. Et vide lector miraculum cunctis seculis inauditum. Referebant fratres, qui hæc viderunt, quòd illa visio imaginaria quidem fuit: * sed ex certis, grossis, & circumscriptibilibus lineamentis corporis non constabat. Vt autem comparatione aliqua, etsi non propria, nos vtamur. Corpus illud apparens diaphanum videbatur, & tamen tam propriam, tamque excellenter egregiam formam oculis intuentium ingerebat, vt nihil iocundius, nihil capabilius videri posse à mortalibus * crederetur. Hoc videntes fratres, solitò crebriùs precibus & fletibus insistebant, & orabant benignissimam matrem, vt secundò & tertiò fratribus appareret: vt si fortè primò diabolica fuisset illusio, in nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis fratrum precum instantia fugaretur. At quoniam nulla Christi conuentio, vel matris eius ad Belial, secundò & tertiò secundum formam superiùs dictam, toti se conuentui gloriosa Dei genitrix demonstrauit. Facta autem sunt hæc in principio ferè ordinis Prædicatorum, vt tali & tam speciali miraculo, regina misericordiæ sibi ipsi deditum ordinem comprobaret.

ms. b. c. ter. imp. ex certis enim grossis, &c.

4. ms. 2. imp. videtur.

2. Cor. 6.

De Rachele Iudæa, facta moniali in Parco iuxta Louanium.

20. VIdi in Brabantiæ partibus Cisterciensis ordinis monialem de Iudaismo conuersam, in qua opus * diuæ Mariæ matris Christi gloriosiùs excellebat. Annorum non plenè quinque, in domo parentum Iudæorum aduertere cœpit animo: cur distinctio nominum fieret Iu-

ms. b. c. ter. imp. opus dignum. 2. imp. opus digne. Idem. sed

breuius refert Cæsar. l. 2.c.26.

ret Iudæorum pariter & Christianorum, cùm vnius vultus atque loquelæ homines essent vtriusque gentis. Mira talis puellæ discretio. Inhærebat tamen, vt postmodum mihi retulit, auidiùs audienti, magis Christianum nomen, quàm Iudaicum. Et specialiter beatæ Mariæ nomen lætabatur audire, cùm Christiani aliquid inuicem petere vel iurare solerent. Furabatur autem sub vtraque asella panem de mensa parentum, & pueris occultè mendicis partiebatur, vt regratiando sibi Marię nomen audiret. In his ergo de tempore in tempus mirè proficiens, ita sagaciter latitabat, vt neuter parentum aliquid super cogitatu filiæ aduertere posset vel audire. Contigit autem vt parentes eius à Colonia in Louanium Brabantiæ opidum cum filia deuenirent. Vbi cum successu temporis in domum cuiusdam pręclari presbyteri, magistri Reineri nomine, puella cum Christianis pueris aduenisset, & eam ex nomine nouisset presbyter, eamque venire libentiùs ad se frequentiùs aduertisset, interrogauit eam, dicens: Visne Rachel carissima Christiana fieri? Et illa: Volo, inquit, dummodo erudias me, quid sit fieri Christianam. Tunc presbyter, vt vir sanctus mirè gauisus, in spiritu sentiebat de puella futurum nescio quid diuinum. Et incipiens à constitutione mundi, cœpit illi scripturas exponere per quas fides Christi, vel ipse Christus significari poterat, vel ostendi. Quarum expositiones, vt mihi ipsamet dixit, ita integro sensu in illa ætate sex annorum tunc & dimidij, discretione spiritus intellexit, vt raro oporteret presbyterum rationem aliquam iterare. Hęc eruditio ferè per annum dimidium perdurauit, occulto aditu

per

per quem furtiuè & oportunè raptam puellam edocebat. Et vide admirationis insigne prodigium. Numquam Rachel auditu verbi Dei satiari poterat, vel lassari, cùm tamen presbyter & Martha ministra eius, mulier religiosa & prudens valde, ambo frequenter lassati sibi inuicem succederent in docendo. Quid plura? Mox vt parentes in filia cœperunt aduertere cogitatum, conuenientibus Iudæis pluribus conuenerunt in hoc, vt missam filiam de Louanio vltra Rhenum spõso traderent arctiùs conseruandam. Quod vbi puella cognouit, presbytero cum lacrymis indicauit, vt si illam eadem nocte non raperet, & Christianam efficeret, perdita esset in perpetuum & confusa. Quod audiens presbyter, puellę pręcepit, vt ad solitum aditum summo mane veniret. Quod cùm incũctanter annueret, vespere matri suę dixit. Sola mater hac nocte iacere volo. Quod cùm simplex puellula dixisset: & diutiùs mater renuisset, consensit tandem, eidem super ceruical ad pedes suos lectulum præcipiens præparari. Iacente ergo puellula vsque ad mane, & obliuiscente penitus quod presbytero pręcedenti nocte promiserat; astitit illi gloriosissima mater Dei Maria in habitu candido super niuem, & offerens illi virgam splendidam, quam gestabat, dixit: Surge Catherina & iter arripe, grandis enim tibi restat via. Hæc illa dicente, Rachel credens virgam apprehendere, de lecto cecidit, & exclamauit. Cuius clamore mater excitata, & quærente clamoris causam; filiaque cautiùs dissimulante, mater protinus obdormiuit: & Rachel surgens, ad condictum locum presbyterum mox inuenit. Qui lætus assumpsit eam, & venit ad mona- *3. Reg. 19.*

naste-

Belg. Vrouvven Perck. nasterium, quod Parcus dominarum dicitur: quod erat ad leucam dimidiam dictæ villæ, & gaudentibus cunctis baptizauit illam, nomen Catherinæ imponens ei, quo vocata priùs fuerat à matre Christi: sanctoque habitu ordinis induit baptizatam. Nec mora, vt audiuit pater & amici eius quod gestum est, consternati sunt, & per ducem dominum terræ, & per episcopum Leodiensem, tandemque per Papam Honorium, datis maximis pecunijs laborauerunt, vt infra ætatem legitimam filia ablata parentibus redderetur. Quæ si in domo parentum vsque ad duodennem ætatem perseueraret in fide suscepta: tunc iustè Christiano nomini reddi posset: cogitantes nequissimè medio tempore infantilem animum faciliter posse deflectere, vt ad natiua parentum vota rediret. Horum fraudulenta conamina, proh dolor, multi magni & litterati viri, pecunia suscepta, fouebant, pro quo presbyter supradictus non modicè tribulatus, solum Christum & matrem eius, quæ auctrix fuerat facti huius, multis lacrymis inuocabat. Mira res, & vsque in præsens cunctis seculis inaudita. Petijt à presbytero ad omnem citationem, & iudicem se puella deduci. Forsitan, inquit, iudices flectentur ętate, & ad mei piaculum mouebuntur. Et factum est vt petiuit & dixit. Vt enim die quadam apud Leodium venit coram episcopo, clericis, & magnatibus, diuersos aduocatos & iudices, tam constan- *ms. p s. tam.* ti,* quàm veridica ratione confudit & mouit; vt voces vlulantium & clamantium cum lacrymis præ stupore in Ecclesia sancti Lamberti à locis distantissimis audirentur: ita vt omnes manifestè discernerent & viderent, in tam exili ætate di-

uini

ni spiritus sapientiam præualere. Hinc post an-
os duos à lite iuris cessatum est, & aliud dece-
ionis tendiculum præparatur. Iuuenis elegan-
s formæ Iudęus, conductus ad hoc, venit ad mo-
asterium supradictum, in quo puella erat, & si-
ulato animo baptisma suscepit. Qui cùm † se
ngeret miro modo, querebat vt puellæ, quasi
ognatæ suæ, eruditionis gratia loqui posset. Di-
ebat enim: Plus super omnium sermonibus mihi
ognatæ verbum salubriùs imprimetur: illa ta-
nen, vt mihi retulit, interiùs discernebat fictum
d fidem iuuenem accessisse, & ideo nec prece,
ec precio, nec vlla obedientia flecti potuit, vt so-
um verbum iuueni loqueretur. Hæc vt viderunt
udęi, cessauerunt ab illa; iuuenis autem ad vo-
nitum est reuersus. Hanc postea tanta gratia po-
iri vidimus, vt nihil ea serenius videri posset.
Cumque nobilium monialium parentes cum
multa ambitione venirent videre filias, vel co-
gnatas: hæc coram imagine beatæ Virginis venie-
bat, & gratioso vultu dicebat: Aliæ sorores no-
stræ moniales à matribus & amicis solatium ha-
bent, & gaudium: ego autem paupercula pupil-
la, & indigna, ad te dominam, vt cognatam
meam, fidenter accedo: tu sola pro omnibus esto
mihi refugium & solamen. Et hæc dicentem,
quis dubitet eam à misericordissima pietatis ma-
tre solatio defraudari? Non te decet, ô domina,
tuam carnem, tuum sanguinem spernere, de cu-
ius genere, vt rosa de spinis orta es, lilium de tri-
bulis generatum.

† i. simulatoriè ageret.

Cant. 2.

De

De Agnete moniali, & hera eius Iudæa ad fidem conuersa.

21. ET quoniam de Iudæis sermo exortus est, de conuersione cuiusdam Iudææ alterius, rem nuper gestam mirabilem referamus. Erat in partibus Theutoniæ monasterium virginum, quo bellorum euentu funditus destructo ad domos parentum moniales redire compulsæ sunt. Quarum vna pulcherrima, Agnes nomine, vbi ad patrem militem rediit, ab eo violenter oppressa, mox impraegnata fuit. Ad partum ergo appropinquans, anxia fugit ad deuia, & partu edito, adest diabolus in specie monachi, qui se eius consobrinum protestans, & conscium facti eius, dixit ad eiulantem, & quasi præ tristitia desperantem. Ne tu charissima per partum editum cum patre & parentibus confundaris, paruulum in stagnum proximum proiice. Si enim vixerit, latere non potes. Tunc mater, miro certaminis pondere fatigata, tandem post lacrymas, post dolorem, vicit erubescentia maternum pectus, & mox paruulum submersit in stagnum: & statim diabolus ad * miro tabescentem dolore coniecit: O, inquit, omnium feminarum miserrima. Quid nunc restat? Melius est, vt sine scandalo tuorum, & tui, & grauiore mortis periculo, facta mihi confessione in aquam cum filio te submergas. Hoc audito, inclamans mulier, exhorrescit, & gloriosam Virginem matrem Christi inuocat contra diabolum adiutricem. Nec mora vidit dæmonem cum fumo & fœtore teterrimo disparentem: & mox effusa in laudem matris Christi, ad spem meliorem

ms. p. s. e. 2. imp. mirè.

Inuocat B. Mariam.

in prece

in prece & lacrymis confortatur. Venit ergo in proximam ciuitatem, & hoſpitio ſuſcepta ab honeſta matrona, locata eſt ab eadem cum quadam Iudæa, Sara nomine, vt eius paruulum enutriret. Manſit ergo annis quinque cum eadem Iudæa, in tanta cordis triſtitia, vt vix eam quis poſſet videre ridentem. Bis in pane & aqua per hebdomadam ieiunabat. Interim dominæ ſuę Iudęę, de fide Chriſti, & bonitate ac pietate matris eius: vt erat femina prudens & eloquens, prædicabat: & ſenſim cor illius verba ædificantia & efficacia penetrabant. Cuius hortatu orationem Dominicam & Angelicam ſalutationem addiſcens, Chriſtum & matrem eius quotidianis precibus inuocabat. Hinc factum eſt, vt nutrix ipſa, cuidam fratri ordinis Pręedicatorum, nomine Conrado, confeſſa, mitteretur ad Papam. Obtenta ergo abſolutione, ad patriam eſt reuerſa, & accelerauit viſitare Iudęam dudum dominam ſuam. Quam illa gratulabunda valde ſuſcipiens, rogauit feſſam quieſcere ſuper lectum. At vbi veſpere Iudæus venit, & cognouit hanc eſſe nutricem, quaſi in furiam raptus eſt, ſuſpectam enim eam, quaſi peruertricem ſuæ vxoris habebat. Certè, inquit, malè venit huc inſidiatrix iſta, iam enim occidam eam. Et mox extracto canipulo inuadit dormientem, & tria dedit ei vulnera circa, vel intra cor. Quo viſo, Iudæa horruit, & intrans thalamum obſerauit. Hinc noctis medio, facto ſigno, Iudæus ſynagogam cum Iudæis vicinis intrauit. Iudæa autem poſt luctum obdormiens, in ſomnis vidit glorioſam dominam cum duabus puellis ad mulierem occiſam intrantem, & ex tribus pixidibus, quas ferebant vnamquamque vnguine

Apparitio B. Mariæ.

ſalutari

ſalutari, in rediuiuum ſtatum, mortis vulnera reducentem. Intuere lector, mirare miraculum. Iudæus manè rediens, occiſam feminam non inuenit, credebatque quòd vxor ſua cadauer mortuum ſubterraſſet. Hoc idem de viro, vxor, illuceſcente die, credebat: & ſuper hac re neuter alterum requiſiuit. Vix dies quadraginta completi ſunt: cùm ecce venit mulier peregrina, Iudæamque & virum eius ex parte Agnetis occiſæ officioſiſsimè ſalutauit, & abijt. Tunc Iudæus vxori: Quid eſt quòd illa viuit? Numquid occidi eam? Cui vxor: Potens eſt, inquit, Chriſtus Dominus eius etiam mortuus mortuam ſuſcitare. Et Iudæus: Hoc eſt, ait, quod ſemper timui, * ne te apoſtatantem, duceret in errorem. Nec mora, hæc dicens comprehendit vxorem, & in thalamo duobus annis obſtrictam recluſit. Hinc accidit, vt ad remotiora recedente Iudæo vxor euaderet, & cum duobus paruulis, tertium gerens in vtero, ad Eccleſiam fugit: & cum gaudio fidelium, qui eam ditiſsimam & honeſtiſsimam nouerant, baptiſma recepit. Hanc poſtea duo filij eius adoleſcentes, & vna filiarum ſecuti ſunt, & fidem alacriter ſuſceperunt. Manſit autem poſt baptiſma cum filiis dicta dudum Iudęa in Colonienſi diœceſi, & mutato nomine, vocata eſt Gertrudis: & inuenit Agnen quondam nutricem ſuam, ibidem manentem, & de conuerſione eius inæſtimabili gaudio gratulantem. Quæſiuit ergo ab Agnete Gertrudis quomodo reuixiſſet. Et illa mirata ſubriſit, dicens: Quare numquam mortua ſuſcitarer? Ad hæc ſtupefacta Gertrudis. Verè, inquit, vidi, quòd te vir meus, tribus vulneribus cultro confodiens, occidit. Cui Agnes: Nouit Chriſtus

ms. p. e. 2. imp. quod te apoſtatam.

Iudæa baptizatur & Gertrudis appellatur.

ſtus

ſtus omnipotens, quòd, in ſomnis tantùm me vidiſſe & * non ſenſiſſe, videbar occidi. Manè verò, offenſam viri tui, ſi manſiſſem, præcogitans, omnibus inſalutatis recedere feſtinaui. Nec mora, Gertrudis apprehenſa veſte circa collum Agnetis, lacerauit eam, ſimulque cilicium quo induebatur ad carnem vſque ad pectus medium, & inuenit manifeſtiſsimas trium vulnerum cicatrices. Manifeſta autem facta ſunt iſta Archiepiſcopo Colonienſi domino Conrado. Mortua eſt autem Agnes in maxima pœnitentia & feruore ſpiritus. Annus ſecundus, M. ſcilicet CC. LXV. eo tempore voluebatur, quo ipſa Agnes à Iudæo occiſa eſt, & per glorioſam Chriſti matrem & Virginem ſuſcitata. Gertrudis verò ſuperſtes eſt, miro fidei calore ſuccenſa.

ms. p. s. omit. (non) & eſt ſenſus, me tantùm in ſomnis vidiſſe & ſenſiſſe, quòd videbar occidi.

De puella à Iudæis crudeliſſimè occiſa.

NVnc, quia de Iudæis mentio facta eſt, miraculum referam celeberrimum, quod anno 22.
præſenti ab incarnatione Domini M. CC. * LXXI. factum eſt in villa Theutoniæ Pfortzheim nomine. Contigit autem, vt quædam maligniſsima vetula, Iudæis familiaris effecta, puellam eis annorum ſeptem, orbatam parentibus, venderet occidendam. Hanc igitur in ſecreto ſuper plura paria linteaminum, obſtructo ore eius, in omnibus ferè iuncturis membrorum, inciſionibus vulnerarunt, maximo conamine ſanguinem exprimentes, & in ipſis linteaminibus diligentiſsimè receptantes. Hanc autem poſt tormenta defunctam, Iudæi in aquam fluidam prope opidum proiecerunt, & ſuper eam lapi-

ms. p. s. 2. imp. LXI. ſed præcedentia requirunt lectionem textus.

lapidum congeriem posuerunt. Tertia verò vel quarta die, per manum erectam ad cælum à piscatoribus est inuenta, & in opidum deportata horrentibus & clamantibus populis, ab Iudæis impijs tantum flagitium esse perpetratum. Erat autem in vicino Marchio de Baden, qui mox, audito tanto piaculo, peruenit ad corpus, statimque ipsum corpus erectum residens, tetendit manus ad principem, quasi vindictam sanguinis, vel fortè misericordiam imploraret. Post horam verò dimidiam, iterum se deposuit defuncti more supinum. Adductis igitur ad hoc spectaculum impijs Iudæis, statim eruperunt omnia vulnera corporis, & in testimonium horrendæ necis, copiosum sanguinem effuderunt. Mox clamor vulgi ad sidera tollitur, & in vindictam sceleris totaliter animatur. Ex quibusdã indicijs capta vetula, & conuicta: maximè cùm filia eius paruula omnia prodiderit, quia à puero & ebrio extorquetur veritas. Iudæi quoque capti sunt qui in puellam manus nepharias extenderunt, rotatique & suspensi sunt cum vetula: duo verò se mutuo iugularunt. Hæc nobis duo fratres ordinis Prædicatorum Reynerus & Ægidius, sicut illi qui in villa fuerunt post triduum quo hæc gesta sunt, veraciter retulerunt.

Cur Iudæi Christianum sanguinem effundant quotannis.

23. HInc igitur videndum est, cur Iudæi secundum consuetudinem, in omni prouincia, quam inhabitant, Christianum sanguinem fundant.

dant. Certiſſimè enim compertum eſt, quòd omni anno in qualibet prouinicia ſortes mittunt, quæ ciuitas vel opidum, Chriſtianum ſanguinem alijs ciuitatibus tradat. Conſtat quidem ex ſancto Euangelio, quòd Pilato lauante manus, & dicente: Mundus ego ſum à ſanguine iuſti huius Iudæi impijſſimi clamauerunt: Sangnis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Super quo beatiſſimus Auguſtinus in ſermone quodam, qui incipit: In cruce, innuere videtur, quòd ex maledictione parentum currat adhuc in filios vena facinoris, per maculam ſanguinis: vt per hanc importunè fluidam proles impia inexpiabiliter crucietur, quouſque ſe ream ſanguinis Chriſti recognoſcat pœnitens, & ſanetur. Præterea audiui quemdam litteratiſſimum Iudæorum noſtris temporibus conuerſum ad fidem, dixiſſe: quemdam quaſi prophetam eorũ in extremo vitæ prophetaſſe Iudæis, dicentem: Certiſſimè vos, inquit, ſcitote nullo modo ſanari vos poſſe ab illo, quo punimini verecundiſſimo cruciatu, niſi ſolo ſanguine Chriſtiano. Quod verbum cæci ſemper Iudæi & impij ſapientes, induxerunt omni anno in omni prouincia fundendum ſanguinem Chriſtianum, vt tali ſanguine conualeſcant. Et addidit: Malè, inquit, intellexerunt verbũ, ſanguinem intelligentes Chriſtiani cuiuſlibet: ſed prorſus illum ſanguinem, qui in ſalutem peccaminum quotidie funditur in altari: quem, quicunque noſtrum conuerſus ad fidem Chriſti, ſumpſerit vt decuerit, mox ſanatur ab illa maledictione paterna.

Matt. 27.

Nullus adhuc extat in operibus Augu. ſermo hoc initio.

De capite abscisso confitente, & de ieiunio feriæ quartæ & sabbati in honorem beatæ Mariæ Virginis.

24. MAgistro Richardo Normanno, viro per omnia litterato & pio, narrante, cognoui: sed & in scriptis cuiusdam fratris ordinis Prædicatorum in Belüaco legisse me memini, quemdam in Normanniæ partibus virum flagitiosum valde & impium fuisse suis temporibus, rapinis & cædibus hominum debacchantem. Quem inimici sui in decliuo montis cuiusdam deprehendentes, amputató capite peremerunt: cuius caput abscissum, trunco corporis in loco manente, in vallem subiacentem deuolutum est, clamans horribiliter per hæc verba: Virgo sancta Maria da veram confessionem. Hoc non paucis horis incessanter capite clamitante, vnus inimicorum pro sacerdote cucurrit in villam: venit ille, sed appropinquare ausus non est, nisi relatum caput suo corpori compaginaretur. Quod vbi factum est, aduenit presbyter, sedit, & loquente capite compaginato confessionem illius audiuit. In fine ergo confessionis presbyter inquirit, dicens: Miror in miraculo de te facto, super omne miraculum, quod audiui. Et ille: Causa, inquit, miraculi ista est. Audiui adhuc iuuenis, quòd quicumque quartam feriam aut sabbatum in honorem gloriosę Virginis ieiunaret, veram confessionem, antequam ab hac vita decederet, matris Christi precibus obtineret. Hoc vt audiui, in omni scelestissima vita mea dictum ieiunium obseruaui. Alterius verò boni nihil aliud feci. Quo sacerdos audito miratus est, & statim vbi hoc dicentem & confitentem absoluit, spiritum defunctus efflauit.

Simile refert Cæsar. l. 7. dial. c. 59.

Id non esse perpetuum aut necessarium.

NOta ergo lector, me non credere necessariam super hoc esse regulam, & in dictis ferijs ieiunantibus efficacem: quamquam gloriosa virgo in isto peccatore tale voluerit miraculum demonstrare, vt sedulos dilectores suos iuuandos à se, & honorandos altiùs comprobaret. Scio tamen, & certus sum, quòd in multis dictum ieiunium efficaciam habuerit salutarem: vt in fine vitæ confessionem veram haberent, & arctiùs pœniterent. 25.

De fratre Prædicatore, qui super cappam fluuium pertransiuit, vt concionem haberet in assumptione Deiparæ.

IN Germaniæ partibus circa annum ab incarnatione Domini M. CC. XXIX. gloriosæ virginis Mariæ assumptio solemnis instabat. Missus ergo frater ordinis Prædicatorum religiosus & feruens valde, ad stationem quamdam in dicta solemnitate prædicare, venit manè ad fluuium quemdam: qui medius erat à loco stationis & loco fratrum: & non inuenit aliquem, qui eum in naui transponeret vt solebat: nec locum habuit per pontem transire, eò quòd sinum amnis extenderat. Angustiatus ergo non modicè, prædicandi tempore iam instante, in Christum & matrem eius firmo corde confisus, cum prece supplici cappam ordinis expositam super vndas liquidas explicauit, signoque crucis edito, resedit desuper, & siccis omnino vestibus pertransiuit. Frater verò 26.

ſocius eius tantum miraculum admiratus, nec ſequi auſus, nauem ad tranſeundum diu poſtmodum expectauit, & tranſijt.

De alio fratre, qui ſuper vndas maris ambulauit.

27. SImili modo frater eiuſdem Ordinis Prædicatorum, vir deuotus multum & bonus, in Angliam tranſiturus, rogauit in portu dominum nauis, vt ſe & ſecum in naui ſocium ſuum reciperet propter Deum. Sed ille nec Deum timuit, nec fratrem reueritus eſt: ſed ſublato velo nauigabat à portu. Tunc frater anguſtiatus grauiter, (vrgens enim erat negotium tranſeundi) poſt orationes & lacrymas fiduciam mente concepit, & ad ſequendum fratrem ſocium exhortatus, inter vndas profundi maris, tinctis tantùm in ſumma extremitate veſtigijs, ambulauit. Nec mora, vbi nauta retroſpexit, exhorruit, & fratres, mox cum velocitate, naui reflexa, ſuſcepit, veniamque petens cum lacrymis, indulgentiam impetrauit. Vidi hominem fide digniſſimum, qui fratrem eumdem ambulantem in fluctibus vidit, & mihi hæc in magna deuotione obortis lacrymis enarrauit.

Per Salue Regina tempeſtas ſedatur.

28. IN ordine Ciſtercienſi glorioſæ virgini ſpecialiter dedito, multa valde facta miracula referuntur, quæ nonnulli ex eis, per ſcripta digna memoriæ tradiderunt. Nos tamen vnum, quod noſtro contigit tempore, licet fortè conſcriptum ſit, referamus. Fonij clauſtrum ipſius ordinis eſt nobiliſsimum

De eadem re exemplũ habet Cæſar. l. 7. c. 30

lissimum atque ditissimum. Contigit autem, vt obnubilatione cælum tempestatem aëris grauissimam minaretur: quæ & facta est. Sparsis ergo coruscationibus vndequaque per aëra, sequuntur & fulgura. Quæ vt viderunt monachi, certatim ad Ecclesiam fugerunt: vbi conuentu in choro totaliter congregato, vident patriæ, & specialiter claustro periculum imminere. Inchoant igitur altissimis vocibus: Salue Regina misericordiæ. Et cùm venissent ad illum locum antiphonæ; Eia ergo aduocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte: subitò vehementissimus ventus ab occidente veniens, cum horribili fragore tonitrui, fenestras Ecclesię vitreas, cum tanto impetu, totaliter dissipauit, vt Ecclesia firmissimè solidata corruere crederetur. Nec mora, vbi in tanto discrimine sacer cõuentus, satis perterritus, flexit genua, & illa verba antiphonæ cantauit: Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende, statim imago crucifixi, quæ media stabat inter chorum monachorum & chorum conuersorum fratrum, conuersa ad orientem versus chorum monachorum reflexa est. Et vt mihi à monachis dictum est, contra naturam picturæ, oculos aperuit, & mox omnis timor sublata tempestate cessauit. Quis ergo in tanto miraculo non obstupescat? Quis non videat & plenè collaudet illam misericordiæ patronam & matrem, quæ speciali priuilegio Christò potest imperare vt filio, & reconciliare miseros, quos noxa proscripserat, vt benedictum Iesum fructũm ventris sui, illis in salutem ostendat, qui venturus est reprobis in condemnationem? Huius fructus gratia mirum quid accidit, quod subiungo.

& alia cõplura vita præd. p. 1. c. 7.

De

De exclamatione horum verborum: Benedictus Iesus fructus ventris tui.

29. EST frater ordinis Prædicatorum VValterus nomine de Meseburgo, vir nobilis & religiosus valde, qui præbenda cathedralis Ecclesię in Treueri derelicta, nec non & alijs possessionibus magnis, sub annis ætatis suæ sexdecim Prędicatorum ordinem introiuit, & in tantum religione & scientia profecit: vt Prior in multis domibus, & lector in ordine magnificus haberetur. Hic à quodam Principe imperij vocatus multa instantia, venit vt ei ad salutem consuleret, & eius cōfessionem audiret. Præcedenti ergo nocte postquam principem de mane auditurus erat, mecū thalamo vno, in domo iacebat. Intempestæ autem noctis silentio clamare validè cœpit, quasi in somnis: Bene dictus Iesus, benedictus Iesus, benedictus Iesus fructus ventris tui. Quo audito mirati sumus pariter & gauisi. Mane igitur facto, conueni secretiùs dictum fratrem: quid, sic clamans validè, somniasset, interrogans. Qui respondit: In consuetudinem, inquit, duxi multis annis, vt in salutatione Angelica nomen Iesus addam, dicens: Et benedictus Iesus fructus ventris tui. Hinc nocte ista factum est, vt nequam ille humani generis inimicus inuidens saluti principis, quem auditurus sum, strangulare me voluit: & ego in solitam salutationis vocem pauidus exclamaui, & hæc me dicente, abcessit.

De

De quadam moniali prædictis verbis per auctorem à diaboli laqueis libera.

SImile quid accidit mihi, vt cùm illam nobilem iuuéculam, relictam Frederici filij Comitis de Vienna à ſeculo reuocaſſem, & ad Ciſtercienſem ordinem adduxiſſem, illaque primò grauiſſimis pulſaretur dæmonum inſultibus, viderem quòd diabolus à dextris eius ſtabat, & eam ad ſe fortiter trahere conabatur. Ego autem ex aduerſo ſtans, & eam * ad volitum * retrahere non valens, clamaui audientibus fratribus, qui mecum erant: Benedictus Ieſus fructus ventris tui. Nec mora, iuuencula liberata eſt, & in ordine perſtitit, tantùmque profecit, vt abbatiſſa effecta ſit & cuſtos collegij virginalis: Hic idem frater eſt, qui illam nobiliſſimam puellam filiam Comitis de Vienna, vt poſtea dicemus, & ad ſtatum vitæ perfectiſſimum adduxit, & in miris & inauditis tribulationibus, lacrymis, & precibus continuis conſtantiſſimam conſeruauit. 30.

Pſal. 108.

2. imp. à vomitu. ms. p. ſ. addit mihi.

hoc c. p. 33.

De religioſo Ciſtercienſi per Virginem Mariam peccati veniam conſecuto.

REtulit quoque mihi frater ordinis Prædicatorum, de cuius veritate & ſinceritate non dubito, miraculum de glorioſa Chriſti matre planè pijſſimum. Vir quidam longo tempore deuotus Deo, ordinem Ciſtercienſem intrauit, in quo, etſi diu ſanctè vixit, tandem tamen, & diabolo tentante deuictus in peccatum cecidit, & multis per hoc occaſionem ſcandali dedit. Pro 31.

quo, vt in ordine illo consuetum est, grauissimè tribulatus, ad cor tandem cum amarissima pœnitentia rediit, & se ad gloriosam Christi matrem totaliter in lacrymis & precibus contulit. In magno igitur luctu tempore non modico positus, tandem die quadam orauit, & raptus in excessum mentis gloriosam Virginem vidit, & in brachio eius quasi lactentem puerum paruulum, super omnem pulchritudinem speciosum. Qui cùm videret pro se filio matrem supplicantem, instabat ille, se à peccato & tribulationibus liberari rogitans, & ad gratiam vitæ prioris restitui. Sed cum puer quasi renitens, vultum auerteret, & mater econtra puerum in alteram brachij partem transferret, vt commodiùs vultui eius vultum suæ benignitatis ingereret: & ille iterum vultum auerteret: & auersum mater frequentiùs regyraret, tandem post miram & piam * precum instantiā, euicit mater in filio, & vultum eius ad piaculum serenauit, vt peccatum homini ad indulgentiam, & statum prioris vitæ ad gratiam condonaret. Quid mirum? Mariæ enim speciali priuilegio concessum est, vt secundum Prophetam, vtrumque possit arguere, & manum ponere in ambobus.

ms. b. c. e. tria imp. supplicationem. ms. s. luctam.

Iob 9.

De vnicorni, eiusq; natura.

32. *Lib. 4.*

QVod in libro de natura rerum apertè valde signatum est, vbi dicitur, quòd in deserto, in quo vnicornis illud ferocissimum animal in morte hominum grassatur atque ferarum, puella virgo relinquitur. Qui adueniens, omni ferocitate deposita, casti corporis pudicitiam in virgine veneratur, & reclinans caput in sinu

ſinu virginis ſoporatur. Cuius cornu, vt vidimus in Brugenſi eccleſia Flandriæ ſeptem pedum in longitudine, virgo manibus apprehenſo, flexibilem reddit, & animis moderatum: ita quòd quandoque capitur & occiditur, vel ad ſpectaculum exhibetur.

Eius proprietas myſticè expoſita.

QVid in vnicorni ferociſſimo animali, niſi Christum ſignificatum accipimus, qui vnicæ poteſtatis eſt, quia non eſt poteſtas quæ com- 33.
paretur ei: & poteſtas eius poteſtas æterna, quæ Dan. 7.
non auferetur: qui ante incarnationem puniendo
angelos in cælo propter ſuperbiam: in terra ho- Iſa. 14. Gen. 3.
mines propter inobedientiam. Sodomitas pro- Gen. 19.
pter luxuriam: filios Iſrael propter murmur ſiue Num. 11.
crapulam, ſæuiebat.* Hinc nullo audente contradicere ſæuienti, clamans conqueritur Iſaias: ms. p. 2. imp. huic
Non eſt, inquit, qui conſurgat & teneat te. Et Iſa. 64.
vide quàm verè & quàm rectè conqueritur. Neque enim hoc angelus in cælo, neque ſanctus in terra præſumpſit. Sed illa pulcherrima mulierum Maria, virgo ſtirpis Dauidicæ in deſerto mundi, Cant. 1.
à filio Dei, mediante Angelo paranympho inuenta eſt: Luc. 1.
cuius pulchritudinem virtutum, & ſapientiam, & pudicitiam caſti corporis veneratus, illectus eſt, & in ſinu vteri virginalis caput altiſſimæ diuinitatis ſuæ humiliter inclinauit. In quo nouem menſibus ſoporatus, in tantum à ſua ferocitate deflexus eſt, & animo moderatus, vt ſe capi permitteret & occidi manibus Iudæorum. In- Matt. 26. & 27.
deque reſurgens, & aſſcendens in cælum, ante cõſpectum paterni vultus & ciuium ſupernorum, in gloriam

gloriam solemnis victoriæ, qua contra dæmones triumphauit, admirabile voluit spectaculum exhiberi. Et inde est, quòd non modò sæuit vnicornis noster Iesus, sicut antiquitus sæuiebat: quanquam & maiores peccatores nunc sint; quàm tunc fuisse probantur, eò quòd salutis veritas magis innotuit, & fomes peccati per mortem eius minoratus sit in peccante. Sed virgo nostra quia mater, propter nos materno iure & fiducia patronali cornu illud vnicæ potestatis obseruat, vt impios quosque peccatores lõganimitate sua patienter expectet, & non, vt olim, mox in scelere feriat delinquentes.

Concludit de beata virgine, quòd satis laudari nequeat, & redit ad exempla virginitatis.

34. SEd quid conor florentissima virgo, pia mater & domina, quid conor prosequi virtutes tuas? Si cuncta mei corporis membra, & omnes guttæ vitalis sanguinis mei verterentur in linguas, potiùs tamen mihil laudis tuæ verba deficerent quàm exempla. Hinc de clarissima in personis virginitatis dignitate, secundũ textus consequentiam aliqua breuiter videamus.

Integritas est cunctis apibus corporis virginalis.

Quòd fluxu carnis virgo corrumpitur & perdit aureolam.

35. MVltorum hactenus fuit opinio: vt si in mulieribus pudoris sigillum integrum perseueret,

ret, habita contritione, & pœnitentia iam peracta, dici tamen debeant & credi incorruptæ, etiamsi aliàs corruptæ sint, & virginitatis aureolam promereri. Dicam ergo illud, etsi à multis odiosiùs audiatur, quod ille incomparabilis scientiæ Magister Albertus, frater ordinis Prædicatorum & scripsit & dixit. Nullo scilicet modo debere virginem reputari, quam sopita sensuum ratione in carnali delectatione fluxus concupiscentiæ polluisset, etiamsi pudoris sigillum intactum, incorruptum, & integrum conseruetur. Alioquin in sexu virili, qui illo sigillo caret, nequaquam virginitatis dignitas haberetur: quod vtique dicere impium esset & absurdum, cùm beatissimus Apostolus & Euangelista Ioannes, virgo sit electus à Domino, & pro eo inter ceteros † magis dilectus. Teneamus ergo quia & in mulieribus, & in viris dignitas virginalis est, & in vtroque sexu sancti aureolam merebuntur.

Hinc in euang. suo hac periphrasi seipsum describit: Discipulus ille quem diligebat Iesus.

Quòd prædictæ velari poßint vt virgines.

36. IN mulieribus verò, etsi verecundiùs per fluxũ concupiscentiæ carnalis aliquæ in mente corruptæ sunt: dum tamen sigillum pudoris à coitu viri integrum perseueret habita contritione & pœnitentia de peccatis, consecrari & velari ab episcopis quasi virgines iure possunt. Et hoc quidem fit ad indulgentiam piæ matris ecclesiæ, quæ in casu, verecundiæ humanæ consulit & pudori.

De

De virginitate ex Augustino.

37. HInc præter ea virginitatis exempla, quæ nostris temporibus euenerunt, ad exhortationem virginum disseramus. De virginitate autem beatus augustinus loquitur, dicens: Multæ quidem contrarios conatus parentum suorum ignitæ ardore superni amoris superauerunt. Iratus est pater, plorauit mater, non curauit illa, cui ante oculos versabatur speciosus forma præ filijs hominum. Huius rei exempla quàm plurima: quorum vnum sub nostro tempore, quod à nobili puella, Maria de Gonnelieu prope Cameracū accepi, vtpote quæ personam cui accidit vidit & nouit, gloriosissimum referamus.

Psal 44.

De Iakelina virgine Romana, sorore Comitis Apuliæ, quæ pedibus mare transiuit.

38. ROmæ quædam virgo sanctissima fuit nomine Iaquelina. Hæc soror nobilissimi ac ditissimi Comitis Apuliæ, sapientia ac decore præstantissima fuit. Quæ cùm á fratre Comite tradi nuptijs cogeretur, assumpto virili habitu clam aufugit. Directis ergo nuncijs per omnes vias. frater eam insequitur via qua fugiebat. Nullum autem effugium soror videns, ad obuium mare se contulit, & crucis signo se muniens in mari se ex alta rupe proiecit. Quod vbi frater vidit, eiulatu magno sorori de rupe clamauit. Soror super omnia mihi carissima, reuertaris ad me. Construam tibi monasterium ditatum copijs, in quo liberè seruias Deo soli. Cuius clamores virgo sancta, quasi surda aure, pertransiens, per

ampla

ampla maris ſpacia procedebat. Et vide quanta virtus diuini miraculi. Nimirum natàndi artis ignara, oculis ac manibus in cœlum extenſis, quaſi per aridam àmbularet, maris profunda tranſibat. Quo tranſito, in deſertiſsimis Græciæ ſiluis tribus annis ſub virili habitu ſanctiſsimo cuidã ſeni eremitæ ſeruiuit, vt ſibi ſpiritualem viuendi modum pleniùs informaret. Inde verens aſtutias & nequitias inimici, ne ſe proderet feminam: quia eremitam erga ſe affici ſolito ampliùs aduertebat, fugit citra mare, in propinquis deſertis Siciliæ habitatura: & ibi ſuper arborem adiutorio cuiuſdam fidelis viri, arcto valde conſtructo tugurio, per nouennium latitauit, eodem ſibi viro ita eleemoſynam miniſtrante, vt numquam propter victum deſcendere cogeretur. Hæc poſtea Romam, ſpiritu cogente, peruenit, & Innocentium Papam tertium, cum omni clero & populo ciuitatis, ſeuera & audaci redargutione permouit. Hic victus eius longiſsimo tempore fuit. Tèr in hebdomada, nullo adiecto, panem cum aqua comedit, & ſuper nudam penitus terram, æquata ceruice pedibus, requieuit.

De Iolenda filia Comitis Viennenſis.

TAlia & his ſimilia de virginibus facta & geſta meo tempore, ſi referrem, potiùs me tempus deſereret, quàm exempla. Vidimus enim plures filias Comitum et Baronum, quæ ſpretis nuptijs, in monaſterijs vel congregationibus virginum vitam cælibem delegerunt. Quarum inter ceteras vnam Iolendam nomine, filiam Viennenſis Comitis vidi, quæ ad prædicationem cuiuſdam fratris ordinis Prædicatorum, VValteri nomine. 39.

hoc c.p.29. & 30. mine, cuius suprà fecimus mentioné, inaudita constantia parentes euicit, vt sponso suo Iesu Christo cum sororibus ordinis Prædicatorum, in valle B. Mariæ, in diœcesi Treuerensi liberè deseruiret. Marienthall. Hæc enim Romanorum moderatoris neptis, & Imperatoris Græciæ consobrina, & Achaiæ principis, soror, à parentibus & amicis præparabatur nobilissimis nuptijs copulari, vt per eam posset eorum posteritas sublimari. Illa autem aliàs intendens, matrem animo sollicitauit dicti loci sorores inuisere. Quò vbi venit, aliàs cum militibus & familia matre intenta, filia, vt prius ordinauerat, vocatis in capitulum sororibus, votum religionis fecit, habitum induit, & impositum responsorium: Regnum mundi, ipsamet inchoauit: Quod dum conuentum lætisonis vocibus prosequentem audit mater, miratur concentum repẽtinæ lætitiæ, mittit vnum ex suis videre quid esset. Renuntiat ille beatissimam Iolendám habitu sacri ordinis insignitam. Quo audito, mater attonita, accurrit filiam rapere furibunda: Nec cunctata immunitatem loci violenter infringere, raptam secum abduxit, & in palatio Viennensi arctissimæ custodiæ mancipauit. Et vide quali constantia vicerit. Cibis tantùm regularibus secundum ordinem contenta, alios comedere nulla violentia cogi poterat. Alia quoque statuta ordinis à quibus corpus vel animus arceri non poterat, vigilantiùs obseruabat. Detracto tantùm illi habitu ordinis violenter, coloratis eam vestibus induebant. Nuditatem enim pati virginalem pudicitiam non decebat. Quid moror verbis? Per Episcopos, Abbates, & prælatos, & per alterius professionis moniales & religiosos diuersi generis tenta-


alias pro aliò poni videtur.

tentabatur. Nec tamen infra triennium, vel ad reditum sęculi, vel saltem ad laxioris vitæ ordinem animum eius conuertere potuerunt. Dicebat enim verbis innitens Apostoli. In ea vocatione qua vocata sum, immobilis permanebo. Parentes igitur & amici à reuocatione illius finaliter desperati, eã redire ad dictum locum & ordinem permiserũt. Vbi tantis exemplis vitæ fulget, vt nulla in ea deesse virtutis dignitas videatur. *1. Cor. 7.*

De sorore sancti Ludouici Regis Francorum.

VIdimus & illam quam minus iustè extremam ponimus, filiam Ludouici Regis Frãcorum, sororem scilicet deuotissimi Regis Ludouici, qui fœlicissimè regnat ad præsens. Hæc desponsata Conrado filio Frederici Romanorum Imperatoris, in virginitate permanere innuba præelegit. Quæ soli Deo vacans, adeo contemplationi deditur & virtuti, vt nulla ei cura in vllis transitorijs videatur. Sed & ipsius frater, quem diximus, Rex deuotissimus Ludouicus, in tantum amplectitur virgineæ dignitatis pudicitiam consectantes, vt Parisijs collegerit Beghinarum maximam multitudinem, vt se in humilitatis obsequijs exerceat & salute. 40. *nomen ei Isabella.*

De




De fuga peccati contra naturam.

CAPITVLVM XXX.

Apes nullo inter se concubitu miscentur: nec in libidinem resoluuntur.

1. *Diuersi modi luxuria.*



SApienter & bene verba distinxit. Coitus etsi naturalis est maris & feminæ, tamen ad fornicationis vel adulterii pertinet malũ. Resolutio verò in libidinem, innaturalis vicij tangit crimen. Et hoc fit dupliciter, vel per se, vel per alium: quod sex dici potest omnium peccatorum.

Erubescunt dæmones de vicio contra naturam.

2. ET quidem de dæmonibus incubis in diuersis libris expositorum legi: vt in libris Augustini super Genesin contra Manichæos, & † alijs multis locis. De dæmonibus verò succubis me numquam legisse memini. Et in hoc notatur, quòd vicium contra naturam dæmonibus est etiam verecundum, quod Glossa velle videtur super illum locum Ezechielis 16. vbi dicitur: Dabo te in manus Palæstinorum, id est dæmonum, qui etiam erubescunt de via tua scelerata, vicium contra naturam intelligens.

Vt lib. 15. de Ciuit. Dei c. 23. & in quæst. sup. Gen. ad c. 6. Glossa ord. ad hunc locum.

Mulierem peccantem dæmon abominatur.

MIhi per plures annos in Episcopatu Cameracensi vices gerenti Episcopi in confessionibus audiendis, quædam mulier cum maximo mœrore & pudore confessa est, se assuefactam hoc scelere in lectulo lasciuisse, dæmonemque inter se & parietem cum cachinno clamantem audisse, fi, fi, fi, interiectionem significans indignantis. Qua voce confusa mulier, eadem hora cucurrit ad me, & beneficio absolutionis accepto, pœnitentiam, etiam vltra quàm statui, amarissimam egit. 3. *Vide annot.*

Quomodo dæmon alteri mulieri sordidè peccanti comminatur.

SEd & aliam per idem ferè tempus audiui, quæ cum multis lacrymis mihi confessa est, se in consimili vicio polluentem, audisse vocem dæmonis sibi dicentem: Age misera, age quod agis, bene tibi soluetur in proximo quod nunc facis. Nec multò pòst, vbi mulier confessa est, & à peccato resilijt, ex timore maximo mortem incurrit, & quod hîc per pœnitentiam non expleuit, in purgatorio diris pœnis exsoluit. 4.

Dæmones miseram defunctam effodiunt in figura scrophæ.

RIcharda quædam huius vicij, vt mihi certissimè relatum est, nefandissima vetula fuit, quæ multis annis in monasterio degens, 5.

nihil tamen religionis in eo cõsecuta est aut virtutis: immo tantò erat deterior, quantò magis professa fuerat sanctitatem. Mortua ergo, in claustro sepulta est. Nec mora, sequenti nocte scropha nigerrima cum porcellis septem coloris eiusdem, manifestè visa est claustrum intrare, sepultamque vetulam effodere, & membratim eius corpus miserabile laniare, & viscera eius longo tractu per claustri ambitum dissipare. Quo facto, cum porcellis scropha disparuit, & post se fœda vestigia dereliquit. Et notandum valde ac mirandum est, quòd nonnullæ ex monialibus claustri scropham cum porcellis videre non poterant, sed grunnitum eorum clariùs audiebant. Certum quidem est, quorumdam oculos minus esse habiles dæmonum phantasmata cernere, aliquorum verò natura perlucidos, vt eis possint dæmones in assumptis corporibus non latere.

Cur quidã scropham nõ viderint.

De clerico, qui colubrum inter crura reperit.

6. VEnerabilis Bonifacius quondam Lausanensis Episcopus, nunc rector in Theologia Parisijs, mihi tunc & multis alijs retulit, quemdam clericum se in confessione audisse, qui malo assuefactus vsu, illicitis se contrectationibus ad libidinem prouocabat. Proh nefas auditu! Et vide quid sequitur, vbi hoc semel, vt erat solitus, attentauit, manu inter crura loco virilis membri colubrum apprehendit. Quo in facto horrore percussus, ad confessionem mox venit, & in multis lacrymis pœnitentiam egit.

De enormitate huius peccati.

ARistoteles in libro de animalibus auctor est, qui dicit, quòd nullum animal eijcit semen extra nisi homo: & in hoc ordinationi naturæ contrarius est plus quàm pecus. Peccatum contra naturam tantum malum Hieronymus esse dixit: vt pro eo filius Dei multo tempore distulerit incarnari. Hoc etiam tantum est, vt Augustinus dicat: Deo naturæ veniente in carne, omnes hostes naturæ (Sodomitas intellige) morte reproba ac subita periisse. 7.

De clerico immundo desperatè moriente.

ADolescens adhuc sodalem habebam in scholis parilium studiorum, carum valde, pudicum & bonum: sed heu postmodum à magistro quodam suo, per huius vicij crimen deprauatum. Admonitus autem per me, & alios amicos & familiares suos, cur ipse tantæ nobilitatis vir, talis turpitudinis infamiam pateretur, cessauit ille pluries, sed semper iterum in pristina labebatur. Ad hunc igitur euentum damnabilem res nefanda peruenit. Venerunt ad eum in ciuitatem, in qua erat canonicus, viri nobiles eius consanguinei, & apud eum hospitati sunt, cum multo seruientium comitatu. Facta autem cena, cùm se locatis hospitibus, iuuenis sopori dedisset, vix clientibus soporatis, terribiliter clamare cœpit, & auxilium fortiter inuocare. Ad domini ergo sui clamorem clientes turbati surgunt, & rationem nullam in eius clamoribus aduertentes, concanonicos & Decanum accersiunt. Concitus ille 8.

venit, ad lectum reſidet clamitantis, confiteri peccata iuuenem adhortatur, & diuinum, non humanum auxilium inuocare. Hęc cùm Decanus ei magnis vocibus inclamaret, tandem poſt diutinam Decani clamantis vocem, cum terribilibus oculis inſpexit, dicens: Væ illi, qui ſeduxit me. Ad quid, ad quid ſuper me diuinum adiutorium inuocabo? Ecce iam video patulum infernum, pręſentes dęmones, & ad rapiendum me terribiliter inhiantes. Cumque omnes, vt ſe potiùs ſignaret, cum lacrymis inclamarent, ille quaſi nihil aduertens, clauſis oculis faciem auertit, & cum diris clamoribus animam exhalauit.

De alio viro poſt hoc ſcelus diuina vindicta percuſſo.

9. Similis in vicio quidam de Epiſcopatu Cameracenſi cum ſacerdote ſuo accedens ad me, rogabat vt eum abſoluerem, quem recidiuantem per annos plurimos abſolueram, & pœnitentiam ei iniunxeram ſalutarem. Quem, cùm ad diœceſanum Epiſcopum mittere vellem, quaſi grauiùs affligendum, à ſacerdote rogatus ſum, vt tali conditione abſoluerem pœnitentem, vt flexis genibus coram nobis rogaret Dominum, vt ſi poſtmodum recidiuaret in ſcelere, eum mox vindicta diuina puniret. Conſenſi ergo conditioni, & heu mihi miſero quòd conſenſi. Mox ille flexit genua, & vindictam in ſe recidiuantem precatus eſt. Abſolui eum, receſſit gaudens: ſed feria tertia aut quarta poſt ſanctum paſcha, inſtigante diabolo, paſſus eſt recidiuum, moxque horrificè clamans: Vindicta Dei ſuper me, vindicta

Dei

Dei ſuper me, vt mihi poſtea ſacerdos retulit, amariſſima morte mulctatus eſt.

De alio ſub cuius greſſibus herba areſcebat.

VIdi & quemdam huius vicij nefandum virum, de quo mihi vir boni teſtimonij preſbyter referebat: quia cùm ille per viride pratum anteiret, presbyter verò ſequeretur, inuenit veſtigia præeuntis, in gramine, quaſi igne contacta manifeſtiſſimè palluiſſe. Quem & nos poſtea percepimus pro vita ſceleratiſsima, morte turpiſsima perijſſe. Nullum enim peccatum tam ſæpe Deus reproba morte condemnat. 10.

Quòd vix curatur tranſacto XXXIII. anno morbus nefandus.

DIcunt nonnulli, & verè credo, quòd nullus talis vicij, poſtquam tempus vitæ mortalis Chriſti, quod ad annos ferè triginta tres extenditur, in ſcelere perſeuerans exceſſerit, niſi ſpeciali miraculo redemptoris poterit liberari. Quod frequenter in eo probauimus, quòd etiam octogenarios & centenarios iſto crimine per confeſſionem inuenimus irretitos. Quid mirum? omne tempus, quod Chriſtus vixit, morum diſciplina fuit. Qui ergo, ſpreto tempore, quod ad pœnitentiam habiliſsimum indicat amicus naturæ, qui Chriſtus eſt, ab hoſtilitate naturæ conuerti neglexerit, vix vmquam poſtea ſine difficultate permaxima, ab hoc ſcelere continebit. 11.

De loco sessionis hoc crimine infectorum.

12. BEatæ memoriæ magister Petrus quondam cantor Parisiensis, cuidam mihi noto narrauit se vidisse locum in gramine, vbi de vespere quidam clerici hoc vitio infecti consederant; de mane, omnibus circa locis abundantissimo rore infusis, sine vllo rore, quasi sceleris conscium, siccissimum remansisse.

Quòd steriles sint à gratia Dei, & vix confitentur.

13. IN libro Sapientiæ * apertè satis de Sodoma
ms.b.c ter. imp.op è. Sap. 10. dicitur: In testimonium, inquit, nequitiæ fumigabunda constat deserta terra. Et hoc iustè in gente, quæ ita exarsit. In siccitate etiam illa loci illius, qui expers mansit à rore, sterilitas denotatur, quæ fit in talis vicij gente impia. Vnde
Psal. 57. psalmus: Errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa: quia vix perfectè & integrè tales confitentur.
1.Mac.9. Vnde vir ille fortissimus Iudas, qui tot victorijs fuerat insignitus, deuictis ad dexteram hostibus, sinistro cornu, cui Bacchides præerat contritus est & occisus. Sic multi confiteri volentes, de peccatis communibus & assuetis audacter se expediunt confitendo, & cùm ad inusitata peccata, sicut sunt innaturalia, venerint, pudore erubescentiæ præuio segniter obruuntur. Vnde bene Sodoma interpretatur muta. Quãdiu tales muti sunt, Spiritus sanctus ad eos intrare non potest.
Iob 7. Quapropter Iob dicit: Non parcam ori meo, sed loquar in tribulatione spiritus mei, & confabulabor in amaritudine animæ meæ.

De peccatorum confeßione ex Seneca.

QVid autem & Philoſophus de confeſſione peccatorum videatur dicere, in medium proferamus. Proximum, inquit, ad innocentiam tenet locum verecunda peccati confeſſio. Somnium narrare vigilantis eſt,& vicia ſua confiteri, ſanitatis indicium eſt: Non prodeſt latere peccantibus: quia etiamſi latendi facultatem habent,fiduciam non habent. Tuta eſſe ſcelera,*ſecura eſſe non poſſunt. Maxima enim pœna peccantium eſt,peccaſſe. Nec vllum ſcelus licet illud fortuna exornet muneribus ſuis, impunitum eſt: quoniam * ſcelus in ſcelere ſupplicium eſt. Aliquem ergo habeat omnis homo ſecretum, quem vereatur, qui conſcius ſui ſecreti ſit, cuius auctoritate ſecretum corrigat ſi errauerit.] 14.

Apud Sen. in pro.
Sen. ep. 54.
Ep. 98.
adieci (ſecura) ex or.
or. ſceleris.
Ep. 11.

Ad confeßionem exhortatio ex Auguſtino.

TAles conſolatur & animat ad audaciam vir ille curialiſſimus & humaniſſimus Auguſtinus. Quid, inquit, erubeſcis ô homo confiteri? Peccator ſum ſicut & tu. Confitere ergo homo homini: peccator homo,homini peccatori. Quid times confiteri? homo ſum, humanum à me nihil alienum puto. Quid times confiteri? Id quod per confeſſionem ſcio minus ſcio, quàm id quod neſcio. Confiteri times, qui non confitendo non potes eſſe occultus. Elige quod vis. Si non confeſſus lates, inconfeſſus damnaberis. Ad hoc enim Deus exigit confeſſionem, vt liberet humilem: ad hoc damnat non confitentem, vt puniat ſuperbum. 15.

Terent. in Heaut. act. 1.
Aug. in Pſa. 66.

bum. Ergo tristis esto antequam confitearis, confessus exulta, quia iam sanaris. Ipse est iudex tuus, protector tuus. Præuidet enim & præuenit
Psa. 94. faciem eius in confessione, propter quem & per quem confessus est. Aget causam eius & defensor est pœnitentis, & petitor veniæ confitentis. Confessus ambula securus, & exulta iam in via, noli timere iudicem: adiutor tuus, iudex tuus: antequam esses confessus inuenisti saluatorem. Impium te quæsiuit, vt redimeret: redemptum desere-
Psa. 68. ret, vt perdat?] Aperias in confessione peccator os tuum: ne claudat super te puteus os suum. Et nota quòd puteum dicit infernum hîc. Quid hinc temporibus meis acciderit audiamus.

De presbytero sub terra plangente, qui gulæ & luxuriæ deditus fuerat.

16. ERat in villa Bruccellensi Brabantiæ sacerdos quidam, vita & moribus plurimùm inhonestus. Hic gulæ & luxuriæ deditus, nihil ferè videbatur aliud meditari. Post finem autem annorum paucorum, postquam presbyter fuerat ordinatus, iusto Dei iudicio impræmeditatè defunctus est. Nec multò pòst, quidam presbyter, commensalis eius & socius, cùm in crepusculo noctis viam ageret extra villam: audiuit miserabilem vocem quasi de sub terra plangentis. Consternatus autem presbyter: quisnam esset cuius vocem audiret, cruce se consignans, inquirit, dicens: Quis es tu? Et vox: Ego, inquit, sum infelix ille socius tuus. Et rursus presbyter: Quomodo, inquit, ti-
Isa. 29. bi est, & quare de humo eloquium tuum? Cui ille, dato rugitu maximo: Væ, inquit, mihi, væ, væ, quoniam

quoniam clausit super me puteus os suum. Et *Psal. 68.* cùm quasi pennigero volatu vox plangentis deferretur, in longum audita est.

De eo, qui hunc audiuit, nec se correxit.

Mirabilius tamen intelligas, ipsum qui hoc audiuit presbyterum, in nullo prorsus vitam suam miseram correxisse: sed morte turpissima obijsse, & fœda nequissimæ conuersationis vestigia posteris reliquisse. 17

De alio, qui se correxit.

Vidimus tamen quemdam multarum * diuitiarum & possessionum presbyterum, qui priioris audita damnatione presbyteri, omnia penitus caduca dimisit, & religionem Cisterciensem intrans, bene vixit, & obijt. Nota ergo, quia illi ad cumulum damnationis, & isti ad vtilitatem corectionis res ista innotuit. 18. *ms. p.s.2. imp. delitiarum.*

Hortatur ad diligentem castitatis custodiam

Videant itaque fidelium & potissimè claustralium apes, ne inter se coitu misceantur. Inductum enim generale diluuium tempore Noë legitur super terram, eò quòd filij Dei filiabus hominum miscebantur. Et ecce plus quod modò fit, vbi non solùm filij Dei filiabus hominum, sed etiam filiabus Dei, quod grauius est, religiosi scilicet feminis religiosis miscentur. Heu vidimus, & hoc frequenter, quòd quidam, secundum dictum Apostoli, spiritu cœperunt, 19. *Gen. 6.* *Gal. 3.*

& carne

& carne consummati sunt. Voluerunt quidam, & vtinam bono modo, filias facere spirituales: & eas fecerunt postea concubinas. E conuerso nonnullæ feminæ ex viris spirituales filios facere voluerunt, quæ postea carnales matres effectę, ex filijs spiritualibus carnales filios pepererunt.

De duobus concumbendo mortuis.

20. DE concubitu ergo talium, narrante mihi sanctissima abbatissa ordinis Cisterciensis, quid nostro tempore in Burgundia accidit, videamus. Presbyter quidam, nomine tantùm sanctus & castus, monialem quamdam altioris ordinis iuuenculam, sub religionis specie, * procurabat. Nacta ergo occasione, cum socia seniore, iuuencula monialis presbyterum visitauit. Post lautos autem cibos & potum immoderatum, monialis in loco vno, & presbyter in altero quieuerunt. Mane itaque facto, vetula monialis sociam iuuenculam ad matutinorum executionem officij nisa est excitare. Quam cùm strepitu primò, quia silentium tenebat, deinde pulsationibus attentasset, nec profecisset, surgens quæsiuit sociam, nec inuenit. Vnde stupefacta thalamum sacerdotis ingreditur, & ambos in coitu mortuos, presbyterum & monialem, coniunctosque pariter, & cruribus brachijsque inflexis turpiter, ita vt irrigidati nulla arte separari possent ab inuicem, in lecto iacentes inuenit. Turbata ergo cum tota familia monialis: cùm pro confusione factum celare vellent, nec possent, cum horrore & scandalo multorum, sicut inuenta fuerant, amborum simul cadauera sunt sepulta.

ms. s. prochabatur.

Quæri-

Quæritur an illud naturaliter, vel miraculosè factum sit.

SEd & hîc quæri poteſt: Si miraculosè an naturaliter factum ſit quod narraui. Et reſpondeo, quòd miraculosè & naturaliter fieri potuit. Miraculosè ad exemplum facti deteſtabilis, vt vitetur: naturaliter, quia præ nimio ardore libidinis, in ipſo luxu & delectatione coitus, exhauriuntur ſpiritus animales, & cor nimiè dilatatum reclusionem non recipit, ſubitis motibus interceptum. 21.

Deteſtatio luxuriæ ex Seneca.

QVid autem de luxuria & turpi amore & impudicitia Philoſophi ſentiant, audiamus. Luxurijs homines dediti, voluptatibus ſe immergunt, quibus in conſuetudinem adductis carere non poſſunt, & ob hoc miſerrimi ſunt, quòd eò peruenerunt, vt illis, quæ ſuperuacua fuerant, facta ſint neceſſaria. Seruiunt voluptatibus, non fruuntur, & mala ſua, quod malorum vltimum eſt, diligunt. Tunc autem conſummata eſt infelicitas, vbi turpia non ſolùm delectant, ſed etiam placent, & deſinit eſſe remedio locus, vbi, quæ fuerant vitia, mores fiunt & ſunt. Neceſſe eſt enim vt in immenſum exeat cupiditas, quæ naturalem modum tranſilit. Ille enim habet finem ſuum: inania autem & ex libidine orta ſine termino ſunt.] Conciliari niſi turpi ratione, turpis amor non poteſt.] Etſi fœdum, delectationis tamen commodum luxuriantem ſequitur: conciliantem 22. Sen. ep. 39. Ep. 29.

ſiantem verò turpia, nullum, & hunc turpiſsimum iudico. Quantò inhoneſtior turpitudo luxuriæ prædicatur: tantò honorificentior pudicitiæ caſtimonia comprobatur. Eſt autem pudicitia virorum ac mulierum præcipuum firmamentum, cuius nominis reſpectus ſincerus iuuentutis
ms.p.permanentis. flos * permanens, qua cuſtode matrimonialis
ms.b.tria imp.ſtola. * ſtola cenſetur. Duæ voluptates ſunt guſtus & tactus hominibus communes & beſtijs. Et ideo in pecudum numero habendi ſunt, qui his ferinis voluptatibus deſeruiunt. Dum quidam ſtolidus, audiente Pythagora, diceret: Malle ſe cum mulieribus, quàm cum Philoſophis conuerſari: Et ſues, inquit, in cæno quàm in floribus volutari.

De ſex vijs ad fornicationem ducentibus

23. AT quoniam ad omnem terminum via ſemper dirigit, de vijs per quas ad fornicationis lapſum improbè peruenitur, aliquid latiùs diſ-
ms p. 1.2. imp. omit. ſeqq. vſque ad p. 24. ſeramus.* Ad effectum autem huius vitij ſex viæ poſſunt aſsignari. Prima conſiſtit in cogitatu turpi & immundo. Secunda in viſu vel aſpectu inordinato. Tertia in conciliatricum mediarum alloquio. Quarta in verbo vel colloquio luxurioſo. Quinta in oſculo laſciuo vel incaſto. Sexta in contactu membrorum illicito.

De prima via, & quomodo vitanda.

24. COgitationes malas & turpes conſenſum, aut malam voluntatem præcedere, certiſsimum eſt. Et hæc via prima ad fornicationem. Has cogitatio-

gitationes maximè polluentes nostræ orationis sacrificium, virga crucis, qua Deus pater filium verberauit, cum Abraham abigamus. Vnde Isaias: Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Peruersæ enim cogitationes separant à Deo: probata autem virtus, subaudi crucis, corripit insipientes, dæmones vtique, qui nos vexant in cogitatione maligna.

Gen. 15.
Isa. 1.
Sap. 1.

De arbore quadam, & eius mysterio.

25.
Lib. 11.

QVod in libro de natura rerum apertissimè designatur. Ait enim: Peredixion arbor est in Perside, & interpretatur circa dexteram. In hac columbæ, quæ fugiunt serpentes volatiles: tum propter tutelam, tum propter fructum eius, quo mirificè delectantur, libentiùs requiescunt. Nec mirum. Non solùm enim odor eius, sed & vmbra serpentes vexat, ita vt eam vitent attingere. Quid in hac arbore nisi crux Christi? Quid in dextera nisi mater eius, quæ iuxta crucem stetit. Et quid in serpentibus, nisi dæmones, qui columbas, id est, sanctas animas, validè persequuntur? Huius non solùm odorem virtutis,* quem in fructu Christus contrahit, verùm etiam & vmbram, hoc est crucis signum, fugiunt & abhorrent: quia teste Augustino: Vbicumque crucis Christi signum cum fide præcesserit, nihil ibi nocere poterit inimicus. De hac arbore sancta, ecclesia lætabunda cantat in hymno.

Ioan. 19.
1. imp. quæ. ms. b. qm.
Aug ser. 19. de sanctis secundum sensum.

Crux fidelis inter omnes
Arbor vna nobilis:
Nulla silua talem profert
Fronde, flore, germine.

Dominica pass. & in fest. sanctæ Crucis.

Huius

Cant.2. Huius fructum in Canticis sponsa dicit dulcem gutturi suo.

De animi custodia ex Seneca.

26. QVòd autem arcendus sit animus à cogitatione mala, Philosophus eleganter ostendit, dicens: Non citò ruinam patitur, qui ruinam timet.] Nullus maior est quæstus, quàm quòd cor arceas, antequam capiatur. Penes enim animum est, effugere siue capi. Et hoc planè probatur sic. Omne peccatum actio est; omnis autem actio * voluntatis: ergo omne peccatum voluntarium. Omitte ergo excusationem, quia nemo peccat inuitus. Sunt quorum corpus innoxium est, & in mille facinorum furias mens vitiosa discurrit. Nihil peccant oculi, si oculis animus imperet.]

Apud Sen. in pro.

In pro. or. voluntaria.

De puella nimio amore subitò extincta.

27. QVantum autem malum sit cogitationes fouere peruersas, & per eas allici ad consensum, sub exemplo ponimus euidenti. Vidi virum in Brabantiæ partibus decore virtutis & forma conspicuum: quem iuuenem puella lasciuiens impetebat. Nefas autem ducens iuuenis virginem deflorare, stuprum renuit, & aufugit, & in conspectu familiæ domus quasi tutus à puella resedit. Quem illa inuerecundiùs insecuta super eius genua se locauit, & dato graui suspirio animam miseram, euersis luminibus, exhalauit. Quem virum grauiter contristatum, quasi reum subitæ mortis in puella, prout potui confortaui, & eius constantiam, ac rectum Dei iudicium in defun-

ctam, sicut debui, collaudaui.

De secunda via ad fornicationem.

SEcunda via ad fornicationem est luxus oculorum in visu: Quod Ieremias euidenter conqueritur, dicens: Animam meam deprædatus est oculus meus. Quod vtique patuit in Dauid, qui incautê visa Bethsabee, captus est oculis, & cum adulterio crimen proditionis & homicidij perpetrauit. Et propter hoc solicitus orauit in psalmo: Auerte oculos meos ne videant vanitatem. 28. *Thren. 3.* *2. Reg. 11.* *Psa. 118.*

De muliere, ne concupisceretur, oratione sua reddita leprosa, & iterum restituta & sanata.

IN partibus Sueuiæ, quas Alemannia continet, sicut à fratre Waltero, quem suprà posui, nuper audiui: mulier quędam deuotissima erat & nobilis, pulcherrima etiam secundum carnem inter omnes patriæ feminas reputata. Ad hanc videndã cũ multi nobiles & potentes sæpius conuenirẽt, & illa pro visitatione huiusmodi grauiter sæpius turbaretur, ne scilicet curiosè videntibus occasio scandali præberetur: quia secundũ Philosophum: Magno cum periculo custoditur, quod multis placet: oratorium suum sola semel intrans, fusis ad Dominum lacrymis dixit: Video mihi Christe Iesu ex carne, qua induisti me, periculum imminere. Licet enim animum meum fortiter fixeris, vt nulla prorsus vanitate commouear: tamẽn non modicùm pertimesco, dare me posse causam debilibus, vt tentationum cupidine aliquatenus agitentur. Rogo ergo te misericordissime pater & 29. *Cap. 29. p. 29. 30. & 39.* *Apud Sen. in pro.*

Domine,

Domine, vt ſpeciem meam in tantam fœditatem commutes, vt ſit carnis miſeræ turpitudo in horrore potior, quàm pulchritudo fuerat in honore. Hoc dicto, ſtatim lepra fœdiſſima contabuit vultus illius: eruperunt puſtulæ: oculi tumuerunt: os lacerum ineptè patuit; naſuſque gibboſa deformitate contortus, alienam penitus faciem demonſtrauit. Nec mora egrediente illa, occurrit maritus, vixque eam * tantùm per † habitum cognoſcens, quærit ſi ipſa ſit. Et ea dicente: Ego ſum, mox ille totus inhorruit, & vt vidit familia, omnes ſimul exclamant in planctum, mirantes præcipuè, quid tam ſubitò dominæ ſuę contigiſſet. Turbatis itaque parentibus illius, notiſque omnibus & amicis, conſulitur phyſicus. Reſpondet incurabilem eſſe lepram, nihilque aliud eſſe conſilij, niſi quòd extra habitationem hominum collocetur. Quod vt factum eſt, & audiuit frater ordinis Prædicatorum, qui eius confeſſionem audire ſolebat, venit ad illam, & mirè gaudentem inueniens, quęrit cauſam inopinati & ſubiti morbi. Quam vt illa per ordinem enarrauit: frater ipſe turbatus & miratus non modicè, increpauit eam, dicens: O miſerrima & ſtultiſſima mulierum, quę in contumeliam & periculum viri tui, opus Dei in te precum inſtantia deſtruxiſti, parenteſque & amicos tuos, qui Deum laudauerunt & venerati ſunt in te, ad blaſphemandum nunc per tale infortunium coëgiſti. Age nunc chariſſima, inſiſte precibus, & ad contrarium geſtę rei diuinam miſericordiam interpella. Hoc dicto, receſsit frater. Illa autem totaliter in lacrymis reſoluta, orauit ad Dominũ, dicens: Domine pater & dominator vitæ meæ, vt liberiori mente & puriori

f. tandem.
i. veſtitum.
Eccli. 23.

riori ſpiritu ſeruirem tibi, hoc in me flagellum lepræ à tua bonitate fidis precibus expetiui: ſed quia audio à patre meo ſpirituali, cui me tota deuotione commiſi, contra ſalutem meam hoc à te omnium Domino petiuiſſe, rogo te per tuam benigniſſimam charitatem, vt in me tuum plaſma reſtituas, ſecundum quod tuæ placuit optimæ voluntati. Mira res. Vix verba compleuit, & in tanta claritate cutis, & elegantia formę ſubitò facies eius reſtituta eſt, vt nec in ea vnius rugæ veſtigium, vel tenuiſſima ſaltem macula remaneret. Quo viſo gaudet miles, & vxorem reputat ſibi quaſi redditam rediuiuam: exultat familia: fama geſtæ rei diffunditur: lætantur amici, applaudit & patria: & inclyta Chriſti pietas ore omnium collaudatur. Et vix quidem miles anno dimidio ſuperuixit. Tunc inclyta mulier eius, non immemor bonitatis Chriſti, cum filia vnica, quam habebat, & poſſeſſionibus vniuerſis ad monaſterium
ſororum ordinis Prædicatorum tranſijt, quod *ms.p. Liemberch. s. Kerberch. 2. imp. Heinberch.*
* Liemberchum dicitur, & in eo auctore, Deo,
religioſiſſimè conuerſatur.

De oculo impudico.

VIde ergo lector, conſidera virtutem in femi- 30.
na, quæ in tantum horruit oculum impudicum, vt in ſe precum inſtantia lepræ plagam
acciret. Quid mirum? Nequius oculo quid crea- *Eccli* 31.
tum eſt? Ideo Moyſes in lege inhibet filijs Iſraël, *Num.* 15.
ne ſequantur cogitationes ſuas, & oculos per res
varias fornicantes. Et Eccleſiaſticus: Oculus *Eccli.* 14.
malus ad mala non ſatiabitur, ſed in triſtitia erit ſemper. Non ab re Dominus in Euangelio

Mat. 18. dicit: Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te. Quamquam hoc ad litteram durum ſit intelligere, quin potiùs per oculum nequam, concupiſcentiam malę voluntatis intelligas: & hanc eijciendam à capite cordis, proiiciendamque, mutato propoſito, ne in factum prodiens, prolabaris; & ſic ſcandalizeris à proximo, & per conſequens proximum ſcandalizes.

De Guidone paſtore Beghinarum Niuellæ, quomodo carnis tentationem extinxerit.

31. VIdi ſanctum virum magiſtrum Guidonem, presbyterum Beghinarum in Niuella: de quo certiſsimè ferebatur, quia cùm in Sonegio opido Hannoniæ ſcholas regeret adoleſcens, incautè ſemel feminam contemplatus, per annos tres, etiam ipſa mortua, in tantum tentatus eſt: vt excepto eo, quod vigilans ſuſtinebat, omni nocte in ſomnis crederet eam eſſe præſentem. Sentiens ergo circa ſe diabolum non ceſſare; de nocte clam tumulum mortuę mulieris aperuit, nareſque & faciem in cæno putrefacti corporis tam diu tenuit, vt penè fœtore nimio ſuffocatus, quaſi mortuus caderet reſupinus. Quę res in tantum valuit ſancto viro, vt nullum poſtea ſtimulum in carne ſentiret.

De eiuſdem beato obitu.

32. DE hoc illud ſecretum accepi, quòd ſtatim, vbi dicti viri beata anima pro conditione carnis, corpus exiuit, cuidam ad quatuordecim miliaria longè poſito per viſionem apparuit, & cuius

cuius esset meriti, lapis preciosus, quem in pectore portare videbatur, ad illustrandum totum orbem idoneus & clarus, ostendit. Nec mirum, vt qui multorum corda ad cognitionem veritatis illustrauerat verbo Dei, & virtutis exemplo, felix eius anima tanto lumine potiretur.

De oculo beati Ludouici Cathalonensis Episcopi incorrupto.

SAnctus † Ludouicus Cathalaunensium Episcopus, fuit vir corpore venustissimus & pudicus. Quem vt vidit quædam Galliarum regina, oculos coniecit in eum, & oportuno loco vocatum, ad concubitum inuitauit. Quam ille toruo vultu, & oculo indignanti despiciens, verbis mirificis confutauit. Cuius oculus post mortem, etiam in sicco cadauere extingui vel caligari non poterat, vt mihi & multis alijs audientibus magister Ioannes de Firmitate, abbas quondam regularium canonicorum in eadem ciuitate, qui ipsum oculum quasi cristallum lucidissimum vidit, postmodum enarrauit. Interfuerat enim eleuationi corporis dicti sancti, quod annis plusquam quadringentis in terra iacuerat. Et iustè quidem oculus etiam in mortuo corpore extingui non poterat, qui contra mortificantem hostem in fragili vasculo viuidus permanebat. Et verè meritò extrinsecus caligari non debuit, qui venenum corruptionis intrinsecè recipere non curauit.

33. *f. Ludomirus, vide notat.*

De custodia sensuum ex Seneca.

34. Sen. ep. 70. QVid autem de oculo non figendo philosophus Seneca sentiat, audiamus. Qui deponere, inquit, vult desideria rerum omnium, quarum cupiditate flagrauit, & oculos, & aures, ab his quæ reliquit, auertat. Nihil enim facilius quàm amor recrudescit. Affectus, quocumque se vertet, pretium aliquod præsens suæ occupationis Apud Sen. de 4. virt. c. 1. inueniet. Cogitationes vagas & inutiles, & velut somnio similes non recipies. Cogitatio stabilis sit & certa, siue deliberet, siue quærat, siue contéple- Ibid. c. 3. tur, non recedat à vero. Si continens es, & animi & corporis tui per sensus singulos motus obserua, ne indecori sint. Nec ideo contemnas quia latent. Nam nihil differt si nemo videat, cùm illos ipse videas.] Si oculus concupiscit, auerte: si aures hæserint, fuge: si arserit lingua, restringe: si tactum manus allexerit, retrahe: si curiosus odor irrepserit, nares contorque. Et hæc quidem, si primo motu in vsu duxeris, abominabuntur sensus vicia, & inito fœdere cum animo conquie- ep. 117. scent. Excluditur affectus faciliùs quàm expellitur. Quia ergo non est regredi facile, optimum est omnino non progredi.

De quodam castissimo adolescente, qui vultum suum deformauit.

35. TEstatur Ambrosius in libro de virginitate, quòd miræ pulchritudinis adolescens quidam, cernens in sua specie sollicitari plurimas illustrium feminarum, vultum suum confodit vulneribus

neribus, malens deformitatem habere fœditatis, quàm formam ad * irritamentum alienæ libidinis. *ms.p. 2.imp. omisso (ad) legunt incitamentum.*

De tertia via ad fornicationem.

TErtia via ad fornicationem est conciliatricum abhorrenda immanitas. De his Ecclesiasticus dicit: Lingua tertia mulieres fortes * deiecit, & priuauit eas laboribus suis. Lingua tertia est turpitudinum mediatrix, quæ primæ matris Euæ speciem gerit, quæ virum in omni sapientia & decore perfectum seduxit, & à paradiso expulit. Quę es igitur puella simplex, expers fallaciæ, quæ talium manus possis effugere, si semel etiam tenuissimè præbes auditum? Solum tibi restat consilium, vt talium consortia semper vites, nec cum eis vadas aut sedeas: quia nihil puellis perniciosius isto malo, Miror certè & diu miratus sum, quòd ciuilia iura tales non puniunt, quæ pro re modica furem iudicant & suspendunt. Lex Moysi in Exodo præcepit: quòd si quis hominem furatus fuerit & vendiderit, sine vlla misericordia moriatur. Fit furtum manu, fit furtum consilio, nec vllo modo differunt in peccato. Qua ergo pœna plectenda est lamia, quæ puellæ animam, quam seduxit, tradit diabolo, & corpus lenocinijs defœdandum? Præterea turpius dehonestare vel damnificare non potest hominem, quàm in filia vel vxore. 36. *Eccli. 28. bibl. eiecit.* *Gen. 3.* *Exod. 21.*

De quadam peßima vetula & casta muliere Remensi egregium & iucundum exemplum.

37. AVdi quid hinc nostro tempore Remis acciderit. Erat homo, vt mihi frater ordinis Prædicatorum retulit, faber lignarius, admodum tenuis, vxorem habens pulchram & bonam. In hanc diues quidam pecunia, sed inops corde, oculos coniecerat impudicos. Missa ergo ab eo nefanda vetula, intrat domum iuuenculæ, salutat eam quasi incognitam, resedit ad ignem. Nec mora, circumductis oculis, fatigatam se plangit. Quærit hinc iuuencula, vnde veniat, aut quid quærat. Et vetula: Si ipsa sis nescio talis nominis, talisque matris filia, quam habere me credo in hac vicinia consobrinam. Cui iuuencula: si illa de qua loqueris sim, nescio, tali quidem nomine censeor, & etiam habui talem matrem. Tunc vetula ruens in oscula iuuenculæ, bene, inquit, assimilaris optimæ matri tuæ. Tu autem qualem virum habes? Cui illa, bonum, inquit, opere fabrum lignarium. Mox vetula altiùs elato gemitu, heu, inquit, optimæ matris filia, quomodo ad istam miseriam venisti vt fabrum habeas virum, quæ tot in parentela tua magnos & diuites habuisti? His dictis, quasi mœsta, nil amplius locuta recessit. Inde quarta die reuersa: Verè, inquit, multùm sollicitor, vt post infortunium tuum, rebus saltem copiosiùs valeas abundare. Inueni ergo viam, qua hoc fieri poterit, si consentis. Est in ciuitate ista vir diues & potens valde, qui te, vt heri mihi dixit, cùm tuum infortunium deplorarem, super omnia diligens, concupiscit. Cum isto quidem habebis

bebis quidquid corpori placere poterit vel decere. Cui iuuencula: Bonum, inquit, virum & meliorem me habeo: diuitias autem cum peccato augere non cupio. Cui vetula, quasi blando vultu congratulans: Et hinc, inquit, magis te diligo charissima. Hæc dicens, abijt, & post triduum reuersa, dixit: Veni mecum charissima, & ecclesiam pariter gloriosæ Virginis visitemus. Nihil ergo mali * suspicata simplex iuuencula, paret illi, & cum eadem vadit. At vbi ante portam diuitis transeunt, vt præordinauerat vetula, iuuencula rapitur & protrahitur in conclaue. Angustiata ergo iuuencula, & eminus ad aures vetulæ se inclinans: Mihi, inquit, hac nocte contigit iuxta consuetudinem feminarum. Nunc ad horam liberes me cognata dulcissima, & fide data spondeo cras redire. Annuit vetula, consentit & diues. Hinc ergo iuuencula domum rediens, † quid fiat excogitat. Præparat itaque de vicinia tres fortes & validas feminas, & eas cũ scopis clàm in thalamo collocauit. Quasi autem vellet cultioribus vestibus indui, venientem vetulam, velut ad suum auxilium, introducit. Firmato igitur ostio concurrunt feminæ, & nudatam vestibus, percutiunt scopis miseram vsque ad sanguinis effusionem. Nec cessant à verberibus, donec eluctuato conamine, vetula ostium exiliuit, & nuda penitus per plateas aufugit. Mirantibus cunctis, quid factum sit audiunt, & constantem in castitate iuuenculam per totam nimirum ciuitatem extollunt, plusque lucrata est in honore & gloria bonæ famæ, quàm fuisset in omnibus copijs diuitis adeptura.

* restitui pro suspecta.

† i. quid facto opus sit.

De puella pro virgine circumducta à vetula huiusq; punitione.

38. DE talium quoque consiliatrice miserrima, à fratre ordinis Prædicatorum verissima relatione percepi quod subiungo. Erat infelix quædam vetula, quæ illectam iuuenculam per septennium circumduxit, & diuersis vendidit viris pro virgine incorrupta. Maleficio autem suo hoc egerat vetula, vt vnicuique cognoscenti illam inuiolata penitus videretur. Contigit inde vt per sata, intrante Augusto mense, vetula pręcederet iuuenculam subsequentem. Nec mora à dæmonibus rapitur vetula, & vidente puella per aëris vacuum vsque in longinquum, quo eam videre ampliùs non poterat, ferebatur. Hoc viso conteritur iuuencula, & illi, qui hoc mihi retulit, sequenti die confessa, pœnituit, & laudabiliter postea vixit.

Miratur auctor adulteros non puniri.

39. SIcut autem de consiliatricibus diximus, quæ puellas prostituunt: ita & de adulteris dicimus, qui proximorum vxores defœdant: Quare secundum leges ciuiles non sit statutum, vt crimen tam abominabile puniatur. Quantum autem malum, & quàm deforme sit, Deus omnipotens in quodam milite Theutoniæ demonstrauit.

De

De adultero, qui vultum dæmonis habebat.

HIc de latere coniugis intempeſtæ noctis ſilentio vice quadam exſurgens, completo cum aliena flagitio, domum luna lucente redibat. Cuius faciem per feneſtram intrantis, vxor eminus contemplata, clamat horrificè: Ad cuius clamorem ancillę domus & famuli concurrentes, mox ad contuitum domini pariter conclamauerunt, quaſi à cōſpectu dæmonis perturbati. Quod vt miles vidit, animaduertit faciem ſuam à forma propria receſſiſſe, & diuino iudicio ſecundum vilitatem peccati confuſionis ignominiam induiſſe. Ergo vbi delituit vſque mane, properat verſus eccleſiam, vt confeſſus ſacerdoti, formam propriam recipere mereretur. Cui cùm vaccæ & pecudes villæ procedentes ad paſcua † longiùs obuiarent, mox diros dedere mugitus, & quaſi ſubitò minaci fulmine retroactæ, quæque quoquo poſſunt diffugiunt. Idem paſtores & obuij quique fecerunt. Sacerdos autem in oſtio eccleſiæ ad dicendas horas reſidens, mox vt illum vidit, ſignauit ſe, & intrans eccleſiam, oſtium poſt ſe clauſit. Tunc miles ante fores eccleſiæ ſe proſternens: Miſerere, inquit, pater ſancte, miſerere miſerrimo peccatori. Non ſum ille, qui videor, ſed hoc mihi peccatis meis exigentibus accidit, vt in me laruata quaſi dæmonis facies videatur, ſed pœnitenti iniunge quod vis, & ſic de me, quod Deus voluerit expectabo. Nec mora, vbi miles cum mira contritione & lacrymis eſt confeſſus, larualis illa confuſio deterſa eſt, & propriam faciē cum ſua integritate recepit. Vidimus plures 40.

† i. à remotis adhuc partibus, quod dici ſolet à longè.

plures ex his, qui militem optimè cognouerunt, nobiſque iſta de illo veritate teſtatiſſima narrauerunt.

De quarta via ad fornicationem.

41. QVarta via ad fornicationem eſt luxus in verbis: quod Salomon de muliere blanda & vaga teſtatur, dicens: Illaqueauit eum multis ſermonibus. Viri enim mulieres, &, quod turpius eſt, mulieres viros illaqueant., & illaqueantur. Talium lingua, vt dicit beatus Iacobus in canonica epiſtola, eſt inquietum malum. Nam mentes in ſe ante pacificas fluctuare facit, vel † incutit: plena veneno mortifero: quia mentes ita inficit tentatorum, vt nec timore Dei vel hominum, vel damno, aut ſcandalo poſſint auelli: vt ſic in corpore per corruptionem, & in anima per peccatum in oculis Dei primùm, & ſubſequenter in oculis hominum confundantur.

Pro. 7.

Iac. 3.

rectiùs concutit.

Exhortatio ad mulieres.

42. TV igitur virgo Chriſti, ſiue in propoſito vidua, vel quæcumque honeſta mulier matrimonio copulata, ab initio caput contere tentatoris: & non erit tibi neceſſe cum labore & difficultate non modica, hęrentem animum reuocare. Maria Virgo omnis virtutis & caſtitatis exemplar, etiam in ſermone Angeli, vbi ad ſe clauſam ingredientem vidit, turbata eſt: & hoc quia aëreum corpus in ſimilitudinem viri loquentis acceperat. Viſitationes enim Angelorum in ſpiritu per proprium ſubiectum, hoc eſt in propria natura

Gen. 3.

Luc. 1.

tura angelica, vt credi dignissimè potest, assueta erat habere. Salutantem itaque Angelum & fœcundandam virginem astruentem, non verbi dubia, sed modi nescia, constanter inquirit: Quomodo, inquit, fiet istud? Sed & tu castitatis amatrix, si saltem suspectum verbum viri audieris, scinde moras, dirumpe sermonem, auditum auertas. Aristoteles testis est in libro de animalibus, quòd quamdiu sus sollicitante mare rigidas aures tenuerit, non consentit in coitum: vbi verò laxare aures incœperit, ad luxuriam stimulatur. Quid euidentiùs hoc exemplo? Et nota quòd idem philosophus dicit, quòd omne animal habet aures mobiles præterquam homo. Rigidas ergo & immobiles aures habeas, & cum aspide, cauda exitus rei, quæ tibi suggeritur, eas obtura, ne exaudias, id est, ex corde audias incantantem. Rarò enim fit, vt nociuum quid aures introeat, & cor non lædat. Propter hoc Salomon hortatur, dicens: Sepi aures tuas spinis: scilicet vt qui importunè intrare voluerit, importuniùs hunc repellas, & hoc pateat sub exemplo.

Ibidem. *Aristot. de hist. animal. l. 4. c. 14. & l. 6. c. 18.* *Ibid. l. 1. c. 11.* *Psal. 57.* *Eccli. 28.*

De Ioanne Bosnensi Episcopo, qui tentatricem percutiendo in terram elisit.

43. VEnerabilis igitur Ioannis Bosnensis quondam Episcopi, & postea magistri ordinis Prædicatorum, vt à fratre ipsius ordinis percepi, factum commendatissimum audiamus. Fredericum nuper Romanorum Imperatorem luxu corporis impudentissimum, hic vir beatus secretiùs arguebat. Quod licet Imperator patienter audire videretur exteriùs, in corde tamen indignantissimè

De eodem plura c. vlt. p. 55. vsque ad 60. *Frederic. II.*

tissimè grauabatur. Præcepit ergo cuidam suæ pulcherrimæ inter ceteras concubinæ, vt sanctum virum secretiùs conueniret, & eum si vllo modo posset, inclinaret ad lapsum. Quod vbi illa secretiùs, conuenintiùs, & maliciosiùs attentauit, clam in insidijs Imperatore cum pluribus contuente, vir beatus manum erigens in sublimi meretricem in maxillam cum virtute percussit. & facie tenus in terram elisit. Quo in facto sanctum virum Imperator in tanta postmodum reuerentia habuit, vt vix vlli tantum in ecclesia sancta crediderit.

Quomodo cauendum à dolis mulierum.

44. *Iac. 3.* VIde ergo serue Dei, vide virgo Christi, quantum linguæ malum, quantam siluam, nisi reperta fuisset mira virtutis viri Dei soliditas, incendisset. Quis non videt in tanti viri lapsu totum & tantum ordinem vacillasse? Crede Salomoni tanquam experto, quàm vipereum virus mulier mala: nec sexum hinc exclude virilem. *Pro. 7. & Eccli. 25.* Dicit etiam Sapiens: Cum fatuis non habeas *Eccli. 8.* consilium: non enim poterunt diligere nisi ea, *Ibid. 37.* quæ sibi placent. Et iterum de eodem infrà: A consiliarijs malis serua animam tuam. Et beatus *Aug. in reg. c. 18.* Augustinus in regula suis cauens: Appetit, inquit, & appetitur concupiscentia feminarum. Et vide quàm exitiabilis dolus est, quòd quidam magis tentantur de his personis, quæ speciem in habitu *ms. s p. 2. imp. & religione.* * religionis, prętendunt, quàm de his, quæ seculo se dederunt: & mulieres similiter, quæ numquam de viris secularibus tentabantur, eas diabolus, & mens peruersa in sanctos & religiosos, vel viros

viros ecclesiasticos stimulat. Cuius simile quid in libro de natura rerum Plinius apertè ponit: Sus, inquit, quando luxuriæ furijs agitatur, in virum irruit candida maximè veste indutum. Et vt hoc pateat sub exemplo, quid nostris temporibus in Hispania contigerit, audiamus. *Plin.l. 10. hist. nat.c. 63.*

De fratre Dominico ordinis Prædicatorum, qui sollicitatus à meretrice, decumbens super prunas, eam ad se inuitauit.

PRædicator quidam, & actione & ordine in Hispania maximus fuit, qui frater Dominicus appellatus, cum beato Dominico ibidem Prędicatorum ordinem ampliauit. Hic opinione sanctitatis & gratia acceptissimus erat regi Castellæ & nobilibus vniuersis, sicut à fratre ordinis Prædicatorum in nouitate ipsius ordinis, annis iam ferè quadraginta elapsis accepi. Quod vbi quædam soldaria, vt Gallicè vocantur tales, sed reuera solemnissima meretrix vidit, & inuidit, dixit regi & suis. Quid creditis de isto homine, quem sanctissimum reputatis? Ostendam vobis quis ipse sit, & eum vobis videntibus ad concubitum flectam. Cumque rex meretricem, vt vir vrbanus & nobilis increparet, & illa in periculum vitæ suæ, si non posset, hoc instanter promitteret, respondit rex: Fiat vt spopondisti. Nec mora, vbi quadam die vir beatus in prędicatione publica stabat, meretrix ad vestigia eius cum miro eiulatu & lacrymis, spectante populo, se prostrauit. Quod vt ille vidit, exhilaratus in se, quasi super pœnitentem, compassionis lacrymas super eam effudit. Tunc audita confessione eius, 45. *Simile narrat in Francia factum Cæsar. l.10. c.34.*

eius, per multos dies consolabatur eam, & ipsam, secundum quod decebat, mutare habitum fecit. Simulata igitur in omnibus humilitate & obedientia, post multos circuitus flexuosos, quos, antiquo serpente docente, tentauerat, ad istud tandem inauditi doli tendiculum conuertit ingenium. Fleuit diebus multis, nec vllam lacrymarum causam extorquere potuit vir beatus, donec ille promitteret, vt erat innocentissimè simplex, in subuentionem salutis illius totaliter se daturum. Ad hanc itaque vocem, meretrix, cum clamore valido & lacrymis: ô Deus, inquit, omnipotens, vbi hoc miserrima merui, vt pro voto tantum seruum tuum in salutem meam ad omnem libitum obtinerem. Et ille: Audacter, inquit, pete quod vis, & fiet. Et illa: Verè, inquit, nũc scio quia mei misertus est Deus. Vnum restat, quo peracto parata sum & in mortem & in pœnã ire, & quæcumque præceperis experiri. Cui ille: Quid est hoc? inquit. Et illa, inclinato vultu suspirans, quò nihil minus quâm meretrix vilissima putaretur: Verecundor, inquit, dicere, quod tamen vita comite vitare non possum. Nisi enim † vice sola tuo fruar concubitu, meæ salutis aut vitæ spes esse non potest. Mox ille, dolum vipereæ mentis intelligens: Nec hoc, inquit, frustraberis, esto certa. Et his dictis assignauit ei locum, quo eum sola solum summo mane post dies quatuor inueniret. Intermedijs igitur his diebus vir beatus in oratione continuus pernoctabat: mulier verò regi & suis quid actum sit occultè indicat, iubens eos suum introitum obseruare. Quid plura? Stupefacto rege cum suis, † quid fieri debeat præstolatur. Sanctus verò Dei à media nocte ad instar lecti,

† i. semel.

† i. quid futurum sit.

cti,ex carbonibus ignem in cella parauerat. Mane ergo pulsante ad ostium muliere, intromisit eam vir beatus, baculoque confricans ignem vt magis ignesceret,mox super viuos carbones se deposuit, dicens: Ecce lectus tali opere dignus, hîc cuba mecum, alium non habebis. Hoc vt vidit mulier, quasi mortua cecidit: milites verò regis ex insidijs irruentes, beatum virum sine adustione aliqua corporis aut vestis, in medijs ignibus: mulierem autem irrigidatam ad parietem quasi mortuam inuenerunt. Horrore igitur & admiratione confusi, flexis genibus rogant ab igne surgere sanctum virum, & stultis suis præsumptionibus indulgere. Quo facto, extrahunt cum furore misserrimam, & nisi vir beatus instantissimè & cum difficultate fuisset ei præsidio, illam statim, iubente rege, ignibus concremassent. * Per totum itaque regnum Hispaniæ, nec mirum, in facto isto Prædicatorum ordo recens adhuc coaluit, & conualuit sublimari.

ms.p.s.2. imp. Nec mirum. In facto isto per totum Hispaniæ regnũ Prædicatorum ordo, &c.

Egregia monitio de cauendo periculo à mulieribus.

NOta igitur lector quanta peruicacitas in muliere vilissima, cui fornicatores in tota nequaquam Hispania sufficere potuerunt, nisi etiam in tam sancto ordine quæreret corruptores. Ideo de muliere nequam Salomon conqueritur, dicens: Et inueni amariorem morte mulierem, quę laqueus est venatorum, & sagena cor eius, vincula sunt manus eius. Qui placet Deo effugiet illam: & qui peccator est capietur ab illa. Multos enim vulneratos deiecit: & fortissimi quique interfecti sunt ab ea, Et Iob: Halitus, inquit, eius 45.

Eccle. 7. *Pro. 7.* *Iob 41.*

prunas

prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur. Quid tibi igitur serue Dei, quid tibi cum feminis confabulatio tam assidua? Mirabantur de Christo, qui Deus erat & homo simul, & ideo ab omni suspicione remotus: mirabantur, inquam, discipuli, quòd cum muliere * loqueretur. Quid ergo tibi faciendum est peccator homo, qui carnem infirmam gestas, & naturam infectam? Si iuuenis es, nulla securitas. Si senex, experire in te cum illo qui dixit: Adhuc igniculus viuit. Sed respondes: Zelus me trahit, & salus proximi. Et respondeo: Numquid & animas viri habent? Quare non cum illis assiduas colloquia? Et vtique viri pluribus & maioribus patent periculis. Modereris ergo verba cũ feminis; semper tibi sit testis in oculis: sermones vtiles & succinctos propone ijs: Si nolunt esse contẽtæ, flectique nequeant ad salutem, consulo vt te subtrahas, & negocium Deo committas: & hoc maximè si speciali sorte personarum curam non habeas. Quid enim tibi prodest, si vniuersum mundum lucreris, & animæ tuæ detrimentum patiaris? * Si fortè in longæuo ætatis vsu & retroacta castitate confidis: audias quid dicat sanctissimus & veridicus Augustinus: Cum mulieribus, inquit, sermo breuis, asper, & rigidus semper habendus est. Nec ideo minus vitandæ, quia bonæ indolis & honestæ conuersationis esse videntur: sed quantò religiosiores, tantò magis alliciunt; & sub specie religionis viget plurimum viscus libidinis. Crede mihi, vt Episcopus loquor, & expertus. Cedros Libani, gregum arietes reperi sub hac peste corruisse, de quorum vita non magis suspicabar, quàm de Hieronymi vel Ambrosij turpitudine impudica. Ecce quid

Ioan. 4.

ms. p. solus loquebatur. ms. s. 2. imp. Dominus loquebatur. Vrsinus presbyter apud Greg. l. 4. dial. c. 11.

Mat. 16.

ms p. s, Sed

quid est quod audisti? Si in viridi ligno hæc facta sunt, in arido quid fiet? Ignis est mulier: & ignis vsque ad consumptionem deuorans. Quid autem de se iuuenes sentiant, nescio: ego autem iam sexaginta annorum sum vno minus, & vndique perstrepentibus malis casum adhuc lubricitatis perhorresco. *Luc. 23. Iob 31. Auctoris ætas, dum hæc scriberet.*

De presbytero & sexagenaria virgine lapsis.

MEmor sum facti, quod * moderno tempore prope Cameracensem diœcesim accidit. Quidam clericus à pueritia cælebs & castus, post longum Theologiæ studium in solemni conuentuali ecclesia canoniam est adeptus. Animarum ergo zelo ductus, præbendam pro parochiali ecclesia commutauit. In qua cùm per septennium fructuosè multùm & fideliter laborasset, prædicationeque & exemplo animas lucrâtus esset Christo, quas diabolus conabatur auferre: accidit vt virgo sexagenaria, quæ ciliciũ ipsius sacerdotis lauare ac mundare solebat, sola sine teste vel socia thalamum ingrederetur. Quid plura? Ad tam nefandum infortunium res deuenit, vt ambo, sacerdos & mulier antequam separarētur, diu seruato virginitatis & castitatis lilio * priuarentur. Ex qua re mulier in tantum doluit, vt præ nimia amaritudine mortem acceleraret in planctu: sacerdos verò expertus incognitum, in luxuria adhuc, vt credimus, vilissimus perseuerat. Quid mirum? Quantò locus altior, tantò casus grauior. Vnde meritò Angelorum casus irreparabilis fuit.

47. ms. s. meo. ms. p. s. 1. imp. frustrarentur. Et quidem mulier. &c.

De casu & perseuerantia fratrum Prædicatorum.

48. QVid in ordinibus aliorum religiosorum fiat ignoro: nec meum est iudicare si scirem. De fratrum Prædicatorum ordine, vtpote magis familiari mihi & cognito, scio omnes ferè, quos in scandalum sancti ordinis cecidisse cognoui, quasi irreparabiliter corruisse. Credo tamen vsque in hodiernum diem, quo præsens opusculum scribo, vnum esse inter ordines istum, quem Dominus Iesus Christus sua pietate & gratia mitiùs custodiuit, sicut ipse expertus sum, qui à triginta annis in diuersis regionibus vices Episcoporum, confessiones audiens, exequebar.

De quinta via ad fornicationem.

49. QVinta via ad fornicationem est luxus in osculo. Quod Salomon in prouerbiis insinuans, de muliere garrula & vaga: Apprehensum, inquit, iuuenem osculatur. Ratio huius est, quòd luxuria per osculum incitatur, quia in osculantibus * conuenientia partium fit, & animales spiritus coniunguntur. Vnde Aristoteles dicit: quòd equi ante coitum conspirant anhelitu, & per hoc ad luxuriam prouocantur. Quomodo hoc verum sit, illi maximè conscij sunt, qui confessiones audiunt illius generis mulierum, quas nolo propter scandalum ex habitu propalare.

Pro. 7.

2. imp. conuentio.

De periculis osculorum.

50. QVanta * autem ex osculis fœditatum enormitas eueniat nolo detegere nescientibus, ne ni-

ms. p. s. 2. imp. enim.

ne nitantur in vetitum, & à diabolo grauiùs attententur. Fortè dicis: Nulla prorſus in oſculis libidine moueor, ſed Deum in virgine veneror, & præſentia eius inhabitatoris afficior. O nequiſſimè mentiens, qui hæc dicis. Audi quid dicat Chriſtus, qui falli non poteſt, nec fallere. Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Quid ergo dicis, Deum per oſculum in virgine venerari? Eſto. Ponamus te in oſculis libidine non moueri. Quis ſecurum te faciet non mentem ſaltem virginis, non vas fragiliſſimum, corpus in oſculis non lubricari? Scimus maximè talibus, feminarum etiam deuotarum affici corpora, quæ coitum non nouerunt. Et hoc euidentiſſima ratione demonſtratur: quia hoc in illis maiori delectatione coitus minoratur, quod in iſtis non expertis, quaſi ſolum ſine corruptione corporis licitum, augmentatur. Abſit itaque ab vlla Chriſtiana mente licitum, & ſine crimine credendum oſculum, dum veridicus Auguſtinus in regula ſua, etiam fixum oculum tanta pœna cenſuit vindicandum. Igitur ſi virginem aut feminam in Chriſto diligis, quia ſancta; ei cauere debes ſicut & tibi. De te quidem, vt dicis, ſecurus eſſe poteris in oſculis non moueri: de illa numquam. Diſcrimini ergo te ſine mortali peccato committere non licebit. Si quis igitur, ô virgo Chriſti quaſi ad ſanctum oſculum te inuitauerit, ſputum pro oſculo reddas, pugnum ingeras contrectanti. Nec credas hunc ſeruum Chriſti, ſed Sathanæ: non amatorem, ſed corruptorem: non pudicitiæ zelatorem, ſed eum certiſſimè noueris viliſſimum leccatorem.

Ioan. 4.

Aug. in reg. c.10.

De puella Bruxellensi, quæ sacerdotem percussit, qui volebat eam opprimere, & osculabatur inuitam.

51. CVm essem in opido magno Brabantię Bruccellensi, venit ad me puella quædam rebus tenuis, sed formosa, cum multis lacrymis sibi postulans misereri. Quam cùm hortarer dicere quid haberet: illa cũ eiulatu: Heu, inquit, me miseram, quia cùm sacerdos quidam violenter me vellet opprimere, & oscularetur me inuitam, illum auersa manu percussi in faciem, & per nares sanguinolentum reddidi: pro quo, vt mihi dicitur à clericis, Romam me adire † modis omnibus oportebit. Tunc ego vix continens à cachinno, quasi seriosè locutus, terrui illam tamquam grauiter excessisset, tandemque iuramentum eius accipiens, quòd staret mandato meo, dixi illi: Sub præstito iuramento tibi præcipio, vt si ille, vel alius presbyter violentiam tibi in osculis, vel contrectationibus facere voluerit, contracto pugno, validè oculum si potes excutias contrectanti: nec in hoc vlli ordini parcas, quia castitatem tueri licet verbere, sicut corporis vitam. Hoc vt dixi, omnes qui aderant, & ipsam puellam in risum maximum & lætitiam * concitaui.

† i. necessariò, vnde ms. b. c. cum tert. imp. legit de necessitate.

* ms. s. c. e. 3. imp. cõmutaui ms. b. prouocaui.

De altera puella, quæ pistillo percussit satellitem, qui eam nitebatur osculari.

52. VIdimus in Galliæ partibus virginem, cuius virtutem mirabilem non expedit subticere. Hæc vtroque orbata parente, in domo fratris militis,

militis, loco pedissequæ seruiebat. Quæ cùm nullius viri iocos prorsus vellet admittere: eam quadam die in præparāda salsa manibus occupatā, quidam ex satellitibus nisus est osculari, sed frustra. Nam pistillo, quo salsam terebat, eum in capite mox percussit. Tunc ille læsus, ô nequissima, inquit, quare me volentem ludere percussisti? Cui illa substomachās: Et ego, inquit. In tali ergo rigore virtutis virgo nobilis perseuerans, adeò famosa effecta est, vt Comitissa de Engolismo eam cum filia sua regina Angliæ, vt illius instrueretur obsequijs, collocauit. Hæc cùm nullo modo postea virum accipere consentiret, cum multis regijs muneribus & honoribus ad Gallias est reuersa, & in domo hospitali apud Pruuinum humilis soror effecta: quam nos vidimus eiusdem domus Magistram, & in seruitute Christi, labore & senectute confectam. *vrbs est Galliæ Angolesme.* *Prouins.*

De quodam monstro marino.

REm quidem, etsi modò ad propositum non spectet, ista narrante, narrabo. Eo tempore, quo in Anglia morabatur, monstrum à nautis in mari captum Reginæ allatum est, quod in paucis distabat à femina; nisi quòd caput ita signatum habebat, ac si super frontem corona in modum vasis, quod *fiscellam dicimus, insigniretur. Comedebat & bibebat, & nouis maximè frugibus lætabatur. Nullis verbis vtebatur aut voce; nisi quod exili gemitu molestias exprimebat. Tribus annis in palatio fuit. Etiam hinc magnificandus est Deus, qui dignè in creaturis talibus etiam mirabilis predicatur. 53. *ms. s. fertillā.*

De sixta via ad fornicationem.

54. SExta via ad fornicationem est luxus in contrectationibus vberum, vel pudendorum. Quod Salomon in prouerbijs insinuans, de muliere vaga: Procaci, inquit, vultu blanditur, dicens: Veni
Pro. 7. inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus. Heu quàm flagitiosis actibus se immiscet humana nobilitas. Hac noxa irrationabilitatis solus rationabilitatis capax homo fœdatur: nec vllum irrationale animal huiusmodi fecibus maculatur. Nota ergo quanta miseria illorum est, qui
Psa. 48. iumentis insipientibus insipientiores fieri comprobantur. Nec bestia factus homo, sed bestijs planè turpior est. Regum primo libro legitur,
1. Reg. 5. quòd Azotij, qui interpretantur incendentes, mutuò palpatores & contrectatores intellige, in secretiori parte natium, vindicta Dei iustissima sunt percussi. Vide quantum scelus, & quanta nequitia. Accumbunt viri feminis, nudi nudis, & credunt se corruptionis euasisse spurcitias, si cæca regione polluta, sigillum carnis integrum perseueret. Hoc saluo faciunt quidquid volunt. Absit hoc à mundissimæ virginis filio, vt hanc sponsam non reputet sceleratissimè sordidatam. Apostolus enim despondit vni viro virginem castam exhibere Christo. Castam, inquit, non pollutam.
2. Co. 11. Testor Deum spem cõmunem omnium bonorũ, quamplures me in confessionibus audiuisse, quæ magis contrectationum occasione contra pudicitiam peccauerunt, quàm si decem pueros de proprijs fratribus genuissent. Quæ enim comparatio peccati naturalis ad innaturale flagitium?

De vi-

De viro cum vxore per contrectationes peccante miserabiliter mortuo.

HOc malum latè per orbem serpens, etiam vinculo coniugali iunctos inuoluit. Et vide quid hinc vinculo coniugali in Cameracensi ciuitate, sub venerabili Rogero eiusdem vrbis Episcopo contigit. Virum quemdam fuisse percepimus, qui tali vicio subiacebat, vt non ei sufficeret delectatio coitus cum vxore: quin etiam eam contrectationibus illicitis molestaret. Ergo, vbi nocte quadam, vxore reclamante, Deique vindictam imprecante, maritus, perpetrato violenter scelere, ad ventris officium surrexisset: mox soluto ventre, per secreta naturæ in cloacam eius viscera descenderunt. Nec mora, clamans reportatur ad lectum, & publica voce confessus cum † durissimo manuum cruciatu, quas quasi ignibus vrerentur, abscindi petijt, in horam diei tertiam exspirauit. Vide igitur quàm digna tali operi vindicta illata sit. Si ergo viri flagitium cum vxore tanta animaduersione punitum est, quid illi acturi sunt, qui in proposito continendi, & sub specie religionis talia commiserunt? 55. *obijt in terra sancta teste Democ. 1191.* *rectius dirißimo.*


Prædictarum viarum detestatio, & ad continentiam cohortatio.

IStę sunt viæ sex, tritæ reprobis, per quas ad fornicationis ludibrium peruenitur: Nec illud vitabit aut peius, qui per eas, vel vnam etiam earum consenserit frequentare. Vnde Ecclesiasticus: Via impiorum complantata lapidibus, & in 56. *Eccli. 21.*

vijs eorum inferi & mors. Et Psalmista imprecando dicit: Fiat via illorum tenebræ, quantum ad excæcationem: & lubricum, quantum ad facilitatem peccandi: & angelus Domini, subaudias malus, coarctans eos, quantum ad exitum. E contra semitę iustorum quasi lux splendens, & viæ illorum viæ pulchræ, & non coarctabuntur gressus illorum. Per vias ergo immundorum flos agri in coniugatis, & lilium conuallium in virginibus conteruntur. Quò ergo fugiendum est, quò diuertendum? In libro Iudicum require consilium, Angelum Gedeonem instruentem attende. Cùm enim Gedeon, qui & Ierobaal, sacrificium super lapidem ex coctis carnibus obtulisset, præcepit ei Angelus, vt simul ius carnium superfusum offerret. Quid in carne, nisi fornicationis aut adulterij carnale peccatum: & quid in iure, in quo caro excoquitur, nisi prædictarum viarum luxus, per quas etiam mentes constantissimę in mollitiem resoluuntur? Priùs enim quàm mens immundis cogitationibus immoretur, oculos vagos incautè proijciat, suggestiones conciliatricum exaudiat, amatorijs se verbis immisceat, osculis mulceatur, & tandem contrectationes illicitas patiatur; priusquam, inquam, ista sustineat, mens & caro constans fortissima perseuerat. Cùm verò talibus darę animum cœperit, & sensim miserijs delectari; velut excocta caro in tabem resoluitur, & absque vlla fortitudine subsequitur ante faciem tribulantis.

Isa. 34. *Pro. 4.* *Pro. 3.* *Pro. 4.* *Cant. 2.* *Iudic. 6.* *Thren. 1.*

De



De spiritualium filiorum generatione.

CAPITVLVM XXXI.

Apes quidem, licet nequaquam coitu misceantur, maximum tamen filiorum examen emittunt.



VID est autem sine contagio luxus, 1.
castè & pudicè, maximum examen
emittere filiorum, nisi in vnitate ma-
tris ecclesiæ, non adulterantes ver- 2. Cor. 4.
bum Dei, sicut dicit Apostolus, id est, ad lucrum
aliud inclinantes, seduleq; prædicationis & virtutis
exemplo, Christo Domino adoptionis filios ge-
nerare? Inde est, quòd Spiritus sanctus in libro
Sapientiæ admiratur, dicens: O quàm pulchra est Sap. 4.
casta generatio cum † caritate. Nihil fœditatis *bibl. clari-*
caritas patitur, sed munda & pudica complecti- *tate.*
tur. Vnde beatus Augustinus in libro super Ioan- *Tract. 65.*
nem: O sponsa Christi pulchra inter mulieres,
hoc est virtutes, dealbata asscendens & incum-
bens super fratruelem tuum: quia cuius lumine *Cant. 8.*
illustraris vt candeas, eius adiutorio fulciris ne ca-
das.]

Exhor-

Exhortatio ad prædicandum ex charitate.

2. HVic zelator animarum iungaris consortio, hanc in nullo negotio prætermittas: quia quidquid sine illa, quæ forma virtutũ est, agitur, omni virtute frustratur. Hoc præceptum Domini
Psa. 18. lucidum, in quo vniuersa lex pendet & prophe-
Mat. 22. tæ. Hæc est lex Christi conuertens animas, testi-
Psa. 18. monium Domini fidele, sapientiam pręstans paruulis, id est, humilibus. In lucro ergo animarum,
1. *Cor.* 13. sicut lex Domini, tecum caritas operetur, & non ages perperam. Quotquot enim in lege caritatis, quæ est gratia, per legem caritatis conuertis: tot in gloria coronas meritorum habebis. Lætè ergo in numeroso filiorum examine poteris laborare, quia singulorum gloria videberis coruscare:
Isa. 60. ita vt ab Isaia dicatur tibi: Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filij tui de longè venient, & filiæ tuę de laterę surgent. Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.

De zelo animarum magistri Ioannis de Niuella Leodiensis ecclesiæ Decani.

3. QVid hinc autem temporibus meis acciderit, videamus. Nota res est, & in multis partibus iam audita. Magister Ioannes de Niuella, Leodiensis ecclesię Decanus, diuitias contempsit & gloriam; & in monasterio de Oignies ad regularem ordinem venit. De hoc beato viro quædam vidimus

Huius cum laude meminit Vitriacus Hist. occ. c. 9. & l. 2. de vita Mariæ Ogni. c. 31.

vidimus, & quædam audita narramus. Vix vmquam indulsit ocio vel quieti, quin semper indefessè in reuocatione animarum pereuntium laboraret. Et vide zelum. Eo diutina & graui podagræ molestia laborante, quidam nominatissimus physicus à superioribus partibus Galliæ, vt cum proprijs expensis curaret, aduenit. Cumque à medico quæreret: quantum se temporis expendere in morbi remedium oporteret, respondit: Perfectissimè, inquit, infra menses quatuor vos curabo. Mox ille tibiam manu percutiens, clamosè dixit: Heu me miserum tunc, si pro * ista, *scilicet tibia.* cùm Deus voluerit in proximo putredine resoluenda, à prædicatione & salute hominum etiam tribus hebdomadibus cessem: & animæ, quas Christus pretio sui sanguinis emit, per me interim liberandæ à dæmonibus distrahantur. Vos autem magister charissime ad patriam redire poteritis cùm placebit: bonam voluntatem vestram atque labores vobis Christus ipse restituat. Iste quidem beatissimus homo adeo pius, cum zelo animarum, in pauperes fuit: vt, cùm quod daret pauperibus obuijs nil haberet, * viscerosa semper *ms. p. s. e. 2. imp speciali* compassione pro defectu muneris torqueretur, *infirmitate* & tunc pro corporali eleëmonsyna spiritualis be- *semper pro,* neficij orationem suppliciter pro eis exsoluebat. *&c.* Proinde lector considera zelum quem habebat.

Agonizans mendici confeßionem audiuit.

AGonizabat in morte eo vespere, cuius no- 4.
cte defunctus est. Et ecce vir vagus & nudus ex his, quos ribaldos dicimus, in exteriorem partem domus venit, in qua illе interius decumbebat.

bebat. Rogauit illè vagus de confeſſione colloqui ſancto viro: ſed ei reſponſum eſt, quòd non poſſet. Quo mœſto recedente, quemdam ex circumſedentibus aduocat vir beatus: Reducite, inquit, illum ad me, quem repuliſtis. Hoc audito mirati & confuſi omnes, hominem reduxerunt. Qui, cùm omni diligentia facta confeſſione, & abſolutione ſuſcepta receſsiſſet, dixit omnibus vir beatus: Nollem pro mille marcis auri me hominem hunc non audiuiſſe. Et vide quo fructu. Vix enim per quartam partem leucæ homo receſſit à domo, cùm ecce repentina morte percuſſus, cecidit iam defunctus. Nec mora, in ſequenti nocte viro ſancto migrante ad Dominum, accidit quod ſubiungo.

De obitu eius, & quadam peccatrice mortua, precibus illius à purgatorio cum alijs multis liberata.

5. IN * vlterioribus partibus Angliç, vir quidam ſanctus & bonus prædicationis officio præeminebat. Eo autem in ſtatione publica prædicante, quædam peccatrix mulier, amariſsimè contrita, vt patuit, in populo cum lacrymis exclamauit, dicens: Miſerere mei ſerue Dei, audi me miſeram, & à peccatis abſolue. Tunc ille, vt potuit, eam compeſcuit, & vſque poſt finitum ſermonem expectare præcepit. Quid plura? Iterum poſt paululum cum clamore ſurrexit, & petijt mox audiri. Sed cùm iam finiendum ſermonem promitteret prædicator, illaque parum quieſceret, ſurgit iam tertiò, clamat horrificè, cadit in faciem, & exſpirat. Turbatus ergo non modicè cum populo prædicator, orat omnes præſentes

ms. p. interioribus. Simile prorſus habet ſpec. exempl. diſt. 7, exemplo 57.


cum lacrymis orare Dominum, vt alicui quid ſit factum de anima peccatricis oſtendere dignaretur. Interim per tres dies clauſus in cellula prædicator, nil dormiuit, neque guſtauit, ſed continuus in oratione permanſit. Tertia ergo nocte, anima defunctæ lucidior ſuper ſolem apparuit præſtolanti: Adſum, inquit, anima pro qua oras, ab omni pœna ſoluta ſum, nihil reſtat niſi ad ſuperos ſtatim euolare. Tunc illo nimirum interiùs hęſitantę, reſpondit anima: Hoc tibi ſit ſignum quòd non deciperis. Quidam magiſter Ioannes in partibus Brabantiæ, in monaſterio de Oignies, Leodienſis diœceſis, iſta nunc hora obijt: & ſicut in vita ſemper circa afflictos & pauperes pius fuit, ita & nunc, cùm poſt mortem ante locum purgatorij, in quo cum innumerabili multitudine detinebar, eius felix anima ab Angelis deferretur, & ibidem multos recognoſceret, quorum auctor ſalutis extiterat, pietate commotus, pro eis ſuppliciter Dominum exorauit, vt à pœna purgatorij ſoluerentur. Nec mora, exauditus à Domino, & non tantùm pro illis, pro quibus orauerat: verum etiam * pro me & multis alijs, in cælum cum maxima gloria eſt receptus. His dictis anima ab oculis mirantis euanuit. Ipſe verò prædicator in tranſmarina ſtatim directo nuncio cum litteris, ſicut anima pro ſigno dederat, diem horamque ſancti viri migrantis inuenit.

ms. p. s. c. 2. imp cũ multis alijs, & ego pariter liberata, ad cælos cum, &c.

Concluſio.

Vide ergo lector quanta gloria digni ſunt, qui in ſalutem proximorum fideles exiſtunt.

De



De virtute orationis.

CAPITVLVM XXXII.

Nocte in expeditione deprehensæ, excubant ſupinæ, vt alas à rore protegant.

1. 
Ox in ſacra pagina pro ignorantia ponitur. Si ergo in ignorantiam viæ, per quam ad Chriſtum pergas, incideris, excuba in oratione ſupinus, erigas oculos & manus in cælum, donec eluceſcat ſplendor in tenebris, & viam dirigat ad optatum. Idem facias ſi in noctem vel tenebras incideris peccatorum. Sed ſi oculos cum Publicano leuare non audeas: inuita ſanctos, angelos interpella, vt Deum tibi mitigent prouocatum: vt ſecundum Prophetam: Dominus exaudiat cælos, cæli terram, & terra te, ſicque interſcalariter proueharis ad gratiam, & ſpe certiori quàm priùs, hilaritatem paterni vultus attingas. Vnde beatiſsimus Auguſtinus in libro de vera religione confidenter hoc fieri aſſerit, dicens: Quiſquis Angelorum diligit Deum, certus ſum etiam quòd me diligit. Quiſquis in illo manet, & poteſt humanas preces ſentire, in illo me exaudit. Quiſquis ipſum habet bonum ſuum, in ipſo me adiuuat. nec eius participationem mihi poterit inuidere.]

Luc. 18. *Sanctorum inuocatio.* *Oſee 2.* *Aug. de vera rel. c. vlt.*

Danda

Danda opera ne cum gratuitis, amittantur & naturalia.

ET notandum valde, quod auctor tangit in littera: Apes ideo excubare in nocte ſupinas, vt alas à rore protegant. Hic in rore rigorem tribulationis: in alis verò virtutes gratuitas, & naturales accipimus. Vnde ſponſus in Canticis querelatur: Caput, inquit, meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. Hoc eſt, (vt dicit Gloſſa) minoribus & grauioribus tribulationibus Chriſtus caput eccleſiæ cumulatur. Supina ergo, id eſt, ſupplex peccatrix anima in oratione procumbat, ne cum gratuitis virtutibus etiam naturalibus ſpolietur: vt dum gratuitis, quas Deum offendens perdidit, adiuuari non valeat, naturalium adminicula, peccatis exigentibus, perdat. Et idem ferè in homine factum eſt, qui deſcendens ab Hieruſalem in Iericho, incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum gratuitis, & plagis impoſitis naturalibus, abierunt ſemiuiuo relicto. Ablatis enim à peccatore gratuitis, etſi naturalia penitus non tollantur, debilitantur tamen, & non ei, ſicut ante, ad vota ſuccedunt. 2. *Cant.* 5. *Luc.* 10.

De viro paulatim virtutibus, defectu orationis, deſtituto.

VIdi hominem ſine comparatione ferè ſui temporis humilem, feruidum caritate, egenis beneficum, ſobrium ſupra modum, ergà afflictos pium, in corporis caſtigatione * præcipuè aſsiduum, ab omnibus contagionum ſpurcitijs alienum. 3.

ms.p.s. omit. (præcipuè.)

alienum. Hæc in gratuitis. In naturalibus verò ita erat bene & decēter ornatus, vt nihil in eo imperfectum reliquisse omnipotens bonitas putaretur. Pro cælibatu ergo & sanctimonia ab omnibus honoratus, quasi sanctus iam in terra inter homines habebatur; ita vt de eo maximum quemdam virum dicentem audirem: Quandocumque me istum videre cōtingit, non hominem me puto videre, sed angelum. Hunc postea gradatim à rigore iustitiæ vidimus recedentem, & tantam erga Deum ingratitudinem incurrisse; vt missarum solemnia audire contemneret, & nullum in eo virtutis vestigium remaneret: sed omni labe pollutus, nullam prorsus luxuriam, nullum facinus abhorreret: & hoc quare? Quia alas virtutis gratuitæ vel naturalis, orationibus insistendo & lacrymis, non protexit.

Quomodo protegamur orationibus, & qui orandum.

4. *Nullus iam extat hoc titulo Augustini liber.*

QValiter autem orationibus protegamur, beatus Augustinus in libro de Martyribus euidenter ostendit dicens: Fidenter itaque fratres, nostras preces ad Deum dirigamus. Pro nobis enim Angeli deorsum descendunt, vt protegant: rursusque ad cælestia conscendunt, vt pro nobis Dominum petant, vt hinc desideria nostra ad ipsum, & inde ad nos beneficia diuina reportent ad premium. Factus est aër ipse Angelorum gressibus peruius, nitescit, quotidie per comitatum sanctorum. Nihil enim remansit in elementis vacuum, quod non Christi morte fuerit consecratum. Eius manus in cruce leuatæ sunt, vt fideles sui

ſui poſsint impetrare quod petũt. Feruenter ergo & cũ fide petas;& accipies:ſine feruore autem aut fide, oratio tua debita virtute priuatur. Verumtamen conſiderandum eſt, quòd in oratione vocali duo ſunt:labor & intentio. Si cum intentione oras, loqueris cum Deo, & exaudiris à Deo. Si verò ſine intentione oras, oratio quidem propriè dici non poteſt, ſed tamen labor tuus præmiabitur, & non fruſtrabitur fructu ſuo. Multum tamen in fructu & præmio differunt orationis virtus & labor: cùm in orationibus Deo iungamur, & in laboribus partem qualemcunque pœnarum, ad quas pro peccatis obligamur, exſoluere deponamus.

De quodam fratre Prædicatore & moniali Foreſtenſi, qui in orationibus à terra eleuabantur.


FRatrem in ordine Prædicatorum vidimus, de quo veritate teſtatiſſima ferebatur, quòd dum in via pergeret & oraret, ſæpiſsimè à ſocijs viſus eſt, qui eum à tergo poſteriùs ſequebantur, ad altitudinem vnius cubiti à terra ſuſpendi, & per aëra ferri. Hoc idem de moniali, quam ante quadraginta annos vidimus in Foreſto Brabantiæ monaſterio dicebatur, quæ multis annis in die pentecoſtes hora tertia, dum in choro: Veni creator ſpiritus cantabatur, ad vnum cubitum eleuabatur à terra, & vſque in finem eiuſdem hymni ſuſpenſa manebat. 5. Belg. Vorſt, non procul à Bruxella.

Semel ſaltem orandum nocte vel die.

ME quondam in adoleſcentia conſtituto, & querulante, quòd alijs deditus, orationi- 6.

bus vacare non possem, quidam sanctæ vitæ respondit: Ad minus, inquit, semper semel in die vel nocte captes horam aut spatium, qua Deum libera mente deuotus exores. Talis enim oratio robur virtutis præstat, & iacula submouet inimici.

Conclusio. SVpina ergo, id est, supplex fidelis apis anima in oratione procumbas, aut vt proprios reatus, aut alienos emundes: vel proprij status pericula aut aliena dimoueas: vel cælestibus desiderijs inhærendo, huius miseræ carnis incolatum euadas.



De vera libertate, quæ in Christi seruitute comprobatur.

CAPITVLVM XXXIII.

Rest. ex or. & Ambr. l. 5. hexam. c. 21. pro lege.

Licet positæ sint sub * rege, tamen liberæ sunt.

1. Ioan 8. *Aug. l 4. de ciu. Dei, c. 3.* *2. Pet. 2.*



DOMINVS in Euangelio dicit: Qui facit peccatum, seruus est peccati. Super quo beatus Augustinus: A quo quis deuictus est, huius seruus addictus est. Vnde quamdiu in antiquis temporibus post diluuium innocentia in hominibus perdurauit, nemo inter homines dominatus fuisse describitur. Cùm autem abundauit iniquitas, & pax refriguit caritatis, Nemroth robustus venator, hoc est raptor, homines cœpit deprimere, & subiectis per

Mat. 24. *Gen. 10.*

per potentiam principari: exinde reges facti sunt, & totum mundum iniquis legibus subiecerunt. Vnde beatus Augustinus in libro de ciuitate Dei: *Aug. ibidem c. 4.* Et quid magna regna, nisi magna latrocinia?

Libera responsio piratæ ad Alexandrum magnum.

VNde quidam pirata, captus à nautis, Alexandro magno oblatus est. 2. *Aug. ibid.* Quem cùm interrogaret Alexander, si mare vellet habere infestum, vt per quod peccauerat, per hoc & torqueretur, *Sap. 11.* libera contumelia inuectus in Alexandrum, respondit: Et tu, inquit, † si totum mundum velles habere infestum? *si, pro an.* Quia parua nauicula rapinas exerceo, latro vocor: tu autem, quia magno nauigio, Imperator. Cuius responsionis & inuectæ veritatis audaciam, intantum & miratus & complexus est Alexander, vt piratam redderet libertati.

Qui charitatem habet liber est.

LEx itaque libertatis est charitas, quam si ferre volueris, etiam sub Christo principe liber 3. eris. Vnde Dominus in Euangelio: Si vos filius *Ioan. 8.* liberauerit, verè liberi eritis. Quòd si recusaueris ei subdi, etiam regum princeps subijcieris diabolicę seruituti.

De virgine in Germania, quæ per aëra ferebatur, & auibus eidem mansuetis.

ET quidem nostro tempore in Germaniæ partibus, sicut mihi frater ordinis Prędicatorum 4. narrauit & vidit, virgo quædam sanctissima fuit,

quæ nullis arctari claustris vel seris potuit, nullis prorsus vinculis compedita teneri: quin mox vt spiritu mouebatur, sicut sagitta, quæ quantò in arcu * corda fortiùs attrahitur, tantò robustius iaculatur: ita solutis claustris, vinculisque disruptis, instar auis, quasi per aëra ferebatur. Vbi enim spiritus domini, ibi libertas. Sed & illud notum omnibus solemne miraculum dicebatur: quòd eadem sacra virgo, videntibus multis, frequenter exibat in campum, & aues indomitas cuiuscumque generis clamoribus conuocabat, & in medio earum, quasi gallina inter pullos, singulas manu demulcens & osculis, residebat. Quid mirum? in illa innocentia perstitit, à qua Adam lapsus, principatum animalium perdidit, quæ ei Deus per obedientiam in prima creatione subegit.

ms. p. s. 2. imp. fortiùs stringitur tantò, &c.

2. Cor. 3.

Gen. 3.

Gen. 1.

De libertate ex Seneca.

5. DE libertate Philosophus dicit: Non potest gratis constare libertas. Hanc si magno æstimas, omnia paruo æstimanda sunt. Multa non quia difficilia sunt non audemus: sed quia non audemus difficilia sunt. Libertas nihil aliud est quã animus quodam modo seipsum habens. O quàm magnis homines tenentur erroribus, qui dominãdi causa maria cupiunt permeare, ignari quod sit ingens, parque cælis regnum. Imperare sibi, maximum est imperium.] Rebus habitis hilariter vti, pars libertatis est. Beneficium accipere libertatem est * perdere.] Et nisi incumbat necessitas, de facili non mendices. Sapiens se contentus est, non vt velit esse sine amico, sed vt possit. Ea sola putamus emi pro quibus pecuniam soluimus:

Sen ep. 105.

Ep. 114.

Apud Sen. in pro.


or. vendere.

Sen. ep. 9.

Ep. 42.

ſoluimus: ea gratuita vocamus, pro quibus noſipſos impendimus. Adeo nihil eſt cuique ſe vilius. Sæpe maximum precium eſt, pro quo nullum datur. Noſtri eſſemus, ſi alia noſtra non eſſent: Qui ſe habet nihil perdidit. Omnes ad hoc nobiles ſumus, nec pauperes abijcit philoſophia, nec diuites eligit. Bona mens nec commodatur, nec emitur: & puto, ſi venalis eſſet, non haberet emptorem: * at mala quotidie emitur. Animus nobilem facit, ex quacumque enim conditione licet ſupra fortunam ſurgere. Non deformitate corporis fœdatur animus, ſed pulchritudine animi corpus ornatur.] Sicut nec vlla conditionis ſeruitute ſubijcitur animus: ſic intra ſe libertate fruens, ad nullum ſui contrarium cogi poteſt. *Ep. 44.* *Ep. 27.* *reſt. ex or. pro (&)* *Ep. 44.* *Ep. 67.*

SVbdere igitur apis, id eſt, anima fidelis, vt libera ſeruias regi Chriſto, ne tibi dominetur diabolus tanquam ſeruo. *Concluſio.*



De electione Prælatorum à ſubditis.

CAPITVLVM XXXIV.

Sicut regem ordinant, ſic & populos creant.



NEMO enim ſibi aſſumit honorem, ſicut dicit Apoſtolus, ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron. Vocari autē à Deo dicitur, qui voluntate diuina canonicè ab eis, quorum intereſt dignus eligitur. 1. *De malè eligentibus.* *Heb. 5.*

Reges dico, Iudices, vel Prælatos. Et væ illis, quorum ſuffragio electionis indigni ſuſtolluntur. Eis
Iudic. 7. fiet, ſicut in libro Iudicum dicitur: vt ignis egrediatur de rhamno, & ſuccendat ligna ſiluarum. O quoties problema illud, etiam iſto tempore, vidernus impletum. Creant miſeri fatuellos & ſimplices, & omnis virtutis obliti, genus tantùm reſpiciunt, non perſonam: & vide qualiter illis rependitur iuſta merces. Iſti quidem dignitatis apice roborati, quid ſit iuſtitiæ, virtutis, aut iuris non curant. Fas omne contemnunt, graſſantur in clericos, in laicos debacchantur. Et cùm horum vlterius rapinæ non ſuppetunt, propriæ eccleſiæ manus imponunt, & ſuos creatores impios ſpoliantes, eos magis quàm alienos, & turpiùs execrantur. Hoc in figura iſtorum, ſicut liber Para-
2. Par. 24. lipomenon teſtatur, Zacharias filius Ioiadæ ſenſit, qui à Ioas rege, quem pater ſeptemnem regem populis præfecerat immaturum, occiſus eſt. Nec recordatus eſt quę ſibi pater eius feciſſet bona, ſed eum crudeli morte mulctauit.

Generatio tria requirit.

2. ET notandum quod dicitur: Sicut ordinant regem, ita & populos creant. Quid ſit autem apes fidelium populos creare, id eſt, generare, breuiter dici poteſt. In generatione quidem tria præcipuè neceſſaria ſunt, ſcilicet valitudo congrua generantis, debita qualitas in ſementina generationis materia, matrix in concipiente conueniens. Generantis perſonam, dicimus prælatos. Sementinę generationis materiam, prædicationis verbum, Conuenientem in concipiente matricem,

tricem, Catholicæ matris Ecclesiæ sinum. Et hæc sic dicimus, si semper sacra idoneitate conueniant.

Hæreticorum matrix viuos generare non potest.

HÆreticorum enim conuenticulorum, si qua 3.
dici poterit, matrix disrupta & scissa est, &
ideo fœtus viuos generare non potest. Hinc Pro-
pheta Isaias conqueritur, dicens: Venerunt filij *Isa.* 37.
vsque ad partum, & non erat virtus pariendi.

Qui ad prædicationem inidonei.

DIcamus ergo de valetudine congrua gene- 4.
rantis. Tres sunt, sicut dicit Aristoteles, qui *Arist. hist. a-*
inualidi sunt generare: infirmus, puer, & senex. *nimal. l. 4. c.*
Infirmus generare non potest propter debilita- *14. & l. 7.*
tem & defectum virtutis actiuæ. Quos per infir- *c. 1.*
mos accipimus, nisi illos, qui languent in vicijs, inualidi ad virtutes? Velle quidem bonum pos- *Rom. 7.*
sunt, sicut dicit Apostolus, perficere autem non. Isti ergo per prædicationem spirituales filios generare idonei non sunt, sicut eis Dominus per Psalmistam improperat, dicens: Peccatori autem *Psa. 49.*
dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Et vide causam: Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum. Indignus ergo qui verbum Dei ore seminat, & manu dissipat. Secundò generare non potest, qui puer est, propter † crementum: quia sementina generationis ma- *.i. incremen-*
teria transit pueris in crementum. Et in signum *tum.*
huius, Dominus Iesus, cùm factus esset annorum *Luc. 2.*
duodecim, inuentus est in medio Doctorum, non docens,

docens, ſed audiens & interrogans eos. Et facit ad hoc illud, quod Lucas de eo in Actibus ſcribit: Cœpit Ieſus facere & docere. Primò ſcilicet facere, poſtea docere. Comedere ergo primò iuniores, id eſt, incorporare ſibi debent, ſecundum Ezechielem, volumen ſacræ ſcripturæ ad incrementum virtutis, vt in ore eorum per prædicationem fiat oportunò tempore tamquam mel dulce. Tertius quoque, id eſt, ſenex, generare non poteſt. Et hæc eſt cauſa: quia natura non poteſt in eo digerere ſanguinem ſeminalem. Vnde in libro Regum tertio dicitur, quòd rex Dauid ſenuerat, & calefieri non poterat, dum cooperiretur pellibus. Naturalis enim virtus in ſenibus à rigore deflectitur, & neceſſe eſt, vt dum organiſmus corporis, quaſi fornax & inſtrumentum ignis deſtruitur, feruoris & ſenſus qualitas minuatur. Si enim verum eſt, quod magnus ille Grammaticus dixit: Quantò iuniores, tantò perſpicaciores: ergo ex conſequentia verum eſt, quantò ſeniores, tantò* tardiores. Sed in libro Regum tertio dicitur, quòd Aſa rex Iuda in ſenectute doluit pedes, & hoc affectuum, qui vtique fiunt in ſenibus circa ſalutem proximi tardiores. Calor enim feruidæ caritatis cauſa eſt, vt ſermo exhortationis in prædicante aptè & bene digeſtus, vtiliter auditoribus proferatur, quod vix & ſine diuino miraculo in ſenibus, qui à ſexaginta, vel ſi in longum à ſeptuaginta annis ſenſibus minorantur, fieri comprobatur. Quod autem de beatiſſimo patre Auguſtino legitur, teſte Poſſidio Calamenſi Epiſcopo, quòd ſenectute longa confectus verbum Dei vſque ad ipſam extremam ſuam ægritudinem imprætermiſsè, alacriter, & fortiter, ſana mente,

Act. 1. — *Ezec. 3.* — *3. Reg. 1.* — *Priſcian in ep prælim. ſuæ Gram.* — *ms. p minus perſpicaces. ms. s. ebetatiores.* — *3. Reg 15.* — *Poſſid. in vita Aug. c. 31.*

mente, ſanoque conſilio, in ſancta eccleſia prædicauit: membriſque omnibus ſui corporis incolumis, integro aſpectu, atque auditu dormiuit cum patribus ſuis, diuinæ virtuti potiùs aſſcribendum eſt, quàm naturæ, & vix in tranſacto tempore, & certè in præſenti ſimile non videmus.


Prædicator ſit in omnibus temperatus.

Tertiò neceſſaria eſt qualitas in ſementina generationis materia, vt ſcilicet in ea ſit temperantia caloris, frigiditatis, ſiccitatis, & humiditatis. Vnde dicit Domius in Euangelio: Semen eſt verbum Dei. In ſemine autem prædicationis neceſſe eſt, vt prædicator ſermonem contemperet audientibus, ne per exceſſum feruoris & zeli erumpat in talia, per quæ ſcandalizet, & turbet, aut prouocet audientes. Vnde Pſalmiſta inſtruit, dicens: Et bene patientes erunt vt annunꝫient. Patientiam volens intelligere: in prædicantibus moderamen. Hoc idem de ceteris exceſſibus caueatur: ne ſit ſcilicet tepor, aut frigus in verbo, ne ſit etiam ſine humore gratiæ ſiccum. Caueatur inſuper, ne & humidum nimis, hoc eſt ſecundum Prophetam, aqua, id eſt, ſeculari ſcientia mixtum, minus reddat intentos & ſollicitos auditores.

5. *Luc.* 8. *Pſa.* 91. *Iſa.* 1.

Diſcant ergo apes fidelium reges; id eſt, prælatos idoneos ordinare, qui per prædicationis ſemen conueniens, poſſint adoptionis populos generare. *Conc.*

De



De peruersa & iusta iustitia.

CAPITVLVM XXXV.

Prærogatiuum examen iudicij tenent. Incorrigibiles enimnotant, & castigant, mox & morte puniunt.

1. *De peruersis iudicibus.. 2. Par. 19.* VID mirum? Audi quid dixerit Iosaphat rex Iuda Iudicibus populi, quos constituit. Videte, inquit, quid faciatis. Non hominis exercetis iudicium, sed Domini: & quodcumque iudicaueritis, in vos redūdabit. O quàm horrenda sententia in illos, qui peruertunt vel peruertere permittunt iudicia. Secundum Prophetam: Iustificant pro muneribus impium: & *Isa. 5.* causa viduæ non ingreditur ad eos. Væ ergo im- *Isa. 1.* pijs in malum: retributio enim illorum venit. *Ibid. 3.* Quæ? Iustus Dominus & iustitias dilexit, æqui- *Psa. 10.* tatem vidit vultus eius. Si autem dilexit iustitias, & approbationis oculo considerat æquitatem, per consequens iniustitias odit in iudicibus, & improbat falsitatem. Vbi ergo iustitiam habere non poteris, patienter ad Dominum iustitiæ cum fiducia cōuertaris, qui impunitam nequitiam ire non sinit, & cùm acceperit tempus, ipse iustitias iudi- *Psa. 74.* cabit. Quid autem super hoc nostro ferè tempore, secundum quod à fratre ordinis Prædicatorum audiui,

audiui, in Lotharingia coniuncta Brabantię factum sit, audiamus.

De abbate Sancti Iacobi apud Leodium, qui contra praepositum coram Deo appellauit.

MOnasterium S. Iacobi apud Leodium notum multis est, & acceptum. Istud quidam adolescens, consobrinus maioris Praepositi, causa deuotionis & religionis intrauit. Quod, vt audiuit praepositus, indignè tulit: mandat abbati remitti consobrinum per clericos: renuit ille. Tunc praepositus forti manu collecta satellitum, intrat violenter cœnobium, rapit iuuenem, & nudatum sancto habitu induit seculari. Abbas ergo monasterij collectis primoribus ciuitatis, Episcopo conqueritur, & totum clerum pro tantis iniurijs interpellat. Hoc cùm indignanter audire vix vellet Episcopus, & Abbatem potiùs duris verbis impeteret: Flexis Abbas genibus, cum moderamine verborum dixit pręposito: Iudicem contra te ô praeposite in terra habere non possum, & ideo contra te Deum summum iudicem interpello, vt infra quadraginta dies vterque nostrûm compareat coram illo, sententiam pro meritis accepturus. Ad haec pręsul cachinnans cum suis irrisit hominem atque spreuit, & repulit exprobratum. Quid plura? Quadragesimo die circa nonam mortuus est dictus abbas. Et cùm pro eo solemniter pulsaretur, sedens in balneo praepositus, quęsiuit à circumstantibus, quid hoc esset? Mox quidam ingrediens, & requisitus de sonitu campanarum, respondit abbatem S. Iacobi modò esse defunctum, & pro eo pulsationem fieri tam solemnem. 2.

nem. Illico recordatus præpositus quadragesimam diem esse, qua se citatum coram summo iudice audierat ab abbate, consternato animo dixit suis: Citò, videte quid faciam, mortuus ego sum: comparere me hodie summi iudicis conspectibus oportebit. Nec mora, post verba hæc, cùm balneum egredi festinaret, in astantium manibus cum diro eiulatu & vocibus exspirauit, ibi proculdubio respondere compulsus, vbi causarum strepitus cessant, iurisperitorum aduocatio conticescit: vbi nec preces, nec pretium liberabunt: vbi nec interlocutoria iudicis sententiam protelabunt.

De appellatione abbatis Valencenensis contra Comitem Hanoniæ.

3. SImile quid & de Comite quodam Hannonię, fide indubitata, percepimus, qui dum vellet in ecclesia S. Ioannis in Valencenis canonicos expellere regulares, & pro eis ponere canonicos seculares: abbas eiusdem loci ad summum iudicem appellauit. Appropinquante autem appellationis die, cùm abbas inciperet infirmari, & se ad comparendum coram summo iudice orationis instantia præpararet, ipseque Comes sub eodem tempore sentiret incommodum, causæ cessit, omnimodè diem veritus iudicij & sententiam exspectare.

Duo mala in peruerso iudicio.

4. ET nota in peruersione iudicij duo mala. Vnum, quòd offendunt Deum, & aliud, quòd offen-

offendunt proximum. Primum fit mandatum Dei tranſgrediendo: Secundum proximo iudicium ſubtrahendo. Retributio ergo eius veniet, *Iſa. 3.*
vt offenſam Dei, etiamſi hîc pœnituerit, per afflictionem corporis, luat: & offenſam proximi, quam per iudicium iniuſtum incurrit, damnis eius ſatisfaciendo reſtituat. Idem eſt enim iudicio quod manu diripere: vel ſi impœnitens perſeuerat, pœnam pro vtroque, perpetuò damnatus, exſoluet. Qua fronte in futuro illo extremo & tremendo iudicio ipſum ſummum iudicem exſpectabit, qui hîc temporaliter iudex, eum per inuerſum & falſum iudicium irritare non timuit?

Iudex non corripiens corripietur, exemplo Heli.

QVid ſit autem tenere iudicium, ad illos maximè ſpectat, qui iudicare & corrigere debent exceſſus, & opera ſubditorum. Vnde dicit: Incorrigibiles enim notant, caſtigant, mox & 5.
morte puniunt. Cuius exemplum in libro Regum *1. Reg. 2.*
primo inuenitur, vbi Heli ſacerdos contra legem *1. Reg. 4.*
excedentes filios non correxit, & cum eis in vno die vindictam crudeliſſimæ, ſed iuſtiſſimæ animaduerſionis accepit. *i. ſeueriſſimæ.*


De Comite, qui ex iuſtitia filium occidit, ad cuius os per ſe hoſtia ſacra acceßit.

HOc veritus in vtroque quod dictum eſt de iniuſtis iudicibus, & de his, qui ſunt circa correctionem ſubditorum incorrigibilium negligentes, Comes quidam iuſtiſſimus iudex, vt certiſſima relatione didicimus, in proprium filium 6. *Simile, ſi non idem recitat Cæſar. l. 9 c. 38.*

lium & vnicum tale iudicium fecit. Decubuerat ipſe Comes annis duobus aut tribus languens, & vna dierum, filio eius virginem opprimente, clamor populi per ciuitatem validus excitatur. Quo clamore pater attonitus, inquirit, quæ cauſa ſit: negant primitus qui aſtabant, ſed tandem minis territi, intimant veritatem. Qua detecta, vultu diſſimulante, cum lacrymis petijt ab aſtante ſeruo cultrum exacuatum & lōgum, quaſi vellet ſibi vnguium excrementa reſcindi. Nec diu immoratus, cùm vix ſex horarum ſpatio interiecto filium præcipit aduocari. Quo veniente & propius accedente, dixit pater: Numquid noſti quòd ſim dominus, & tu me ſuperſtite & viuente, in confuſionem mei & tui, opprimere virginē voluiſti? Abſit vt te talē heredem habeā, & te talem poſt me terræ dominum derelinquam. Hæc dicens, ſubitò eum in corde cum cultro percuſſit. Nec quatuor dierum poſt hæc ſpatium interceſſit, cùm ecce Comes ſibi mortem imminere proſpiciens, quemdam ſecreti ſui conſcium mandauit abbatem, cui cùm confeſſus eſſet, & peteret corpus Chriſti, & nihil in confeſſione de filij occiſione tetigiſſet, abbas nolens eum abſoluere, vel communicare, quæſiuit quare tantum ſcelus filicidij omiſiſſet? Cui Comes mira conſtantia reſpondens, dixit: Abſit, vt illum reputem paterni principatus heredem, licet carne mea genitum, qui contra fas auſu nephario iuris violator exiſtens, ſe dignum fecit mortis iudicio. & omni iure ſucceſſionis indignum. Nec verè ego filium pater, ſed legum & patriæ iudex, legis & patriæ violatorem occidi. Tu autem abbas vicarius iudicis Dei contra le-
Deut. 21. gem me iudicas, quæ, Deuteronomij libro teſte,

in necem

in necem proterui filij primas parentum manus esse præcepit. Vnde ad Christi iudicis tribunal appello, vbi sine tua absolutione facti huius astare volo, & certus, eius iudicium expectare, hoc solùm peto, vt pixidem aperias Dominici sacramenti, & me salutare Dei oculis tantùm videre permittas. Quod vbi annuit abbas, hostia salutaris mox se ori Comitis patenter infudit, & eum iustum prærogatiui examinis iudicem & rectissimum vindicem scelerum comprobauit.



De virtute innocentiæ & simplicitatis.

CAPITVLVM XXXVI.

Miro modo innocuæ sunt.


LLVM vtique apes fidelium imitantes, 1.
qui, secundum Prophetam, peccatum
non fecit, nec inuentus est dolus in ore *Isa. 53.*
eius. Rara res est istis temporibus, etiam in pueris, qui nomine & facie innocentiæ puritatem ostendunt, puritatis innocentiam inuenire, sed ætatẽ supplente malitia, luxurijs in se vires exhauriunt ante tempus. Ideo decus omne deperijt, robur elanguit in adultis. Facinorosi quique pręferunt palmam, virtus abiecta succumbit, Cain *Gen. 4.* in fratricidijs reuiuiscit, Abel innocens de nouo prosternitur. Non est qui reputet puritatem, & ideo sectator innocentiæ rarissimus inuenitur. His quidem si soli essent principes obnoxij seculares, posset vtique, sed tamen cum gemitu tole-

rari. Sed in illis est cum detestatione maxima conspuendum, qui sunt loco Apostolorum dispensatores ecclesiæ, qui despectis innocentibus & probatis, non ponderant promouere impium, si eum videant & versutum. Non sic vilis Deo innocentia creditur, qui ab initio mundi innocentem Enoch à seculo transtulit, Noë iustum seruauit, Abraham ampliauit, Esau reprobauit, Iacob dilexit, Ioseph innocuum toti Ægypto præfecit. Innocentiam puritatis in matre Christus elegit, in Innocentibus coronauit, in Baptista laudauit, in Ioanne dilexit, in illis, quos vocauit ad se & complexus est paruulis, commendauit, dicens: Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum. Et quid dicam? Tempus me potiùs deseret quàm exempla, quoniam quicumque Domino placuerunt, ei placuerunt aut per vitæ innocentiam ante lapsum, aut per vitę perfectionem post lapsum, aut certè ad vitæ puritatem per pœnitentiam redierunt.

Gen. 5. Ibid. 7. Ibid. 13. Mal. 1. & Rom 9. Gen. 41. Mat. 2. & 11. Ibid. 18. Mar. 9. Mat. 19.

De simplici monacho Cluniacensi, qui ferrum candens manibus contrectabat, à femina seducto.

2. QVid autem in confinio Burgundiæ per innocentiam actum sit, vt à fratre ordinis Minorum percepimus, referamus. Antiquissimo more seruatū est in ordine S. Benedicti, à cunabulis ferè pueros indui, & sic eos ibidē per vitæ innocentiā educari: quod contra tamen sæpius actum audiuimus: nec approbamus per omnia, puerum rationis expertem vouere quod nescit: sed potiùs adultum quemlibet, qui possit discretiuè reprobare quod displicet, & electione digna approbare quod

re quod placet. Puer quidam in confinio Burgundiæ fuit, qui in monasterio ordinis sancti Benedicti apud Cluniacum ab ipsis ferè cunabulis innocentissimus ac simplicissimus adoleuit. Iuuenem igitur adultum abbas suus pro recreatione vel ioco secum proficisci extra præcepit. Sufferrandorum ergo equorum causa, abbate cum suis ante domum ferrariam descendente, miratus ex simplicitate iuuenis, eò quòd numquam tale quid viderat, ferrum candens, nuda illud manu sine adustione aliqua vel læsura eleuans contrectauit. Abbas itaque stupefactus, & omnes qui præsentes aderāt, innocentiā in iuuene venerati sunt, & rem iteratò ac pluries probauerunt. Post hæc, abbate cū suis aliàs occupato, iuuenis mox interiora domicilij est ingressus, vbi vxorem fabri tenentem puerum super genua inueniens, cum paruulo, cui numquam similem viderat, iocari cœpit. Illico autem mulier in iuuenem, quasi inexpertum malitia, stimulata; si talem habere vellet inquirit. Et ille: Libentissimè, inquit. Quæ mox nescium ad concubitum instruens, puerum sic fieri promittebat. Ergo vbi iuuenis post concubitum innocentia spoliatus, egressus est, ferrum candens, vt priùs, contrectare existimans, grauiter adustus exclamauit. Qua in re non modicè turbatus abbas & miratus, animaduertit ex interiori læsura animæ iuuenem foris læsum, & priori, quæ eum contra ignem protexerat, innocentia denudatum. Reductum ergo ad monasterium iuuenem abbas super gestis diligenter inquirit, veritatem ille simplicissimè confitetur, & sic cum multis lacrymis damnum suum tremebundus *ms.b.c.o. 2.* *imp. expauit,*
* expiauit.

 Virgi-

Virginalem puritatem valere contra dæmones exemplo Cypriani magi.

3. SEd & potentem contra dæmones puritatem mira gesta Iustinæ virginis & Cypriani testantur, vbi Cyprianus adhuc puer, à magistro mago compulsus, legitur decem & octo annis puritatem virginalis innocentiæ custodisse, vt per hanc maiori potentia & imperio contra dæmones potiretur.

De puella à dæmone liberata per puerum innocentem iuxta Mechliniam.

4. SVper hoc quiddam valde memorabile certissima relatione ab his, qui præsentes aderant & viderant, in Machlinia opido Brabantiæ percepimus accidisse. Puella quædam sacro die Dominico cũ iuuenibus chorizauerat diu valde. Fatigata ergo, domum tandem rediјt. Nec mora, dormitum pergens, dæmone fit repleta, qua clamante, surgit familia, ligant vinculis sæuientem, mane in Hanswyck ad oratorium gloriosæ Virginis extra opidum deportatur: frequenter enim ibidem Maria virtutum operatrix miracula plurima demonstrauit. Quod vbi scholares pueri perceperunt, ad locum vbi vexabatur puella, in oratorium cucurrerunt, quorum vnus annorum ferme duodecim, audacior ceteris atque sagacior, cœpit compellere & adiurare dæmonium, vt corpus obsessum desereret, & exiret. Nec mora, vbi dæmon circa vmbilicum per tumorem se esse monstrauit, dictus puer crucem cum pollice in

contra-

contrarium fixit: & sic paulatim per crucem, versus os ascendere compulit donec eum in speciem hirsuti vermis omnis populus intra hiatum oris hærentem vidit. Quo, miro conatu, ad inferiora redire volente, clamauit populus: puer autem instanter signum salutis opposuit, & cum maxima violentia dæmonem exire coëgit. Eiectum ergo vt diximus, in modum hirsuti vermis, puer audacter dextera comprehendit, & in fossam paruulam, vbi pluuialis vnda consederat mox proiecit. Qui statim in oculis totius plebis disparens, lætitiæ & laudis omnibus materiam dereliquit. Proinde manus pueri à contactu vermis nigredine infecta remansit: sed protinus aquæ benedictæ lauamento discessit.

SAcrosancta ergo res est, esse ab omni labe criminis innocentem: sed simul esse conuenit simplicem & prudentem. *Conclusio. Mat. 10.*



De innocentia boni hominis & iusti, qui nemini cupit nocere, sed omnibus prodesse.

CAPITVLVM XXXVII.

Fructibus nullis nocent, sed nec mortuis quidem.



CHRISTVS de patre dicit: Omnem palmitem, qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat. Rectè autem subditur: Nec mortuis quidem, subaudi nocent. *Ioan. 15.*

cent. Et hoc est quod in euangelio de Christo rege apũ fideliũ signanter legitur: Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. Quod & ad nos moraliter referri potest. Fructibus nullis nocent, id est fructificantibus per bona opera nocere non debemus, vt impediamus eos in aliquo; sed potiùs adiuuemus, & eorum exemplo ad consimilia prouocemur. Vnde Salomon in prouerbijs: Noli prohibere eum qui bene facit: si potes & ipse bene fac.

Mat. 12.

Prou. 3.

Multis modis nocet homo homini.

MVltis modis nocere dicitur homo homini, sed præcipuè tribus: corpus occidendo, animam seducendo, vitam infamando. Corpus tripliciter occiditur, gladio materiali, vel † consimili, vt Cain Abel: subdola proditione, vt Iudas Christum: victus subtractione, vt qui necessitatis & famis tempore, negando victum, pauperes perire permittunt. De primo dicitur in decalogo: Non occides. De secundo in eodem. Non feres contra proximum tuum falsum testimonium. De tertio dicit Ambrosius: Pasce fame morientem, quòd si non paueris, occidisti. Anima proximi tripliciter seducitur: peccato scilicet, exemplo, & consilio. Peccato, vt qui hominem peccare facit, sicut filij Heli, Ophni & Phinees, qui peccabãt cum mulieribus, quę excubabant ad ostium tabernaculi. Exemplo, vt Salomon, qui illectus amore mulierum idolis immolauit, & per hoc peccare fecit multos ex Israel. Consilio, vt qui tempore Iudæ Machabæi persuaserunt multis vt derelinquerent legem patrum suorum.

c.

Gen. 4.
† putatur enim maxilla alicuius animalis eum occidisse.
Exod. 20.
Ibidem.
Referetur ex Ambr. dist. 86. c. 21. pasce
1. Reg. 2.
3. Reg. 11.
1. Mac. 1.


ſuorum, & idolis immolarent. Vel conſilio dici poſſunt ſeducere, qui incauta prædicatione neſcientes & ſimplices de occultis peccatis reddunt curioſos atq; ſollicitos, quæ prius ignorabant. De primo dicitur in Decalogo: Non mœchaberis. *Exod. 20.*
De ſecundo in libro Heſter in fine: Gladio & *Eſter. 16.*
igne pereat pro exemplo contemptus & inobedientiæ. De tertio in libro Iob: Adducet conſi- *Iob 12.*
liarios malos in ſtultum finem. Vita etiam proximi tripliciter infamatur: vel minuendo bonum quod in eo eſt, vel augendo malum ſi quod eſt: vel fingendo malum quod in eo non eſt. Primum quidem eſt malum, ſecundum peius, tertium peſſimum. Et hæc eſt beſtia, quam vidit pro- *Dan. 7.*
pheta Daniel cum triplici ordine dentium, quæ multos populos deuaſtabat. Et hoc quare? Quia eò minus peccatum detractionis vitatur à pluribus, quò minus peccati mortalis culpam ab ignorantibus habere putatur: cum tamen multò grauius ſit ſine culpa proximum infamare, quàm furto veſtem eius auferre: & hoc quidem multi, illud verò ponderant pauci.

De obitu & punitione cuiuſdam presbyteri detractoris.

HVius rei vindictam horribilem valde & 3.
mirabilem vidi. Noui ordine, non re: nomine, non actibus ſacerdotem, qui in tantum vitio linguæ deditus erat, vt potius de ſe peſſima mentiretur, quàm non ſocios vel cohabitantes ſibi criminibus infamaret. Hic ante mortem raptus in furiam, tãta in ſe debacchatus eſt cæde, vt proprijs dentibus linguam maliloquam laniaret, & palam cunctis oſtenderet, quòd quia *Pſal. 13.*

4.mſ.2. imp.e. omit. hanc ſententiam ex Sap. 11.

lingua ſua dolosè egerat, & venenum aſpidum ſub labijs eius, quaſi ſepulchrum patens guttur illius fœtorem teterrimum exhalaret, * & per quę peccauerat, per eadem torqueretur.



Quilibet ſtudeat occaſionem proficiendi & ſe emendande ſumere non ſolùm à bonis, verùm etiam à malis.

CAPITVLVM XXXVIII.

Non ſolùm ab odoriferis, verùm etiam à fœtidis herbis mellis alimoniam trahunt, mirè tamen bonis odoribus delectantur, & naturaliter fugiunt fœtida; ſed in eis propter mellis bonum ad tempus vtiliter demorantur.



1. 1.Theſſ.5. ET hoc eſt idem quod Paulus dicit: Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Per odorifera intelligimus opera bonæ famæ, ſicut & per fœtida, opera
2.Cor.2. malæ famæ. Vnde Apoſtolus: Bonus odor Chriſti ſumus Deo: alijs quidem odor vitæ in vitam: alijs odor mortis in mortem. Auguſtinus ſuper eodem verbo dicit: Sicut quondam illud pretioſiſ-
Mar.14. ſimum vnguentum, fracto alabaſtro, odore do-
Ioan.12. mum impleuit: ita & Apoſtolorum opinio beatorum,

torum, fractis eorum corporibus per martyrium, quasi suauissimum holocaustum Domino, ecclesiam toto orbe resperfit, & hoc quidem alijs congaudentibus, fama vitæ in vitam: alijs inuidentibus, fama mortis in mortem. Tu autem apis, fidelis anima, delectare fama operum, & odoribus bonorum, quæ tibi in mutua collatione de bonis & ædificatorijs verbis os sapidum & odoriferum reddant, per quod ædificetur proximus; & cor mundatum spurcitijs gratulabundum faciant, quò magis ad desiderium collium æternorum eius suspirium excitetur. Gratius tibi sit, quasi fauos mellis & lactis dulcedinem linguam tuam & labia distillare, quàm amaricari ventrem tuæ memoriç, & felleis recordationibus ad vomitum prouocari. Illud verò quod textus aptè subiungit: quòd licet fugiant naturaliter fœtida, sed in eis propter mellis bonum ad tempus vtiliter demorantur, sic intelligendum est: quòd non solùm in bonis hominum actibus proficiendi occasionem sancta anima sumit: verùm etiam in malis: dum in his videt, quod iustè displicet, & in illis imitatur, quod bonum videt.


Gen. 49. *Cant. 4.* *Apoc. 10.*

De Philippo de Monmiral nobili milite, qui octo monasteriorum fuit fundator.

2\. VIdimus, & valde dilectum ac familiarem habuimus nobilem Philippum militem de Monmiral, vitæ perfectissimæ virum: in quo illud memorabile frequēter aduertimus, quòd totū tēpus suum, vel in oratione ac deuotione continua: vel in sanctis collocutionibus expendebat. Nouerat enim multos valde religiosæ vitæ viros

ac feminas, quos in Græciæ, Longobardiæ, Burgundiæ, Prouinciæ, Galliæ, Flandriæ, atque Brabantię partibus quærendo lustrauerat: quorum virtutes, mores, & verba miro cum feruore & desiderio referebat, & ad meliora per hoc mentes audientium excitabat. Sed & auditores suos & collocutores mira oris gratia compellebat, vt sibi aliquid relatu dignum, quod audissent vel vidissent in facto, vel in dicto bonorum, exponere dignarentur. Et hæc quidem vltra quàm credi potest in eo tantam deuotionem, tantam lætitiam, & tantum desiderium excitabant, vt istis solis viuere crederetur. Si quid verò extra talia eum audire contingeret, quasi esset percussus in capite, cum mira anxietate spiritus, faciem auertebat. Nec frustratus est fructu oris & auris bonorum, quę scilicet libenter protulit & audiuit: cùm eum Deus miro modo remunerauerit etiam in præsenti. Vix enim habuit de omnibus paternis bonis necessarium vitę victum, & tamen octo monasteriorum Cisterciensis ordinis fundator extitit indefessus, exceptis congregationibus Beghinarum, quas vsque ad quinque milia, & eò amplius, in diuersis locis in Christi seruitio mancipauit. Ecce quid sit bonis bonæ famæ odoribus delectari.

Quòd



Quòd rigor iustitiæ & zelus correctionis in capitulis strictè sit seruandus.

CAPITVLVM XXXIX.

Mira munditia circa eas. Admoliuntur enim omnia in medium, nullæ inter opera ſpurcitiæ iacent: quin & excrementa operantium intus ponunt, ne longiùs recedant: vt congeſta in vnum locum, turbidis diebus & operum ocio foras efferant aggregata.



N his verbis notatur capitulorum neceſſaria & celebris officina, vbi debent exceſſus peccantium proferri, accuſari, corrigi, & purgari. Conuentuales enim omnes generaliter decet; & præcipuè cœnobitas, vt mira ſit mundicia circa eos. Et hoc quomodo cōuenientiùs fiet, quàm vt in medium exceſſus ſingulorum quaſi excrementa operantium ſalutem mutuam, proferantur? & ſic fit quod ſcriptum eſt: Salutem veſtram inuicem operamini. Multùm eſt enim remiſſius, miſericordius, & tolerabilius in præſenti coram paucis,& *Phi. 2.*

cis, & hoc coram fratribus corripi & emendari, quàm in illo horrendo iudicio coram omnibus, bonis & malis sententialiter condemnari. Et hoc
1.Cor.11. est quod dicit Apostolus: Si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur. Sed heu timet
ms.p's.c.2. imp.paci. quilibet * parti suę, & peccantem veretur arguere: ne sibi à socijs, cùm peccauerit, talio refundatur. Qui potiùs gaudere deberet, argui cùm peccaret, & illa fronte socium audacter corripere, qua vellet eum suos excessus vel negligentias non tacere. Sed nunc secundum Prophetam Iob:
Iob 40. & 41. Protegunt vmbræ vmbram eius, & corpus eius quasi scuta fusilia, compactum quasi ex squamis se prementibus. Et in hoc diabolum cum suis omnibus intellexit, qui inuicem se vel defendunt vel contegunt; vt sic omnis ordo monasticus in dissolutionem, omnis honestatis decus in turpitudinem, omnis forma virtutis in vitium, omnis rigor iustitię in præcipitium facinorum euanescat. Hæc omnia prorsus eueniunt, eò quòd accusationes & correctiones in capitulo non habentur. Pe-
Act. 5. trus Ananiam & Saphiram, quasi in capitulo seniorum, pro vitio proprietatis corripuit & puniuit. Paulus principem Apostolorum Petrum, qua-
Gal. 2. si in capitulo coram senioribus & fratribus arguit, quia reprehensibilem iudicauit. Hæc in initio nascentis ecclesiæ, & inter dispensatores fidei maximos, ad instructionem nostram facta sunt & conscripta. Vbicumque ergo horum seruatur exemplum, ibi indiuidua semper, cum ipsa abundantia rerum temporalium, Christi gratia perseuerat. Et licet in mutuis accusationibus & correctionibus capitulorum subitæ aliquando turbationes proueniant animorum, Spiritus tamen sancti vir-

cti virtute citiùs cõquiescunt, & ad se redeũt corde pacati. Vnde textus satis innuit, quòd hęc fieri solent turbidis diebus & operum ocio, hoc est cum deliberatione & discreto moderamine prælatorum. Quod autem præmittitur: poni in medium operantium excrementa, ne longiùs recedant, intelligi sic debet, vt pro accusationibus & correctionibus capitulorum appellationes & diffamationes fieri prohibeantur.

De disciplina Capitulari memorabile & stupendum exemplum Decani Remensis in suum canonicum & Ardiaconum, electum Episcopum Cathalonensem.

SOlertissimum quemdam in Remensi ecclesia 2.
Decanum, genere Anglicum, ab his, qui virum cognouerũt audiuimus, † qui canonicos suos *f. fuisse.*
pro excessibus viriliter corrigebat. Accidit autem eius tempore, vt venerabilis & Deo dignus Albertus Leodiensis Episcopus, frater Ducis Brabantiæ, ab Imperatore Henrico, exul ab imperio pelleretur, & à militibus eius iuxta Remensem vrbem pro iustitia dolosissimè necaretur. Ad cuius exsequias cùm venerabilis Rotardus, ex regali genere ortus, tunc quidem Archidiaconus Remensis, sed in Cathalauno præsul electus, sine nuptiali veste cum multa turba nobilium interesset. Sepulto sacro cadauere in choro Cathedralis ecclesiæ, vt decebat, Decanus omnes canonicos, nec non & ipsum Cathalaunensem electum ad Capitulum conuocauit. Residentibus ergo cunctis, dixit Decanus electo: Nondum adhuc, vt credo, Archidiaconatum aut canoniam resignastis? Cui electus: Nondum, inquit. Surgite ergo, ait Decanus, &

nus, & satisfaciatis ecclesiæ, & dorsum ad disciplinam coram fratribus præparate, eò quòd sine veste nuptiali chorum cum canonicis contra regulam introistis. Nec mora, surgens & procumbens electus, vestes exuit, & à manu decani validissimam disciplinam accepit. Qua accepta, electus vestibus reindutus, erexit se, & decano cùm maxima oris gratia coram omnibus dixit: Gratias ago Deo, & patronæ Remensis ecclesiæ, eius pijssimæ genitrici quòd te talem hîc in regimine derelinquo. Hinc magis diligam locum istum, & in sede ista dignam seueritatis memoriam venerabor. Hæc dicens, Archidiaconatum & Canoniam resignauit, & in se verificauit illud vulgare prouerbium: Quantò caput altius: tantò collum mollius. Mirè enim decet nobilitatis celsitudinem humilitatis mansuetudine remolliri. Ergo quantum in re narrata conijcio, non minus in correcto exemplum virtutis relinquitur, quàm in Prælato constantia præcesserat corrigentis, dum nobilis & electus in præsulem, correctionem perualidam paruæ culpæ cum patientia & humilitate sustinuit: & ille etiam in tanto viro inultum ire non pertulit, quod non correctum, alijs in ruinam futurum, fore præuidit.

Eiusdem Decani sententia de punitione nepotis sui Canonici Atrebatensis.

3. AVdi iterum quid idem decanus de filio sororis suæ egerit excedente. Ob amorem & reuerentiam dicti auunculi sui, canonica præbenda in Atrebatensi ecclesia clerico est liberaliter collata. Post tempus autem, ipse clericus pro lapsu

lapſu carnis punitus, per annum ſuſpenditur à præbenda. Inde caſus accidit, vt decanus, eius auunculus, ad ciuitatem Atrebatenſem cauſis emergentibus deueniret. Qui honeſtè, vt talem virum decebat, à canonicis eſt receptus. Narratur etiam ei exceſſus nepotis à ſocijs, pœnaque inflicta: vt ſcilicet canonica portione vno anno careret, promptumque eſſe capitulum pœnam liberaliter relaxare nepoti, ſi pro eo preces fundere dignaretur. Et ille. Quare non, inquit? Filius ſororis eſt. Conuocato ergo capitulo canonicorum, dixit: Nepotem meum exceſſiſſe percepi, & iuxta conſuetudinem eccleſiæ per annum in præbenda punitum. Rogo vos, vt in meum arbitrium ponatis hanc noxam. Nec mora, cunctis læto vultu annuentibus (erat enim clericus de bonis ſocijs illis, quorum nec vnus vmquam, * vt vulgo dicitur, bene fecerat) decanus ſubjunxit, dicens: † Veſtri gratia, vos domini mei chariſsimi, noxam nepotis mei in meum arbitriũ poſuiſtis. Commendo quidem & approbo conſuetudinem veſtram, qua per annum lubricos in carne punitis. Iſti anno, quo nepos meus à vobis in præbenda punitus eſt, alterum annum addo, vt duobus annis omni beneficio careat prębendali. Et ſi quidem medio tempore ſe correxerit tali modo, vt dignè reſtitui mereatur, veſtrę in hoc annuo beniuolæ largitati: ſin autem, ipſo facto quo malè ſe geſſerit, numquam ad præbendam vel gremium huius eccleſiæ in perpetuum admittàtur. Hęc vt audiere canonici, mirè in verbo ædificati ſunt, & tantam decani virtutem per totam Galliam vulgauerunt.

ms. b. c. in vulgo Dei. o.

Rectius veſtra.

Quod



Quòd consonatia vocum in psalmodijs sit vigili mente seruanda.

CAPITVLVM XL.

Pariter aggregatæ suauiter cantant.

1\. *De corpore Christi in alueari ab apibus decẽtissimè collocato, & suaui earum modulatione ei exhibita.*



VID autem de cantu apum ad laudem Christi, secundum litteram acciderit, audiamus. Narrante mihi viro sancto abbate quodam, quondam audiui, pauperem hominem in suburbio ciuitatis cuiusdam aluearium apum habuisse maximum. Cumque frequentiùs pauper apes sollicitus visitaret, primùm animaduertit eas sæpius in die mira alacritate concinere, & postea, cùm curiosiùs indagaret, sexies interpolare concentus, nec vllis conuehendis cibis operam dare. Nec diu post hæc, cùm casu nocte media surrexisset, vidit super apes totum aërem illustrari, & contra consuetudinem omnium apum, apes ipsas in nocte cantibus modulari. Stupefactus ergo vir, & rem frequentiùs probans, ad ciuitatis Episcopum cum presbytero suo venit: narrat de apibus quid agatur. Nec mora, præsul in propria persona veritatem explorans, sicut ei dictum fuerat, inuenit. Communicato ergo consilio cum probis viris, & euocato populo ciuitatis, quid in alueari sit aggreditur experiri. Et fracto vase, inuenit in modum pixidis eburneæ vasculũ ex cera candidissima in

Simile refert Cæsar. l. 9 c. 8.

ma in

ma in fastigio alucaris, & in eo corporis Christi sacramentum: circa ipsum verò, apum choros, in modum phalangarum cælestium, excubias celebrantes. Sublato igitur validissimo clamore cum lacrymis, corpus Christi in ecclesiam detulerunt, & in loco vbi inuentum fuit, in remedium languentium innumerabilium, oratorium construxerunt. Cumque iam narrata, vbique terrarum fama celebri vulgarentur: duo fures, rei perterriti nouitate, sponte confessi sunt, quòd in vicina ecclesia corpus Christi cum pixide argentea rapuissent: & retenta pixide, sacramentum corporis Christi iuxta transeuntes, sub aluéari prædicto in fuga celeri proiecissent. Sic ergo innotuit, si tamen dici potest, etiam † breuissimæ in volatilibus api panis ille viuus, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo, & hominem credere monuit veritati, quę dixit: Panis, quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita. Et quidem sufficiens ratio est huius pretiosissimi sacramenti ipsa veritas attestans, quę nec fallere, nec falli potest: quamquam & hoc manifestissimis miraculis, etiam nostris temporibus non cessauerit comprobare.

.i. minimæ.
Eccli. 11.
Ioan. 6.
Ibid.
Veritas corporis Christi in Eucharistia.

De corpore Christi in effigie pueri, & alijs formis, apparente Duaci in ecclesia sancti Amati.

OPidum Duacense amplum & magnum est intêr Cameracum à dextris viæ, & Atrebatum; nobilissimas ciuitates. Hîc in ecclesia canonicorum sancti Amati Episcopi, cùm sacerdos in pascha communicato populo corpus Christi super nudam terram † stupidus inuenisset, & flexis genibus eleuare tentasset: mox per se in aëra subleua-

2.
Accidit an. Christi 1254
.i. stupefactus.

leuatum, panniculo, quo conſecratos digitos ſacerdos detergere ſolet, inhæſit. Clamans ergo presbyter, canonicos vocat: accurrunt illi, ſpectãt in panno corpus viuificum in ſpecie faciei venuſtiſſimi pueri. Et mox conuocato populo ad ſpectaculum præſentatur, & indifferenter nulli tanta cælitus viſio denegatur. Hæc cùm audiſſem fama vulgante, veni in opidum quod prędixi. Acceſſi ad Decanum eccleſiæ, cui optimè notus eram. Petij videre miraculum. Annuens ille, præcepit vt fieret: aperta eſt theca, concurrit populus, moxq́ue vbi pixis reuoluitur, clamant omnes: Ecce iam video, ecce conſpicio ſaluatorem. Stabam ego attonitus nihil videns, niſi tantùm ſpeciem panis albiſſimi, nihil quidem conſcius mihi, quare ſacroſanctum corpus cum cæteris non viderem. Nec diu mecum iſta voluebam, cùm ecce vidi faciem in menſurã ætatis plenitudinis Christi, ſpineam habentem in capite coronam, & duas guttas ſanguinis de fronte ex vtraque parte naſi per faciem deſcendentes. Mox igitur genibus flexis cum lacrymis adoraui. Surgens autem, nec coronam in capite, nec ſanguinem vidi: ſed faciem hominis ſuper omnem effigiem honoratam, conuerſam ad dexteram, ita vt vix dexter oculus videri poſſet. Naſus erat admodum longus, directus valde, ſupercilia arcuata, oculos ſimpliciſſimos, & demiſſos habebat, cæſariem lõgam ſuper humeros deſcendentem; barbam intonſam & ſub mento curuatam, exterminatamq́ue ſub rictu iocundiſſimi oris: ex vtraque parte menti nudas propè â pilis habebat valliculas, vt in iuuenibus apparere ſolet, qui à puero barbam nutrierunt, frontem latam, macilentas genas, &

Ephes. 4.

collum

leuatum, panniculo, quo consecratos digitos sacerdos detergere solet, inhæsit. Clamans ergo presbyter, canonicos vocat: accurrunt illi, spectant in panno corpus viuificum in specie faciei venustissimi pueri. Et mox conuocato populo ad spectaculum præsentatur, & indifferenter nulli tam cætus visio denegatur. Hæc cùm audissem fama vulgante, veni in opidum quod prædixi. Accessi ad Decanum ecclesiæ, cui optimè notus eram. Petij videre miraculum. Annuens ille, præcepit vt fieret: aperta est theca, concurrit populus, moxque vbi pixis reuoluitur, clamant omnes: Ecce iam video, ecce conspicio saluatorem. Stabam ergo attonitus nihil videns, nisi tantùm speciem panis albissimi, nihil quidem conscius mihi, quare sacrosanctum corpus cum cæteris non viderem. Nec diu mecum ista voluebam, cùm ecce ...ndi faciem in mensurâ ætatis plenitudinis Chri... spineam habentem in capite coronam, & ...uas guttas sanguinis de fronte ex vtraque parte ...ali per faciem descendentes. Mox igitur ge... ...us flexis cum lacrymis adoraui. Surgens autem, ...ec coronam in capite, nec sanguinem vidi: sed ...ciem hominis super omnem effigiem honor... ...m, conuersam ad dexteram, ita vt vix dextr... ...ulus videri posset. Nasus erat admodum lon..., directus valde, supercilia arcuata, oculos ...plicissimos, & demissos habebat, cæsariem li... ...super humeros descendentem; barbam in... ...sam & sub mento curuatam, extremitatem ...sub rictu iocundissimi oris: ex vtraque parte ...ti nudas propè à pilis habebat valliculas, vt in ...ibus apparere solet, qui à puero barbam nu... ...ant, frontem latam, macilentas genas, & collum

collum longum cum capite parum inflexum. Hoc schema, hic decor benignissimæ faciei. Eam autem diuersi diuersimodè sub vnius horæ spacio videre solebant. Alij in cruce extensum: alij quasi ad iudicium venientem: plerique, & hoc ex magna parte, sub pueri forma viderunt.

Quàm sanctum & meritorium quotidie missam audire, exemplo sacerdotis ab Hierosolymis in patriam suam Daciam spacio paucarum horarum translati.

QVàm sanctum autem, & quàm meritorium sit, audire missam quotidie, vel saltem cùm se facultas obtulerit, exemplis ostenditur manifestis. Sacerdos quidam de Dacia, Ioannes nomine, de villa quæ dicitur Sclauelos (vt fratris Daci, boni & beati viri de ordine Prædicatorum, cum eo Parisijs remeans, certissima relatione didici) cum conuicaneis suis terram sanctam peregrinus adiuit. Transito ergo mari, in vigilia Paschæ venerunt in Hierusalem, & summo mane recedere voluerunt: quibus sacerdos dixit: Sanctissimus dies est paschæ, & locus est hîc resurrectionis Dominicæ, audiatis priùs missam, & Eucharistiam sumite: postea recedemus. Abnuentibus omnibus, & recedentibus mane, sacerdos in vrbe remansit, & dicta missa, factoque prandio, solus cœpit insequi præcedentes. Quem vt attigit quidam in equo sedens: quid est, ait, quòd solus properas peregrinus? Et ille factum narrans: hac, inquit, de causa solus à socijs sum relictus. Tunc ille: Ascende, inquit, retro me, & videbimus si poteris assequi præcedentes. Agit 3.

similia duo exempla vide in notis.

 gratias

gratias presbyter, asscendit, & post horam sic residens obdormiuit. Circa vesperam verò cùm euigilaret, & circumspiceret vbi esset: dixit illi ductor suus: Potésne cognoscere locum istum? Et ille præ timore maximo, vix respondere valens: Videtur, inquit, mihi, domine mi, quòd ecclesia hæc, quæ ante nos est, ecclesia mea sit, & domus hæc proxima in qua mansi. Cui ductor eius ait: Rectè tibi videtur, Christum glorifica, cuius sacramenta veneratus es, & quorum causa in peregrinas terras solitudinem non horruisti. Hæc dicens, subitò disparuit. Sacerdos autem statim intrans ecclesiam suam, dictis cum clericis vesperis, populo mirante, diuina suis omnibus narrans magnalia: quid secum actum esset per regressum sociorum postmodum comprobauit.

De alio viro sancto ex Brabantia vna nocte ad terram sanctam ab Angelo translato & relato.

4. AT quoniam in dubium pluribus venire posset, qualiter sub tam breui temporis spacio, in graui corpore, per tot maris & terræ tractus, hic transire posset: excepto euidenti exemplo
Dan. 14. Abacuc, per paruam diei horam in Babylonem de Iudæa translati: miraculum consimile quod diebus nostris in Brabantia contigit, quod nulli, qui hominem nouit, dubium esse potuit, referamus. Anno circiter ab incarnatione Domini M. CC. XIII. cùm crux transmarina vbique ferè terrarum prædicaretur, erat vir in Brabantia inæstimabilis sanctitatis, qui desiderium quidem longum habuerat, terram, in qua steterant pedes Christi peregrinus inuisere: sed retardari à contempla-

templatione diuina, in corporali exercitio verebatur. In oratione autem existenti in vigilia sancti Petri ad vincula, clauso cubiculo, astitit illi cum ingenti lumine (erat enim nox) Angelus Dei, dicens: Vidit Dominus ingens desiderium tuum, te scilicet velle inuisere terram sanctā, & nunc ad hoc missus sum ad te, vt desiderium tuum cōpleatur. Hæc dicens Angelus, hominem apprehendit, & in vna nocte ad omnia loca spectabilia terræ sanctæ transtulit, & eadem nocte retulit. Videbatur autem illi ipsa nox omni die lucidior; ita quòd omnium ciuitatum Galliæ, Burgundiæ, Lombardiæ, Tusciæ, & terræ sanctę loca, dispositiones, & situs his, qui terras nouerant proprijssimè designaret. Postmodum verò factum est, vt hortatu quorumdam deuotorum virorum, quibus hoc negare non poterat, cum illis crucem susciperet, & eorum dux fieret in terram sanctam, planeque per viarum demonstrationem cunctis ostenderet, quòd nequaquam mendax, sed verus Dei nuncius, qui eum duxerat, extitisset. Hic vir beatissimus, postquam reuersus est, vt vidit, quia in honore haberi cœpit apud conuicaneos, dulce solum natalis patriæ dereliquit, & vsque in finem vitę in alienis partibus sanctè vixit.

Quomodo id fieri potuerit.

SEd in hoc miraculo difficilis oritur quæstio: quomodo vir iste momentanea visione tam diuersimodas viarum dispositiones retinere memoriter potuit, & docere: & sic solui potest. Ciconię tempora recessus habent à nostro orbe, Galliæ scilicet atque Germaniæ, remotissimos, quis

ergo eas semel attentatas vias ad nidos annuò redire docuit? Quis, inquam, nisi naturæ sagacitas? Quod ergo natura, hoc & Deus naturæ potuit, & certè plus.

Exemplum de duobus indignè celebrantibus.

6. DE sacratissimo autem Dominici corporis sacramento, nacta occasione loquendi, quàm peccatum sit indignè conficientium, excepta beati Pauli solidissima veritate, miraculum subsequens demonstrabit. Prope villam, in qua natus fui, sacerdos lubricus & immundus fuit. Et olim quidem, cùm † immundis à mulieribus panem illum legalem sabbati, significantem hunc panem viuum, edere non liceret, infelix ille presbyter hunc quotidie, polluto ore, sumebat. Et vide vindictam Dei. Os ei circa nasum & mentum, & lingua computruit, ita vt vix posset præ fœtore ab amicissimis sustineri. Sed & alius in Gallia fuit, vt quondam puer audiui, cuius manus in missa super aram extensæ, igne cælesti vsque ad cubitos combustę sunt, & consumptæ.

1. Cor. 11.

1. Reg. 21.

† i. qui mundi non erant à mulieribus

De cantu angelorum in laudem beatæ Virginis iuxta ciuitatem Suessionensem.

7. PRoinde occasione laudis apum ad litteram, quam in gloriam Christi corporis eas exhibuisse descripsimus, de vocali etiam laude angelorum aliquid dicere laboremus. Si autem laus angelorum in patria vocalis futura sit; quæstio magna inter Theologos ventilatur. Et ego quidem, si vocalis laus in cælo futura sit, nescio: vnum

Part. 1. huius cap.

vnum tamen scio, quia etsi nequaquam angelis laudare Deum, sicut nonnulli volunt, vocali laude fortè quasi ex necessitate conueniat: tamen vtramque & vocalem, & mentalem laudem in potestate veraciter obtinebunt. Hîc verò, hoc est in aëre, & in terra peregrinationis nostræ angelos vocali laude vsos fuisse legi pluries & audiui. Vidi Suessionensem ciuitatem in Gallia excommunicationi subiacuisse diutiùs, & non nisi sub silentio, diuina mysteria clericos celebrasse. In vigilia igitur Assumptionis beatę Mariæ dominus Ioannes cognomento * Resebas Prior canonicorum regularium sancti Ioannis in Vineis iuxta muros eiusdem ciuitatis, assumptis secum tribus canonicis deuotissimis viris, qui nunc omnes defuncti sunt, in montem proximum ciuitati, in loco vbi quondam eremita resederat, ad celebrandam solemnitatem gloriosæ Virginis secesserunt. Inclinata autem die, cantatis vesperis, panem & aquam ore sobrio libauerunt. Inde Completorio dicto, post orationes deuotas & longas, membra super nudam humum (desertus enim locus erat) vt paululùm quiescerent, prostrauerunt. Nec mora detentior, surgunt ad matutinas, cantant simpliciter & deuotè. At vbi ante laudes Prior nonam lectionem ex more finiuit, subitò concentus mirabilis angelorum insonuit, & responsorium: Felix namque, altissimis vocibus cantauerunt. Quo vsque ad versiculum dicto, quatuor tantùm ex illa innumera multitudine Versum & Gloria singulariter succinerunt, multitudine semper cum repetitionibus respondente. Post repetitionem verò secundam, iteratò responsorium: Felix namque, iuxta morem Gallicum, quatuor angeli

ms. p. s. Ras. a. imp. Res. vel Bas.

geli inchoarunt,& prosequentibus omnibus communiter finierunt. Finito autem responsorio factum est silentium angelorum. Priore autem inchoante: Te Deum laudamus, matutinas cum suis laudibus perfecerunt. Quibus dictis, quot singultus, quot lacrymas, quot suspiria, in recordatione suauissimi modulaminis ab imo pectoris ediderunt quatuor illi beati viri, non est nostræ possibilitatis euoluere vel effari. Sed in eis com-
Psa. 75. pletum planè poterit credi: Et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. Horum duos noui, Priorem scilicet, & Robertum dictum Coquinarium, ceterorum nomina scire non potui.

De cantu Angelorum in obitu B. Godefridi, Capellani in Camera iuxta Bruxellam.

8 DE vocali etiam laude angelorum istud quoque miraculum contigit quod subiungo.
Belgicè Carmeren. Camera beatæ Mariæ monasterium est monialium Cisterciensis ordinis in Brabantia iuxta Bruxellám. In hoc loco Capellanus erat, Godefridus nomine, deuotus nimium, dilectissimus mihi, & notus valde. Hic diro rupturę & viscerum cruciatu annis ferè quatuordecim tribulatus, numquam tamen à prædicatione & hominum salute quiescebat. Contigit ergo, vt ipso morte subita ante noctem mediam intercepto, melodia & cantus mirabilis angelorum, quasi de loco prope ecclesiam audiretur. Quo cantu attonitus vigil, mirabatur quòd conuentus tempestiuiùs solitò surrexisset, & cuius esset solemnitas sancti, quam feriata nocte tam insolitis vocibus & concentibus efferebat. Non enim suspicari poterat aliunde esse cantum,

cantum, nisi à monialibus intra chorum. Vbi ergo cantus ille cessauit, horologium cecidit, campana pulsata est, & sic vigil primò cognouit, quia cantus cælestium, non monialium fuit. Mane ergo inuento mortuo, omnibus patuit quòd in exitu sancti viri angelorum exercitus tantis tripudijs exultauit. Hæc de cantu apum ad litteram in laudem & gloriam corporis Christi: nec non & de cantu vocali spirituum angelorum satis quidem dicta sufficiant: nunc de cantu spirituali apum fidelium dissceramus.

De cantu & laude vocali ecclesiæ.

Cantus & laus vocalis à Patribus institutus, ab ecclesia frequentatur. Vnde septem horas canonicas à verbo Psalmistæ tenemus, qui dixit: Septies in die, supple naturali, quæ est dies & nox, laudem dixi tibi. Et illud: Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis. Et illud: Cantate ei & psallite ei, narrate omnia mirabilia eius. Hic quidem cantus & laus vocalis innuitur, de quibus Augustinus in libro confessionum dicit: Flebam autem vberrimè in hymnis & canticis suaue sonantis ecclesiæ vocibus vehementer affectus. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas in cor meum, & fluebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.] Gallici vulgari prouerbio vtuntur, & dicunt: *Bon vin crasse larme à l'œil meine.* Quod Latinè, etsi non æquè, sic dicitur: Bonum vinum pinguem lacrymam ad oculum ducit. Credo ergo, quòd illud vinum exultationis in canticis, quod vt in Augustino patuit, lacrymas tam pingues excussit, de

9. *Vide Aug. l. 9. conf. c. 7.*
Psal. 118.
Psal. 46.
Psa. 104.
Aug. l. 9. conf. c. 6.

vasis optimis propinabatur, & ideo quasi rore cælesti fœcundatus, mundo sublimiùs intonabat. Sed heu, nunc corruptis dolijs accessit vinum, & abominationem potiùs prouocat, quàm deuotionem. Dum enim sine deuotione formare voces quis nititur, in mentibus audientium deuotio dissipatur, & in vanum exteriùs clamantis lingua laborat, nisi spiritus artifex cor interiùs tangat.

Mirabilis vox cælestis: Non est exauditus nisi raucus.

10. VNde in Gallia memorabile quiddam circa tempus Philippi regis accidisse refertur. In quadam ecclesia conuentuali canonicorum secularium, pręcipua cuiusdam sancti festiuitas agebatur. In Completorio autem inter Pater noster, & Credo, responsorium illud: In pace in idipsum, clericis cantantibus, & discantantibus, statim vbi secundam repetitionem post Gloria finierunt, & symbolum fidei, Credo, sub silentio dicere crediderunt, vox cælestis omnibus audientibus dixit: Non est exauditus nisi raucus. Stupefacti ergo omnes, aduerterunt despectum quemdam cum voce lugubri & discordanti in angulo constitisse. Nec aliquis ambigebat, eum extitisse super quem vox descenderat.

De dormientibus in choro, quibus dæmon cochlear cum pice offerebat.

11. QVantum autem malum sit in psalmodijs & canticis spiritualibus dormitare, euidenter ostendam. Erat monachus, vt me legisse recordor,


dor, qui ad matutinas frequentiſſimè dormitare ſolebat. Contigit autem eo nocte quadam ad matutinas in choro in Laudibus dormiente, vt videret in ſomnis dæmonem teterrimum cum pice in patella liquata monachos ſingulos viſitare, & dormientibus quibuſdam offerre cochlear ferreum pice plenum. Ad ſe verò cùm veniſſet dæmon,& feruens cochlear ori dormitantis offerret, retracto ſubito capite,ad accubitum ſedium, cui innitebatur offendit,& læſus euigilans ſe ſaucium & vulneratum inuenit. Animaduertit ergo conſequenter in facto quantùm negligentia circa horas diuinas Domino diſpliceret,& quantùm in ea dæmonibus complaceret. *In vitis Patrum.*

De Abbatiſſa de Argenſolio, quæ dæmonem in choro vidit omnibus inſultantem.

VNde etiam accidit,ſicut per illas, quæ verè nouerũt audiui. Eadẽ, de qua inferiùs faciemus mentionem, venerabilis ſcilicet abbatiſſa de Argenſoles, cùm dæmon nequam omnes in conuentu moniales ſomno fallaciæ deluſiſſet, & nulla earum ad matutinarum officium euigilaſſet, illa dæmonem cachinnis irridentem omnibus, vidit, & fuſa prece ad Dominum, eum viſibilem multis oſtendit. Iniunxitque ſingulis in conuentu pro negligentia pœnam; & de cætero contra aſtutias diaboli, qui impedire diuinum officium ſemper nititur, cunctas reddidit cautiores. 12. *Cap 46. p. 5. & 6.*

SImul ergo apes fidelium aggregatæ, mente conſequenter & voce ſuauiter cantent,vt & in aures Domini ſabbaoth dulciter modulentur, & mediantibus auribus corporis, conuenienter deuotio in mentibus fidelium excitetur. *Conc.*

Quòd



Quòd ex suauitate cantus dulcedo & deuotio mentis sit trahenda.

CAPITVLVM XLI.

Habent gratam mirámque vocis suauitatem.

1. *Nihil gratius laude Dei. Aug. l. Soliloq. c. 18.*



VID enim gratius, quid suauius laude Dei? Si secundum Augustinum ingratitudo peccatum maximum definitur, ergo virtus maxima, gratitudo. Ideo omnem psalmodiam & cantum in laudis gloria terminamus. Vnde nato ad redemptionem omnium in Bethleem Saluatore: Gloria in excelsis cantauerunt angeli, vt pro pace in terra danda hominibus, laudis omnibus materia præberetur. *Luc. 2.*

De contemplatione,

2. QVamquam & grata miraque vocis suauitas contemplatiuæ animæ mentalis iubilus possit intelligi, qui præ magnitudine cœlestis gaudij conceptus interiùs, nec sileri potest, nec exprimi. Et hæc tuba dicitur iubilea; quæ lata quidem interiùs & capax est, sed loco vbi ori coniungitur, angustatur. *Leuit. 25.*

De

De moniali, quæ mirum vocis edebat iubilum.


HViusmodi tubam in Brabantię partibus mo- 3.
nialem vidi, quæ vbi aliquid de iocunditate æterna & cęlestibus gaudijs audiebat rapiebatur in spiritu, & cùm ad horam paululùm quieuisset, incandescebat vultu, & clausis oculis tam miris vocibus iubilum emittebat, vt nullum melos musicum posset eius dulcedini comparari. Et hic quidem sonus nulla articulata voce penitus promebatur, sed inter pectus & guttur harmonia illa mirabilis resonabat. Hæc est illa, de qua beatissimus Augustinus ait, contemplationis species, quæ rapit omnem animam desiderio sui tantò ardentiorem, quantò mundiorem: & tantò mundiorem, quantò ad spiritualia resurgentem: & tantò ad spiritualia resurgentem, quantò carnalibus desiderijs & terrenis affectibus morientem.] *Aug. l. 2. de Trin. c. 17.*

De contemplatione beati Augustini.

AD hanc beatissimam cōtemplationem ipse 4.
gloriosus Augustinus raptus fuit: cùm, sicut beatus Possidius Calamensis Episcopus de eo testatur, sine vllo cibo potúve, in contemplatione cælestium tribus diebus & noctibus continuis permaneret. De seipso quoque in libro confessionum apertè testatur, dicens: Aliquando intromittis me in affectum multùm inusitatum introrsus, ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit quod vita ista non erit, sed recido in his erumnosis ponderibus & resorbeor solitis, & teneor: & multùm fleo, & multùm teneor. *In Possidio saltem nunc, non habetur.* *Aug. l. 10. conf. c. 40.*

Ibid.c.22. teneor. Hîc esse valeo, non volo: illic volo, non valeo; miser vtrobique. Est autem gaudium, quod non datur impijs, sed ijs, qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipse es: & ipsa est beata vita, gaudere de te, in te, per te, ipsa est, & non est alia: qui autem putant esse aliud gaudium, sectantur illud, nec tamen verum.]

Conclusio. IN vocibus igitur mentalis iubili gratus eris Deo, gratus angelis, nec mirabilius aliquid sub cælo, nec iocundius poteris experiri.



Quòd qui nolunt decipi omnia faciunt cum consilio.

CAPITVLVM XLII.

Habent priuatim consilia.



1. Pro. 11. & 24. Deut. 31. ET hoc secundum Salomonem: Erit, inquit, salus, vbi multa consilia. Contra in Deuteronomio Moyses in cantico de reprobis dicit: Gens absque consilio, & sine prudentia. Tobias filium suum verbis

Tob. 4. instruens, ait: Consilium semper à sapiente perquire. Stultum est enim voluntati proprij motus inniti. Et propter hoc Salomon diligenter admonuit, dicens: Fili sine consilio nihil facias, & post

Eccli. 32. factum non pœnitebis. Consiliarium autem habe illum, qui prouidus est & discretus, & cui conscientiam & viam tuam in omnibus reuelasti. Tutissimum & iustum est, nec omnem hominem in-

Eccli. 11. Ibid. 6. ducere in domum tuam. Consiliarius tibi sit vnus de mille.

De viro simplici à sathana seducto neglectu consilij.

ERat vir bonus, sed simplex valde, sicut indubitabili relatione percepi, in finibus Galliarum, cui diabolus in specie & visione angelica frequentiùs apparebat: Cui & dixit: Diuersis quidem voluntatibus fluctuas, & quid facere debes ignoras, in hoc ergo missus sum, vt meo regaris consilio, & consilium aliud omne postponas. Quacumque autem hora prodideris me, consilio meo, & sincera visione carebis. Nec mora, vbi miserrimus ille pactum cum morte spopondit, visitatur, serenatur, illustratur, & in tanta tranquillitate cordis & corporis conquieuit, vt vix se hominem inter homines, sed super homines angelũ æstimaret. Hinc cùm tentator astutus in familiarem sibi superbiam, præ nimia securitate, hominem extulisset, paulatim cœpit ei mollities blandiri: & per hanc tandem miserum inclinauit, vt in crimen maximũ propè corrueret: & ipsius etiam corporeæ mortis præcipitio propinquaret. Sed miseratio eum diuina præuenit, & tali remedio liberauit. Erat in [illegible]io eius vir sagax ingenio, & expertus multa*, cu[illegible]e cõfiteri cõsueuerat priusquam in laqueum diaboli cecidisset. Hic, vt vidit hominem solitarium incedere, & absentantem se ab omni societate bonorum, eum alloquitur in hunc modum: Miror carissime cuius diu iam regaris consilio,* quia mutatis pristinis moribus, nec confiteri te video, nec loqui spiritualibus viris, nec prædicationem ecclesiasticam frequentare. Videas ergo ne decipias temetipsum & irretiaris laqueis diaboli tentatoris. Ego quidem


2.

Isa. 28.

ms p. tert. imp. addit scientia.

ms. p. s. 2. imp. (&) pro quia.

dem simplicem te noui & facilem, quò te solum
Eccle. 4. & priuatum consilio, callidus hostis elidat, & non habeas subleuantem. Ad cuius verba, mox homo rubore perfusus (credebat enim illi omnia, quæ gesta erant, per spiritum patuisse) commotusque & effusus in lacrymas, arguenti se totam consciē-iam patefecit. Nec mora, consilio illius à tentatione solutus est, & per consequens à tentatore.



Quòd prouida circumspectione præteritorum, præsentium, & futurorum, cuncta sunt prospicienda.

CAPITVLVM XLIII.

Tempora præcognoscunt.



T in hoc diligens, fidelium cautela notatur. Vnde Paulus: Redimentes,
1. Ephes. 5. inquit, tempus, quoniam dies mali sunt. Mali quidem dicuntur dies, non quia mali sunt *propriè: sed quia
ms. p. s. 2. imp. omit. (propriè) mala in eis fiunt. Hos ergo in bonum redimimus, si per cautam conuersationem & curam, aut spiritum prouidentiæ malignantium contra nos insidias declinamus. Sunt autem plerique fidelium, qui in his, quæ præsentia sunt oculos apertos habent & claros, ea verò quæ futura sunt non attendunt. Beata illa animalia, quæ vidit Ezechiel,
Ezech. 1. oculata erant antè & retro, totumque eorum corpus plenum oculis erat: quo perlucidè datur intelligi, omnem vitam nostram præteritorum, præsen-

præſentium, & futurorum oportere prouida circumſpectione muniri.

De rege, qui à philoſopho ſapientiam emit, qua eum à morte liberauit.

ERat quidam nobilis adoleſcens, qui valde ſagax ingenio, regi patri ſucceſsit in regno. 2.
Hinc accidit, vt in regia ciuitate nundinis conſtitutis, rex cum ſodalibus ſuis ad inſpiciendos inſtitores, & res venales ſollicitus circuiret. Et videns hominem ętate grandæuum ſedentem in nundinis, quærit quis ſit, & ſi quid venale haberet? Cui ille: Dicor, inquit, philoſophus, venalem habeo ſapientiam. Ad hæc gauiſus rex & ſubridens: Bene, inquit, vt iuuenem in regimine conſtitutum habere ſapientiam me competit: tu autem videas quantum velis vendere centum marcis. Et ſenex: Vnum, inquit, tibi pro ſtatuto pretio dicam, quod ſi bene tenueris, optimè per illud regeris, & reges. Temere nihil loquaris, temere nihil attentes, niſi priùs cogites quid ſequatur. Si plus volueris addas & pretium. Ad hæc igitur omnibus concitatis in riſum, rex conſideratiùs verbi pondus aduertit, & philoſopho ſtatim ſolui pretium imperauit. Verbum autem quod acceperat in ſuperliminaribus palatij, & in menſis, & in ſcyphis aureis, & manutergijs ſcribi fecit. Hinc poſtea ſucceſſu temporis rex in ſapientia & virtute proficiens, inſtituit fortiter animum, eripere populum humilem de manu potentium, qui à nobilibus terræ grauiter premebatur, & regnum ſuum in omni iuſtitia gubernare. Pro quo nobiles ſui in ſeditionem verſi, cùm nequaquam in

Simile refert l. cui tit. Geſta Rom. c. 103. Imp. Domitiano contigiſſe.

mani-

manifesto propter fauorem populi, contra eum
auderent aliquid attentare, occultè rasorem
quemdam pretio conduxerunt, vt regem in con-
claui radendum, nouacula iugularet. Ergo vbi
ms. s. fota. rex, * lota & adlentata barba, se radendum exhi-
buit, dictus rasor in manutergio, quod erat cir-
ca collum regis, scriptum legit: Temere nil atten-
tes, nisi priùs quid sequatur cogites. Et super pro-
posito horrendi sceleris pauefactus, expalluit, &
manum tremulam mox retraxit. Quo viso rex ex-
surgit, nec sine causa euentum considerans, dissi-
mulantem rasorem, quasi hoc sibi ex infirmitate
ms. p. s. t. 2. contigisset, * extendi fecit ad pœnam, & rei ve-
imp. extēdit. ritatem cum tormentis extorsit. Sic ergo rex libe-
ratus à morte, verè didicit, quia melior est sapien-
Pro. 3. tia cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur,
huic non valent comparari.

Tribus modis futura cognoscuntur.

3. POssumus tamen & ad litteram præcognosce-
re tempora futurorum, non tamen quasi ex
nobis, sed reuelante illo, qui dixit discipulis suis:
Act. 1. Non est vestrûm nosse tempora vel momenta,
quæ pater posuit in sua potestate. Fit autem hoc
per spiritum interiùs suggerentem: vel per som-
nium in ænigmate: vel per coniecturas, vt ho-
mines sagaces ingenio de præteritis vel pręsenti-
bus, futurorum causas eliciunt.

Exem-

Exemplum primi modi in Henrico de Colonia, qui futurum cognouit ordinem Prædicatorum.

SPiritu reuelante præfatus frater Henricus de Colonia, ordinis Prædicatorum, antequam ipse ordo inchoatus fuisset, sicut per ipsum didicimus, futurum eum præcognouit. Habuit patruum militem, sedulum in cultu Dei in partibus Theutoniæ, opido montis Martis. Hic dictum Henricum iuuenem sagacem videns, ætate adultum, optimeque in Grammaticis institutum, misit Parisios, vt dialecticam & artes ceteras assequeretur. Quod vt factum est, patruus eius defunctus est, & intermissum est eius studium annis tribus, quibus in prædicto opido scholas rexit. Et his quidem lapsis; apparuit ei patruus suus, dicens: Sumes in remedium pœnæ, qua in purgatorio crucior, Hierosolymitanam crucem, quæ per Theutoniam prædicatur, & transfretabis: & exacto ibidem tempore, cùm redieris, perges Parisios, inuenies que nouum Prędicatorum ordinem, quem intrabis. Paupertatem eorum non verearis, & non despicias paucitatem: quoniam in salutem multorum felicissimè coalescent. & conualescent. Ad hæc verba dictus clericus stupefactus, sine vlla turbulenta cunctatione, quod iussus erat aggreditur. Et facta peregrinatione, vbi redijt & venit Parisios, inuenit ordinē Prædicatorū nouiter in partibus Albigensium inchoatum, domumque iam inceptam Parisijs, & sine hęsitatione aliqua, paruo pòst tempore ordinem est * ingressus. Vbi cùm annis pluribus deuotissimè profecisset, iteratò illi apparuit patruus, dicens: A pœna, qua 4.

ms. p. s. 1. imp. adeptus.

cruciabar, te iuuante, solutus sum. Tu autem ne cuncteris iterum transire mare, si te seniores tui transmittēdum elegerint. Et hoc quidem cùm dictus frater Henricus celatum haberet, à magistro ordinis & diffinitoribus ac Prouincialibus fratrum in terram sanctam transmissus est: à qua postea rediens, tertiò à felicissimo rege Franciæ Ludouico, in socium peregrinationis suæ ad transmarina est deductus. Elapso autem tempore, cùm rediret, in via qua reuertebatur ad Gallias felici morte defunctus est. Quantum autem vir iste prædicatione profecerit in clero Parisijs, quantumvè consilio, aut etiam aliàs, vbi diuersis clericis & populis prædicauit, ad plenum posse neminem arbitror æstimare.

Habes de eo sup. l. 1. c. 3. p. 6. c. 19 p. 5. l. 2. c. 10. p. 36.

Exemplum tertij modi de medico, qui puellam suauiter canentem mox morituram prædixit.

5. QVòd etiam homines sagaci ingenio futura præuideant, tali exemplo probabo. Comes Lossensis in confinio Brabantiæ, Lodowicus nomine, physicum expertum valde in comitatu habebat. Qui cùm per villam quamdam iuxta choream haberet transitum, puella quædam pulchra facie cum mira suauitate vocis chorizantibus præcinebat. Quam quidem Comes per horam * nimis intuitus diligenter, cum familia pertransiuit, & cùm stupentem videret physicus: Miraris, inquit, ô Comes vocem & pulchritudinem præcinentis, magis iam miraberis morituram. Vix verba compleuit physicus, & clamor validus in villa sublatus est, cognouitque directis nuncijs dictam præcentricem morte subita corruisse. Et nota lector,

ms. p. s omit. (nimis)

ctor, quòd physicum non credo aliàs, nisi vocis cantantis vix indagabili vitio, mortem in puella subitam præcognoscere potuisse.

De alio medico, qui Ducissæ Brabantiæ Aleydi quales habitura partus prædixit.

DVcissam etiam Brabantię nobilem Alaisam, antequam nobilissimum Ducem Henricum duceret, per physicum patris sui, Ducis Burgundiæ prænouisse, ipsa referente, cognouimus, quòd primo conceptu vix nato & baptizato, protinus priuaretur, secundo verò debili, ceteris postmodum lætaretur. Quod nos quidem euidentissimè vidimus: & hoc fortè physicus poterat præuidere, cognita qualitate ac debilitate matricis. 6. *Ipsa est Aleydis vxor Henrici III.*

Exemplum secundi modi de sacerdote, cui in somno mors est præsignificata.


SPiritu autem prophetiæ Ioseph somnia: sagacitate homines quandoque, & maximè dæmones, tempora præcognoscunt. Somnio quemdam præuidisse imminentem mortem, ipse cognoui. In vna quidem domo nos decem sacerdotes, & duo diaconi, studio dediti, morabamur, & spero quòd sine labe mortalis peccati. Vnus ergo nostrûm visum somnium sic narrauit: Missam me in somnis celebrare putabam, & ecce vidi sacramentum sanguinis Christi in calice crescere vsque ad superficiem, & effundi. Tunc vnus ex nostris grauiter suspirans, dixit: Calix passionem significat, & nunc charissime præpara animam tuam ad tentationem validissimam, vel ad mor- 7. *Gen. 37 40. & 41.*

 tem,

tem. Nec mora, secunda nocte ita grauiter infirmatus est, vt mori subitò crederetur. Tertia autem nocte quidam ex socijs, dictis matutinis orare volens, dormitare cœpit,& ecce vox insonuit, & dixit: Vigila,& ora. Hoc cùm tertiò fieret, & tertiò frater dormitaret, subitò accurrit famulus, qui custodiebat ægrotum; dicens eum mortuum, aut inexcitabiliter dormientem. Attoniti igitur omnes, qui in domo eramus, cucurrimus & inuenimus hominem mox defunctum, & verificatum somnium & interpretationem eius, in mysterio calicis præsignatum.

Morientes non sunt negligendi, sed diligenter precibus adiuuandi.

8 NOta ergo in excitatione dormitantis, quantam diligentiam, quantam instantiam orationis, velit circa morientes clementia Saluatoris, vt ab inimici insidiantis calcaneo nostro, tueantur incursu. Multùm ergo reprehendenda est negligentia quorumdam religiosorum, qui sine compassione, sine corde, sine intentissima etiam obsecrationis ope, ita vident fratres, quasi viderent pecudes morientes. Et tales quidem timere debent, ne eis idem iusto Dei iudicio rependatur in fine,& sic auxilio destituti angustissimè à dæmonibus arceantur. In quibusdam Regularium monasterijs approbabilis valde consuetudo tenetur, vt scilicet imminente fratris fine, disciplinas acerbissimas singuli, cum inuocatione sanctorum accipiant, in propulsationem dæmonum, & morientis subsidium.



Quòd tribulationes & persecutiones patienter sunt tolerandæ.

CAPITVLVM. XLIV.

Prædiuinant enim imbres ventósque, & tunc se continent tectis.



QVID in imbre, nisi tribulatio: & in ventis, nisi conatus dæmonum designatur? Paulus quidem aduersum se tribulationem erigi videns, à fratribus per murum in sporta demissus est, & sic in nomine Domini manus præpositi persequentis effugit. Et hoc idem Dominus in Euangelio suis indulsit, dicens: Si vos in vnam ciuitatem fuerint persecuti, fugite in aliam. Hoc nuper fratres Minores & Prædicatores in Hungariæ, Poloniæ, & postea terræ sanctæ prouincijs, irruentibus Tartaris & Corosminis simili ratione fecerunt: vbi de Duce quodam, qui ordinem Prædicatorum intrauerat, quiddam memorabile à fratribus ferebatur. 1. *Licet in persecutione fugere.* *Act. 9.* *2. Cor. 11.* *Mat. 10.*

De quodam insigni Prædicatore Hungaro à barbaris interempto, & martyrij corona redimito.

DVx quidam in Hungaria potentissimus, relictis in principatu filijs, ordinem Prædicatorum intrauit. Erat autem sufficienter 2.

 litte-

litteris instructus, & factus est egregius ac deuotissimus prædicator. Irruentibus ergo Tartaris, & Priore domus cum fratribus fugiẽte, petiuit idem frater, quondam Dux, vt in solatium dimitteretur debilium populorum, dicens se confectum senio, & etiamsi non occideretur à Tartaris, in proximo tamen moriturum. Permissus ergo remansit in domo fratrum, & admonitione dulcissima pauperibus & debilibus, qui fugam inire non poterant, ad patientiam confortatis, ipse vsque ad irruptionem Barbarorum, pronus in oratione & lacrymis, in ecclesia in modum crucis extensus ante altare iacebat, & sic ab impijs est occisus. Recedentibus ergo Tartaris, ad domum fratres reuersi sunt, & fratrem, quondam Ducem, lanceis terebratis pedibus & manibus, atque confossis omnibus membris, & cerebro excusso de capite, coram altari, vt dictum est, inuenerunt. Quo piaculo cùm cuncti fratres * nimium ad lacrymas mouerentur: quidam præ ceteris horrens ingemuit, dicens: Tu Domine Deus, quare tantum virum tam iniqua morte & pessima passus es interire? Cumque in luctu, lacrymis, & redargutione iudiciorum Dei, tribus diebus & noctibus ferè ieiunus, & sine somno penitus permaneret, tandem in excessu mẽtis raptus, vidit occisum, quem fleuerat dicentem sibi: Numquid oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et hęc dicens, disparuit. Fratrique querulanti diuina iudicia, quæ inscrutabilia sunt, verborum breuitate & authoritate * satisfecit.

Id factum circa ann. 1242. Vinc. Beluac.

4. ms. 2. imp. nimirum.

Luc. 24.

Rom. 8.

ms. p. s. 2. imp. conclusit.

Præstat

Præstat fugere quàm superari.

IGitur si tribulationum imbres: si ventos tentationum, & suggestiones dæmonum imminere præuideris: nisi pro defensione fidei & iustitiæ casus emergat, te tectis tutis contineas, aut fugias in remota. Melius est enim bene fugere vel latere, quàm bello pugnare & succumbere. Vnde Paulus Apostolus sapienter nos admonet, dicens: Fugite fornicationem. Quod & Dominus admonuit contra regem Haj, & postea contra filios Beniamin: & sic hostes populus, simulata fuga, deuicit. Vel sic intelligi potest. Imminente inter fratres imbre rixarum, aut vento discordiæ, primò, si potes, labores ad pacem: si non potes, conquiescas, aut fugias. Qui enim se miscet, vt dicit Salomon, rixæ alterius, quasi qui canem auribus apprehendit. 3. 1. Cor. 6. Iosu. 8. Iudic. 20. Pro. 26.



Quòd quies mentis & corporis multùm iuuat ad contemplationem scripturarum.

CAPITVLVM XLV.

Si dies futurus est mitis, prouolant vniuersæ.

NOTA quòd dicitur hîc prouolare etymologicè, quasi procul volare, id est, remotè. Vnde Dauid optat, dicens: Quis dabit mihi pennas sicut columbę, & volabo & 1. Psa. 54.

requiescam? Et subinfert vbi: Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Et dicitur hîc solitudo contemplationis in Deum: vel solitudo meditationis in studium scripturarum. Pacis enim tempore opera iustitiæ liberiùs exercentur, & ideo alibi dicitur: In tempore vacuitatis, hoc est pacis, scribe † iustitiam, quasi diceret, quod tempore belli non poteris. Vnde in libro Machabæorum fit oratio, vbi dicitur: Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua & in præceptis suis, & faciat pacem: vt scilicet subinferret commodiùs fieri præcedentia si subditum sequeretur, quod est pax. Salomon pacis tempore dilatauit quasi Physon sapientiam. Iob autem post dira tribulationis certamina moralem illam philosophiæ sapientiam scripsisse creditur. Dauid post habitas victorias Psalmorum hymnos in laudem Dei cecinit. Esdras & Nehemias post reuersionem in Hierusalem libros suos commodiùs ediderunt. Ipse etiam Dominus Iesus Christus remotus à turbis (quia vbi turba, ibi turbatio) in monte discipulis, & in cenaculo ante passionem spiritualia prædicauit. Sed & in signum quietis in studio, ipse Theologus Euangelista Ioannes, super pectus Iesu Saluatoris recumbens, fluenta Euangelij de ipso Dominici pectoris fonte potauit. Nec non & in Patmos insulam eumdem diuino nutu credimus relegatum, vt ibidem sine impedimento Apocalypsin, id est, diuinas cerneret visiones, & in eruditionem ecclesiæ, studiosiùs scriberet, quæ vidisset.


Eccli. 38. bib. sapientiam. *2. Mac. 1.* *Eccli. 24.* *Id constat 2. Reg. 12. & ex Iosepho l. 7 antiq. c. 10. aliàs 12.* *Mat. 5 6. & 7.* *Ioa. 13. vsque ad 18. Ioan. 13. & 21.* *Apoc. 1.*

Exem-

Exemplum de quodam Doctore diuina voluntate in locum solitarium translato.

SEd & quemdam parum ante nostra tempora in Episcopatu Leodiensi beatissimæ vitæ magistrum fuisse percepimus; qui cùm opus quoddam Theologicum inchoasset, & cum clerus grauissimis persecutionibus impediret, tandem in locum solitarium diuina voluntate translatus est, & in eo cœptum opus, apparente sibi Paulo Apostolo, & necessaria ministrante, compleuit. 2.

ERgo apes fidelium, quibus Deus scientiæ talenta commisit, apparente die temporis mitioris à persecutionibus, in campo scripturarum prouolent vniuersę, & ibi quod textus indicat consequenter attingant. *Conclusio.*



Quòd multùm sit vtile insistere studio sanctarum scripturarum.

CAPITVLVM XLVI.

Procedentes per rura redolentia, inhiant floribus, & fugientibus riuis per gramina, & herbis dulcibus inhæren-

hærentes curiosè ſatagunt redolen-
tias experiri.

1. CCE quàm manifeſtè apparet ſtu-
dioſorum delectabilis fructus in
ſcrutinio ſcripturarum. Vnde Domi-
Ioan.5. nus in Euangelio: Scrutamini ſcri-
pturas,in quibus vos putatis vitam æ-
ternam habere. Et notandum, quæ ſint rura, flo-
res,riui,& herbę dulces. In textu enim hæc qua-
tuor diſtinguuntur: & poteſt in his quadriparti-
ta ſanctarum ſcripturarum ſpecies aſsignari. Pri-
ma ſpecies legem continet, ſub qua & diuerſæ
continentur hiſtorię. In ſecunda ſpecie prophetæ
ſunt, quibus tres libri Salomonis, liber etiam Sa-
pientię & Eccleſiaſticus coniunguntur. Tertia
autem ſpecies eſt in quatuor per ſe Euangeliorum
libris, & hæc nihil habet adiunctum. In quarta
ſpecie, Actus Apoſtolorum & Epiſtolæ compi-
lantur. In lege ergo rura redolentia ſumas: & hic
Gen.27. eſt ager odore plenus, cui ſecundum verba Iſaac,
Ibid.23. benedixit Dominus.Hunc in agrum cum eodem
ingrediaris ad meditandum. In Prophetis verò
dulces flores accipias, de quibus ſponſus in Canti-
Cant. 2. cis dicit: Imber abijt & receſsit, flores apparue-
runt in terra noſtra, tempus putationis aduenit.
In Euangelijs riuos fugientes,hoc eſt deſcenden-
tes per gramina, denotes, de quibus in principio
Gen. 2. Geneſis dicitur: Fons egrediebatur de medio pa-
radiſi,hoc eſt Chriſtus de corde patris, qui dixit:
Ioan.16. Exiui à patre, & veni in mundum. Hic diuidi-
tur in quatuor flumina Euangeliorum, quæ or-
bem irrigant vniuerſum. In Actibus verò vel E-
piſtolis

pistolis Apostolorum herbas dulces intellige, quas Dominus in principio mundi tertia die terram germinare præcepit, vt harum virtute potenti, animarum nostrarum diuersi morbi efficacissimè pellerentur. Ruribus ergo, floribus, riuis, & herbis dulcibus inhærentes, curiosiùs satagamus in singulis virtutis redolentias experiri. Insistamus tamen primò orationi, & postea lectioni, vt oratio præueniat studium, & præparet intellectum. Gen. 1.

De studio lectionis scripturarum ex Augustino.

DE studio autem lectionis gloriosissimus loquitur Augustinus, dicens: Nutri animam tuam lectionibus diuinis, parabunt enim tibi mensam spiritualem. * Delectatio enim diuinorum eloquiorum dulcedo est palato cordis: & dum cum auiditate percipitur, vtilis est si teneatur. In hac enim pręsenti luce nihil puto iocundius poculo scripturarum, quo omnia mella superantur. Homo ergo timens Deum voluntatem eius in scripturis sanctis diligenter inquirat, & ne amet certamina, pietate mansuescat. Pius enim affectus penetrat, quò superba loquacitas non accedit: quod in Daniele euidènter patuit. 2. *ms. b. c. tert. imp. dilectio.* *Aug. l. 3. de doct. Christ. cap. 1.* *Dan. 1. & 2.*

De sapientiæ studio ex Seneca.

QVid autem philosophi de studio sapientiæ sentiant breuiter videamus: Rem maximam promittit tibi sapientia; vt te reducat tibi. Talem tibi animum statuas, vt multæ in illo artes sint, multa pręcepta, multarum ætatum exempla. Nihil autem habere ad quod exciteris vel firmitatem 3. *Apud Sen. in pro. Sen. ep. 85.* *Ep. 68.*

tem animi tui tentes: ſed in ocio inconcuſſo ia-
epiſt. 89. cere, non eſt tranquillitas, ſed malitia. Magna & ſpatioſa res eſt ſapientia, vacuo illi loco opus eſt. Non dabit ſe in anguſtijs virtus. Laxum ſpatium res magna deſiderat. Expellantur omnia, totum illi pectus vacet. Liberalium artium conſectatio moleſtos, verboſos, intempeſtiuos, ſibi placentes facit; & ideo non diſcentes neceſſaria, quia ſuper-
epiſt. 50. uacua didicerunt. Non ergo perſpicienda iſta ſunt: ſed proſpicienda tantùm, & breuiter ſalu-
ep. 89. tanda. Tam diu enim immorandum eſt, quàm
ep. 90. diu nihil animus agere maius poteſt. Stude, non
Ep. 89. vt plus alijs ſcias, ſed vt meliùs. Quid eſt quare æſtimem non futurum ſapientem eum, qui litteras neſcit, cùm ſapientia non ſit in litteris, ſed res traditur verbo? Et neſcio an certior memoria ſit, quàm quæ nullum extra ſe ſubſidium habet. Nos
Ep 91. omnia nobis difficilia facilium faſtidio fecimus.
Ep. 94. Sufficit ad id natura quod poſcit. Quæris quod ſit ampliſſimum vitæ ſpatium? Vſque ad ſapientiam peruenire. Qui ad illam peruenerit, attingit
Ep. 95. non longiſſimum cariſſime, ſed maximum. Non eſt quòd imbecillem aciem committas improbo lumini. A tenebris primò ad vmbroſa procede,
or. add. pati. deinde plus aude, & paulatim claram lucem * aſſueſce, Quæcumque ſalutaria ſunt ſæpe agitari debent, ſæpe verſari: vt non tantùm nota ſint nobis, ſed etiam parata. Diſcas quod oportet, & quod didiciſti agendo confirmes. Nam qui didicit, & facienda ac vitanda percepit, nondum ſapiens eſt, niſi in ea, quæ didicit eius animus tranſ-
Ep. 96. figuratus ſit. Antiqua ſapientia nihil aliud quàm facienda ac vitanda præcepit: & tunc longè meliores erant viri: poſtquam verò docti tantùm

pro-

prodierunt, boni esse desierunt. Simplex illa & aperta virtus in obscuram & solertem scientiam versa est, docemurque bene disputare, non * viuere. Simplex erat ex causa simplici valitudo. Non multum ad fructum confert locus, nisi se sibi præstet animus. Omnes vacant qui volunt: neminem res sequuntur. Si vis ista quibus vrgeris effugere, non alibi sis oportet: sed alius.] Seruire sapientiæ libertas est. Mira lætitia & illuminatio mentis * integritas vera, & quies à tumultibus iocundissimè serenata.

ms. p. 2. imp. add. bene. Ep. 105. Ep. 107. Ep. 105. 4. ms. 2. imp. integratio.

De quodam, cui mira data est scripturarum intelligentia, & de modo, quem seruabat in studijs.

VIdi adolescentem in partibus Galliæ in ordine regulari, qui licet scientiæ tenuissimæ fuerit, & hebes ingenio, instanter tamen posuit animum ad discendum, & studio scripturarum deuotiùs incumbebat. Habebat autem consuetudinem, vt eo reuelante cognoui, quòd semper omni vespere, post sedulam orationem, totius diurni studij memor esset, & sic se in lectulo deponebat. Hinc mox vt nolæ sonum in excitatione fratrum de nocte aure captabat, illa extrema recordatio lectionis, cum qua vespere obdormierat, ei in memoriam veniebat: & cum illa ad chorum ad matutinas pergens, clausis oculis stabat. Apparebat autem ei quasi amplum, altum, longum, & pulcherrimum palatium, tota series scripturarum, & eam illa in hora ita perfectissimè intelligebat, vt nulla ei, etiam difficillimarum quæstionum insolubilis videretur: sed omnia scripturæ occulta, quasi quinque digitos in manu, lucidissimè discer- 4.

discernebat. Si quando verò vel ad ictum oculi oculos aperiret, visio fugiebat, nec minimę particulæ visionis ipsius, nisi superficialiter tantùm, memor esse poterat: reclusis autem oculis visio repentè redibat. Et erat illud in hac visione supra modum mirabile, quòd eo psallente cum cæteris, in nullo penitus, vel contemplatione, vel eius admiranda dulcedine frustrabatur: sed diuidebatur quodammodo & psallentis & contemplantis intentio, & vtriusque fructu inæstimabiliter fruebatur. Et hoc est quod philosophus insinuat, dicens: Vtinam quemadmodum vniuersa mundi facies in conspectum nostrum venit: ita philosophia nobis tota posset occurrere. Pulcherrimum enim mundo spectaculum exhiberet. Profectò enim omnes mortales in admirationem sui raperet: & derelictis ijs, quæ veri ignorantia magna credimus, paulatim per partes in cognitionem totalis veritatis faciliùs duceremur.]

Sen. ep. 90.

De abbatissa Argensoliensi, quæ difficillimas Theologiæ quæstiones nouerat explicare.

5. SEd & in Campania Galliarum prouincia, in monasterio Cisterciensis ordinis, quod Argensoles dicitur, abbatissam vidimus, quæ sine vlla litteratura artis Grammaticæ, non solùm libros Theologiæ: verùm etiam libros Augustini de Trinitate plenissimè intelligebat, & difficillimas quæstiones eorum lucidissimis solutionibus exponebat. Et hoc quidem, sicut venerabilis Robertus abbas Vacellensis mihi retulit & probauit, impetrauerat à Domino annis plurimis ante mortem.

Argençeole in diœcesi Suessionensi.

Eadem

Eadem abbatissa morti se obtulit pro domina Blanca Campaniæ Comitissa.


HÆc eadem, cùm videret quodam tempore ceruici Comitissæ Campaniæ, dominæ Blancæ, quę monasterium dictum fundauerat, cum gladio Angelum imminere, cum lacrymis Domino supplicauit, vt Comitissæ parceret, & correctionis inducias daret. Cui Dominus: Diffinitiua, inquit, sententia lata est, eam mori oportere, vel te morituram, ictum gladij ferientis excipere. Et illa: Felix, inquit, mors, qua Comitissa sententiam damnationis euadat, & ego cupiens dissolui, & esse cum Christo, ab incolatu miseræ carnis absoluar. Nec mora, post hęc verba decumbens, ad potiora transiuit. Et quid in hoc facto, nisi illud Christi maioris charitatis exemplum? 6. *Phil. 1.* *Ioan. 15.*



Quilibet in studendo maneat in limine veræ fidei sanctæ Romanæ ecclesiæ.

CAPITVLVM XLVII.

Vnius patriæ clauduntur limine.



ET in hoc vnitas ecclesiæ, & integritas fidei designatur. Vt enim dicit sponsus in Canticis: Vna est columba mea, ecclesiam sine vllo infidelitatis felle contestans: quam sine macula sordis in scelere, & sine duplicitatis ruga Paulus affirmat. Sicut enim 1. *Cant. 6.* *Ephes. 5.*

ibid. 4. enim vnus Deus & pater omnium: sic vna fides, & vnum baptiſma in ſinu matris eccleſiæ miniſtratur. Ab hac igitur teſtatiſsima veritate quicumque exciderunt, turpiter ſeipſos à militante

Baruch 1. ſed more Patrum citat. tit. Hieremia, cuius Baruch fuit ſcriba. Idem facit Vitria. hiſt. Or. c. 78. inferiùs eccleſia, numero: & à ſuperiùs triumphante, merito præciderunt. Vnde Hieremias conqueſtus pro populo Iſraël, dixit: Eramus incredibiles ad Dominum Deum noſtrum, & diſsipati receſsimus, ne audiremus legem aut vocem ipſius. Ideo adhæſerunt nobis multa mala, & maledictiones, quas conſtituit Dominus Moyſi. Et hoc idem Sapiens in Eccleſiaſtico dicit; In gente in-

Eccli. 16. credibili exardeſcet ira Dei. Tales ſunt, qui tuni-

Ioan. 19. cam illam Domini inconſutilem, ſignificantem fidei vnitatem, quam milites crucifigentes ſcindere noluerunt, paſsim lacerare contendunt.

De Ario, qui ſcidit tunicam Chriſti.

1\. VNde in eccleſiaſtica hiſtoria reperitur: quòd cùm Dominus noſter Ieſus Chriſtus appa-

Is erat S. Petrus Alexandrinus. ruiſſet cuidam † Epiſcopo ſciſſa tunica, & quæſiuiſſet Epiſcopus cum lacrymis, quis hoc feciſſet, reſpondit Dominus: Arius hoc fecit. Nec mirum, quia inter omnes hæreticos, excepto Manichæo, nullus eam crudeliùs ſcidiſſe putatur.


De Guillelmo Cornelio hæretico in vrbe Antuerpiana, eiuſq; hæreſi, & cadauere combuſto per Epiſcopum Cameracenſem.

3\. SEd & quidam noſtro tempore in vrbe Antuerpienſi Brabantiæ ſuper maritima, Guillelmus

lelmus Cornelius nomine, hæresi supra modum irrationabili scindere Dominicam fidei tunicam est conatus. Hic quidem in hypocrisi & simulatione diutiùs conuersatus, præbendæ beneficium, quasi sub prætextu perfectæ paupertatis, dimisit: & tamen luxuriæ totus erat deditus. Dicebat autem: Sicut rubiginem igne, sic omne peccatum paupertate consumi, & ante Dei oculos adnullari. Meliorem esse publicam meretricem pauperem, quàm aliquem iustum perfectissimè continentem, aliquid in sui subsidium retinentem, & propter hoc omnes prorsus religiosos esse damnatos. Quod autem dicebat pauperi luxuriam non esse peccatum, maxima erat blasphemia, quasi esse vellet iniustior iustissimus Deus illis, quibus ipse præcepit: Non misereberis in iudicio pauperis. De isto autem certissima relatione didicimus, quòd cùm defuncto eo, atque in ecclesia beatæ Virginis cum honore sepulto, qu dam die tertia eamdem ecclesiam introijsset, vid corporalibus oculis sepulchrum dicti Willel Cornelij vacuũ & apertum, manifestissima sig ficatione præsagiens futuræ damnationis eu tum. Nam post annos quatuor, cognita, dem taque ac probata nequissimæ hæresis illius i tia, per venerabilem patrem nostrum Nic Cameracensem Episcopum cadauer eius pulchro, quasi stirps inutilis, secundum I loquentem de Nabuchodonosor, proiec & combustum.

VNius ergo ecclesiæ, quæ Romar tholica dicitur, vnius veræ fide limine: ne tibi clauso ostio, cum fatu

Num. 16. bus excludaris à sponso: & in seditione Chore à flammis vltricibus deuoreris.



Quòd modus pius habendus sit in studio scripturarum.

CAPITVLVM XLVIII.

Non trâsgrediuntur terminos constitutos.

I. *In concionibus vitanda sunt subtiles quæstiones. Aug l. 3. Conf. c. 5. & l. 7. c. 7. 8. & 9.*



TERMINVS constitutus, dicitur pius modus intelligentiæ scripturarum. Hunc modum ante baptisma Augustinus adhuc mũdi philosophus ignorabat: quando tumens inani philosophia, volebat humana ratione comprehendere, quod pia mens viuacitate fidei nititur apprehendere. Multùm enim & grauiter reprehendendi sunt, qui quæstionibus vel prædicationibus difficillimis & superuacuis ab intellectu, perturbant potiùs, quàm instruunt auditores. Contra tales Dominus per Moysen in libro Numeri præcepit, dicens: Quando congregandus est populus, simplex erit tubarum clangor. Quod Salomon videtur exponere in Prouerbijs dicens: Doctrina prudentium facilis. Et Ecclesiasticus: Non abscondas sapientiam † in doctrina eius. Propter hoc Isaias de bonis prędicatoribus vel doctoribus prędicit, inquiens: Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Quid per gladios, nisi acutæ quæstiones in disputationibus intelligitur? Et quid

Num. 10.

Pro 14.

Eccli. 4. vbi text. habet, in decore eius.

Isa. 2.

quid per lanceas nisi verba prædicantium in sublimitate sermonis? Quæ quidem in vomeres & in falces bene conflamus: quando ad aptitudinem intelligentiæ audientium, disputationes, vel prædicationes salubriter ordinamus. Tali vomere, sicut dicitur in libro Iudicum, percussit *Iud. 3.* Samgar sexcentos, & Sampson in mandibula asi- *Ibid. 15.* næ Philistinorum mille prostrauit. Paulus in lege doctissimus præcepit prædicare non in sapien- *Act. 22.* tia verbi, vt non euacuetur crux Christi. Sed complacuit, inquit, Deo, per stultitiam prædica- *1. Cor. 1.* tionis saluos facere credentes.

Contra docentes & discentes curiosa ex Seneca.

AVdi quid de doctoribus curiosis Philoso- *2.* phus sentiat. Quemadmodum, inquit, re- *Sen. ep. 107.* rum omnium, sic quoque litterarum intemperantia laboramus: nec vitæ, sed scholæ discimus. Nullos plus mereri de omnibus mortalibus iudi- *Ep. 109.* co, quàm qui philosophiam, velut quoddam artificium didicerunt: scilicet vt qualiter viuendum sit præcipiant. Et quidem necesse est ad alienam *Ep. 110.* virtutem exercendam, vt quis exerceat & suam.] Stude certis & bonis moribus, non quęstionibus, quæ finem non habent. Studeas non multa legendo percurrere, sed quæ vtilia tantùm. Fastidientis *Ep. 2.* stomachi est multa degustare, quæ vbi varia sunt & diuersa, inquinant, non alunt. Probatos itaque semper lege, &, si quando ad alios * diuerte- *rest. ex or. pro* re libuerit, ad priores redi. Ex pluribus quæ legis, *diuerti.* aliquid apprehendas hodiernum. Solet enim cautus miles in aliena castra transire, non tamquam transfuga: sed velut explorator. Dandum est ali-

epist. 15. quod interuallum animo, non vt resoluátur, sed
vt remittatur.] Arcus non remissus, aut frangitur,
epist. 83. aut mollescit. Ocium tamen sine litteris mors est,
epist. 73. & viui hominis sepultùra. Non multum autem
refert vtrum omittas studium, an intermittas: sed
corum more quæ intensa dissiliunt, vsque ad ini-
tia sua recurrit, quod à continuatione discessit.]
Vocamus autem continuum continentiæ vel tem-
perantiæ, moderamen, vt fatiscendo non consu-
Apud Sen. de mat ingenium, sed consummet. Non semper in a-
4. vir. c. 1. ctu sis, sed interdum animo tuo requiem dato: sed
& requies ipsa plena sit sapientiæ studijs, & cogi-
tationibus bonis. Prudens enim numquam ocio
marcet. Animum aliquando remissum habet, nũ-
quam solutum. Sapientia animum fórmat & fa-
epist. 16. bricat, vitam disponit, actiones regit, agenda & o-
De 4. vir. c. 1 mittenda demonstrat. Sedet ad gubernaculum, &
per ancipitia fluctuantium dirigit cursum, accele-
rat tarda, perplexa expedit, exæquat ardua, infima
leuat, dura temperat, aspera mollit. Cogita hunc
epist. 60. esse sapientię effectum, gaudij qualitatem. Gau-
dium hoc non nascitur nisi ex virtutum conscien-
De 4. vir. c. 1 tia, & vita pura. Puritas enim mentis ex paruis
magna existimat, ex apertis obscura, ex proximis
remota, ex partibus tota. Non te moueat dicen-
tis authoritas, nec quis: sed quid dicat intendito.
Id quære quod potes inuenire: id disce quod po-
tes scire: id opta quod optari coram bonis potest.
Non quàm multis, sed qualibus placeas cogita.
Ne altiori rei te imponas, in qua tibi stanti tre-
ep. 20. mendum, asscendenti cadendum sit. Horror vt
or. inst. philosophiam in præcordia * tua dimittas, & ex-
perimentum profectus tui capias, non oratione,
nec scripto: sed animi firmitate, cupiditatum di-
minu-

minutione. Verba rebus proba: facere docet vera philosophia, non dicere tantùm. Maximum hoc est, & officium sapientiæ & indicium: vt verbis orpera concordent, vt ipse vbique animus par sibi, idemque sit. Quid te torques in illa quæstione & * maceras, quàm subtilius est & melius cōtempsisse, quàm soluere.] Nihil inconsideratius, nihil stultius, quàm quæstionibus & rebus animum occupare, quas nec scire vtile est, nec honestum experiri. Moueat te quæstio honesta moribus, cogitationibus pacis accommoda, speculationis diuinæ terminos non excedens. Impossibile multùm, & indignum est, attingere velle summum principium, cùm ipsa naturalium rerum principia in omni arte agitari probatione non sustinent. Habet & ipsa naturæ ratio metas suas, habet & fines, qui soli naturæ Deo noti sunt & aperti.

Ep. 50. rest. ex or. pro laceras

Profundas quæstiones vitandas docet ex quadam relatione de sancto Augustino.

QVid te inflas humana superbia? Quò tenderis? Quò assurgis fortiùs, tantò turpius conquassaris. *Audi quid de beato Augustino sanctus Volusianus in laude mirabili testatur, dicens: In alijs sacerdotibus per mundum quomodocumque toleratur inscitia, id est, ignorantia: cùm autem ad Augustinum ventum fuerit, legi Dei deesse creditur, quidquid eum contigerit ignorare.] Quid autem tam magnifico viro super profunditate sermonisque, & arduarum rerum disputatione contigerit, audiamus. Inter miracula quædam beati Augustini tale quid de eo reperitur. Eo in tempore, quo beatus Augustinus librum de Trini-

3. ms. p. s. 2. imp. Audi illum de quo B. Volusianus. Volus. ep. 2. inter epist. Aug.

Nouerit lector hæc non esse solidæ veritatis, & eorum confutationem videat in Molano l. 3. de pict. c. 36.

Trinitate composuit, illi tale miraculum Deus ostendit. Hipponensis ciuitas Africę nobilis, in qua beatus Augustinus Episcopatum administrabat, super littus maris pulcherrimè sita erat. Beatus autem Augustinus in consuetudine habebat, vt post diurnum studium ac laborem, vespere super littus maris, sequentibus à longè Episcopis & clericis, qui eum pro consilio & negotio vniuersalis ecclesiæ frequentabant, solus antecedens deambularet: ne scilicet eius contemplationem aut studium colloquentiũ fabulatio impediret. Cùm ergo sic solus vice quadam incederet, puerulum mirę pulchritudinis super littus maris sedentem inuenit, qui facta in terra fossa paruula, sicut pueri in plateis ludentes solent, cochleari argenteo aquam de mari hauriebat, & in illam fossam paruulam effundebat. Quem vt beatus Augustinus ita seriosè sedentem vidit, pedem mox pressit, & stetit. Procedensque inde, puerum salutat, & inquirit quid agat: Et puer † cum magno serio respondens: Volo, inquit, totum mare istud exhaurire, & isti fossę, si possum, infundere. Quo responso, quasi puerili vir sanctus in risum decentissimum concitatus, respondit: Et quomodo, inquit, ô bone puer, hoc poteris? Ingens mare est, paruum cochlear, quo exhauris, parua etiam fossa, in quam infundis. Et mox puer: Possibilius, inquit, mihi est hoc facere quod intendo, quàm te implere quod cogitas. Ad hoc beatus Augustinus mirabiliter stupefactus, quid hoc esset interrogat. Et puer: Cogitatu, ait, voluis, & ęstimas volumine breui concludere, quid sit illud indiuiduę Trinitatis inexplicabile sacramentum. Et hoc quidem antequam possis, isti fossæ paruulæ

† .i. valde seriò.

potiùs

potiùs totius maris vndas infundam. Hæc dicens, puer repentè disparuit. Beatus verò Augustinus Christum in facto glorificans, quàm verum puer dixerat, mox aduertit.

De eadem re ex ipso Augustino.

Vide ergo quid ipse gloriosissimus Augustinus huic rei consonum in libro de baptismo loquatur paruulorum: Vbi, inquit, de re obscurissima disputatur, non adiuuantibus diuinarum scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio. Sine dispendio enim promissæ salutis multa possumus ignorare.] Scrutandæ sunt tamen diuinæ scripturæ, nec earum superficie debemus esse contenti, quæ ad exercitationem nostram ita modificatæ sunt, vt intus semper penetrari velint.] Et vide quid dicat idem beatissimus Augustinus in libro de opere monachorum, ad illos, qui sine ædificatione fidelium scripturis sacris insudant: Conferamus, inquit, cum fratribus, qui ad nos ab æstu seculi veniunt fatigati: alloquamur eos, consolemur, exhortemur, prouocemus eos, ædificemus in eis, si quid in vita eorum pro gradu suo deesse prospicimus. Talia opera si non facimus, periculosè à Domino ipsa spiritualia alimenta suscipimus.]

4. *Aug. l. 2. de bap. par. seu de pec. merit. & remis. c. vlt.*

Ep. 80.

Aug. l. de opere monac. c. 1.


De Simone Tornacensi, Doctore Parisiensi superbo & incontinente, qui post blasphemiam mirabiliter à Deo percussus est.

5. QVàm vera autem & quàm efficax sit illa
Isa. 19. sententia Isaiæ: Confundentur omnes plectentes & texentes subtilia, exemplo euidentissimo sub nostro ferè tempore videamus. Magister Simon de Tornaco Parisijs in Theologia regebat, & erat excellens ille suo tempore: sed contra decentiam talis officij supra modum incontinens & superbus. Hic, cùm super omnes doctores ciuitatis auditores haberet, & in schola coram omnibus de humilitate altissimæ doctrinę Christi, quæstionem, disputatione præhabita, terminaret, in fine tandem, datus in reprobum sensum, in execranda contra Christum blasphemiæ verba prorupit. Tres sunt, inquit, qui mundum sectis suis & dogmatibus subiugarunt: Moyses, Iesus, & Mahometus. Moyses primò Iudaicum populum infatuauit. Secundò Iesus Christus à suo nomine Christianos. Tertiò Gentilem populum Mahometus. Nec mora, euersis oculis pro humana voce mugitum emisit, & epilepsia statim elisus in terram, die tertio eiusdem morbi vindictam accepit. Plaga ergo insanabili eum percussit omnipotens, & omni scientia, vsque ad prima litterarum elementa priuauit, & grauiori quidem in anima cum hac plaga percussus est: cùm vsque in diem mortis suę quasi mutus, comparatus est iumentis insipientibus, & in luxuriæ fœditate permansit. Et vide supremæ admirationis miraculum. Aleydem fornicariam concubinam suam nomi-

Psal. 48. Simile est exempl. in Cesar. l. x.

nominare poterat, & sciebat: Boëtium verò de Trinitate, qui iuxta eum ad spectaculum ponebatur, quem olim cordetenus scierat, post inditam plagam, nec nominare nouerat, nec valebat. *c. 14. de quodam Leonio.*

NOn ergo transgrediaris terminos constitutos, sed pium modum semper habeas in scripturis. *Conclusio. Pro. 22.*



Quòd prædicatione scripturarum, fidelium animæ ad vitæ perfectionem prouocantur.

CAPITVLVM XLIX.

Gaudent plausu & tinnitu æris.



ERIS natura sonora est, & in ea prædicationis sonoritas designatur. Vnde Isaiæ præcepit Dominus: Clama in fortitudine, quasi tuba exalta vocem tuam. Tubam hîc ductilem intelligimus, quæ ex ęre vel argento fiebat, secundũ præceptũ Moysi. Quæ etiam dicitur iubilea: quia talibus vtebantur in festis & Neomenijs sacerdotes. Per has prędicatores verbi Dei rectissimè figurantur, quorum vox, quasi tuba vehemens, nunc terret impios, nunc iustos ad resistendum hostibus exhortatur: hinc exemplis debiles roborat, hinc alios in tribulationibus consolatur; nunc dulciter congaudet pijs, nunc mœrens de malorum interitu queru- 1. *Isa. 58. Num. 10. Ibid. & Leuit. 25.*

querulatur. Et notandum, quòd in textu duo ponuntur in quibus gaudent apes: plausus pariter & tinnitus. Plausus secundum Psalmistam mani-
Psal. 46. bus fit, qui dicit: Omnes gentes plaudite manibus. Et signat boni operis cum virtute conamen, quod prędicationis tinnitui sociatum, mirum reddit fidelium apum auribus modulamen. Ad plausum igitur boni operis, & tinnitum prædicationis gaudeant fideles apes, & eorum modulamine ad vitæ perfectionem, & cælestis patriæ desiderium prouocentur.

De virgine, quæ Cantiprati ex deuotionis ardore obijt in concione.

2. EXempli gratia quiddam referam, quod multis valuit ad incitamentum virtutis. Erat in Galliæ partibus mihi notus, & carûs prędicator quidam, Ioannes nomine, cognomento Polinus. Hic tunc quidem quando istud accidit, erat canonicus regularis in monasterio dę Essoines, sed
2.Tim.2. postea ad ordinem Prædicatorum, in quo verbum Dei non esset alligatum, deuota mente transiuit. Hic iuxta Cameracensem vrbem in monasterio religiosissimo ac deuoto Cantipratensi, in choro canonicorum regularium, præsentibus Beghinis multis cum populo, in festo Apostolorum Philippi & Iacobi prædicabat. Cumque il-
Ioan. 15. lud verbum: Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum, haberet in manibus, & illi crebris versationibus miris modis insisteret: virgo quędam anicula feruentissima spiritu, cœpit primò intra se fremere præ nimio deuotionis ardo-

rę,&

re, & concuti omnibus membris ſuis. Sed cùm ter aut quater aliquamdiu reprimeretur circumſedentium pulſibus ſociarum, tandem vbi prædicator inſeparabilem mixturam exprimeret, quaſi vini & aquę, animæ beatę cum Deo, ſpiritus eius, quaſi muſtum abſque ſpiraculo, lagunculam cordis eius cum valida effuſione ſanguinis & clamore diſrupit, & in conſpectu omnium exſpirauit. Ecce breuis in volatilibus apis qualiter ad prædicationis ſonoræ tinnitum gauiſa eſt. Nec ſe poſtea triſtibus miſcuit, quæ gaudium intrans Domini, innixa ſuper dilectum, ſuàuiter requieſcit. *Iob 32.* *Eccli. 11.* *Mat. 25.* *Cant. 8.*

De torneamentorum dementia.

3. HAbet & diabolus tinnitus & luſores ſuos, quorum applauſu ſerui eius & ſubditi gaudent. Vnum horum genus eſt, torneamentis milites aut ſatellites dediti. Iſti adeo fidelibus populis, & plebeiæ multitudini maximè, nociui ſunt: vt damnabilibus, & intolerabilibus expenſis eorum vix vlla copia terrarum ſufficiat. Exheredantur diuites ruſtici, ciues vrbium deuaſtantur, exſpoliantur pauperes, & vix eis relinquitur fruſtum panis. Et hoc totum fit, vt tinnitu applaudentium hiſtrionum longè lateque nomen probi militis deferatur. Et certè perijt nomen eorum cum ſonitu, quando vocum ſtrepitus pertranſiuit. Quid habet in tali laude probus miles equo Bayardo magis? Guillelmus de Barris noſtro tempore miles optimus dictus eſt. Inſonuit nomen eius dum vixit, iam ipſo mortuo non auditur, Bayardus verò equus tempore Caroli viguit, quingentis & cò ampliùs iam elapſis annis mortuus eſt, & adhuc fama *Pſal. 9.* *Obijt in Ægypto 1250. Meyerus.*

fama eius superest. Bucephalus equus magni Alexandri regis Macedonum, ob honorem sui, mortuus meruit, vt ex nomine suo ciuitas Bucephalis construeretur. Et tu miles, tu satelles, probitate tua quid simile meruisti?

De ferali quodam torneamento iuxta Nußiam, siue Nouesium instituto.

4. AVdi quid nostro tempore gestum sit teste tota Theutonia. Anno circiter ab incarnatione Domini M.CC.XLIII. juxta Nussiam super Rhenum opidum nobile, ad torneamentum multi nobiles, Duces, Comites, Barones, ac milites congregati sunt. Superuenit quidam frater Bernardus de ordine Prædicatorum cum socio, rogauit suppliciter, & quasi cum lacrymis, vt sibi parcerent, & ab inani proposito desisterent, compaterenturque Christianitati, & afflictæ matri ecclesiæ, quæ illo tempore in Hungaria, Quionia, & Polonia, à Tartaris miserabiliter vastabatur. Ac cùm multi essent, qui ad preces eius libentiùs destitissent, quidam Comes de Castris * dictus, subsannauit fratrem, & consentientes eidem, turmisque militum congregatis, ferale illud torneamentum infelicissimus inchoauit. Mane autem eiusdem diei, vt à pluribus ferebatur, quasi gleba ingens & lata super aëra videbatur, & circa glebam ac supra, quasi coruini generis volucres crocitando diutiùs volitare. Nec credo aliud quàm dæmones has fuisse, qui futuri mali * prodigium hoc dederunt. Nec mora, cùm torneamentum hoc fieret, milites ac satellites in tanta strage, & in tanta multitudine, plurimi in mortem, non-

2.imp.add. aliàs de Marka.

ms.p.add. prælij.s.præscii.

nulli

nulli in vesaniam, plerique etiam in languores perpetuos ceciderunt, vt nullus ambigeret ludum hunc, non tantùm hominum, sed verissimè, vltione diuina, dæmonum extitisse. Omnes verò mortui vsque ad trecentos sexaginta septem computati sunt. Inter quos etiam primus mortuus dicitur Comes ille de Castris, qui dicto fratri Prædicatori contumaciter contradixit. Sub eadem nocte, quo die hæc facta sunt, in speciebus militum armatorum iuxta villam Brabantię, quæ Ijska maior dicitur, congregationes fieri à dæmonibus, presbytero villæ teste, cognouimus: & hoc credo in signum lætitiæ tanti mali.

Videtur esse Iissche, inter Louanium & Bruxellam.

Visio de nobili quodam damnato, qui torneamentis & luxuriæ fuerat deditus.

FVit & in Theutoniæ partibus, sicut à fratre ordinis Prædicatorum audiuimus, qui illius terræ incola fuit, miles quidam potens, torneamentis mirè deditus; mortuus est autem miserabiliter sicut vixit. Reliquit autem vxorem deuotam valde & sanctam, quæ mortuo marito, vt ipsamet magistro Alberto, fratri ordinis Prædicatorum, cum fletu magno narrauit, & ipse mihi, rapta est, inquam, ad excessum mentis, & vidit circa animam viri sui dæmones in magna multitudine congregatos. Dixitque vnus ceteris eminentior ad consortes: Ponite caligas in pedibus eius, quarum spicula penetrent à plantis pedum vsque ad cerebrum. Hinc cum lorica induite, cuius spicula ante & retro totum corpus penetrent. Hinc galeam capiti eius imponite, cuius similiter spicula descendendo transeant 5.

vsque

vſque ad plantas. Hinc ſcutum collo eius immittite, cuius pondere membris omnibus conquaſſetur. Hæc omnia, cùm ad iuſſum principis dæmonum in animam miſeram complerentur, dixit iteratò dæmonibus: Conſuetudo iſtius erat, vt poſt torneamenta balneis foueretur, & poſt balnea deponeretur in lectum, & iuxta eum puella tenerior, cuius complexibus & coitu fruebatur: his omnibus aptate ſimilia. Nec mora, flammis balnearibus anima cruciata, in lectum candentem ferreum deponitur, & iuxta eam bufo terribilibus oculis ad magnitudinem & longitudinem lecti eius, cuius complexu, cõtactu, vel oſculis adeo exhauſta eſt, vt magis eã bufonis illius horribilis, quàm armorum prædictorum terribilium, balnei, vel lecti vexatio cruciaret. Heu quàm digna pœna ſit talium. Illa autem beata mulier, quę hæc, diſpenſante Deo, de anima mariti ſui vidit, omnibus diebus vitę ſuę, ex recordatione viſionis adeo afflicta fuit, vt nullus poſſet ambigere, qui eam antea cognouiſſet, quin illa, ſupra id quod credi poſſet, cordis incommodo vexaretur.

De alio milite in torneamentis occiſo apparente.

6. VIdi conſobrinam patris mei, mulierem annorum centum triginta. Hæc, in villa in qua nata erat, Leeuwes ſcilicet iuxta Bruxellam in Brabantia, factum huiuſmodi accidiſſe ſuo tempore referebat. In hac villa ſexaginta milites arma portantes ſparſim per parochiam morabantur, vbi vix vnus eſt modò. Hi omnes cum alijs militibus circumiacentium regionum, ſine vllo armorum præſidio, exceptis lanceis, ſcuto, & galea,

lea, induti tantùm plicata linea tunica, torneamenta frequentiùs faciebant. Et contigit quadam vice, ſicut frequenter ſolebat, vt in congreſſu comparis miles quidam, clypeo malè protectus, in corde lancea feriretur. Cum graui igitur luctu ad domum propriam corpus exanime ſic delatum, in locello componitur. Excubias verò facientibus parentibus & amicis, fit nocte media circa corpus mira confuſio. Poſt horam autem egreſſo famulo, & miſſo pro negotio prope villam, obuius ei in equo nigro factus eſt miles occiſus, qui dixit illi: Aſcende retro me, & feram te ad locum, quò mitteris prope villam. Territus autem famulus, vt iuſſus eſt aſcendit. Et cùm brachijs teneret ſe ad latera ſedentis in equo, & neſcius, manu vulnus lateris tetigiſſet, dixit miles: Fortiùs infige manum vulneri, & extrahe ferrum lanceæ, qua percuſſus fui. Tremebundus igitur famulus, fecit quod iuſſus eſt. Ad locum autem, quò tranſmiſſus erat, famulo veniente, dixit miles: Deſcende nunc, & occiſori meo ſpecialiter dicas, & alijs omnibus, quibus vis, vt veniant ad talem locum, & videant diuinum iudicium de me factum: & in ſignum, quòd me veraciter videris, ferrum lanceæ oſtendas eis. Mane ergo facto, famulus ea, quæ iuſſus eſt fecit. Et cùm ventum eſſet ad lòcum, vbi venire mandauerat cum alijs occiſorem, inuenerunt coruorum & miluorum multitudinem infinitam, qui validis morſibus cadauer miſerabile diſcerpſerunt.

Quo-

Quomodo iam dicta fieri potuerint.

7. SEd hîc fortè quærendum est: Quomodo occisus resurgere, viuere, loqui, & equitare dicatur. Et respondemus, quòd in vita beati Benedicti abbatis assertio S. Gregorij Papæ sufficiat, vbi dicit pistoris mortui corpus de tumulo surrexisse, & reuersum ad propria, ad pinsendum familiam excitasse. Possumus tamen, saluo iudicio meliori, probabilem satis reddere rationem. Manente adhuc mortui corporis organismo, velut vestem homo, corpus organizatum potest diabolus subintrare, & ad voces ac verba fauces reformare, arteriasque ad motum membrorum reuocare. Non in longum tamen hoc potest, quia naturam corporis fluxibilem sine anima vegetabili in robur debitum conseruare non potest, quin adlentato humore citiùs corrumpatur.

In dial. Greggor. non habetur.

De ludo tesserarum.

8 EST & aliud genus ludorum, plenum vanitate sub sole. Sunt enim lusores tesserarum, qui adeo nocui sunt mundo, vt vix aliquid illis nequius reputetur. Hoc ludo pauperes nudi fiunt, mendici diuites, nobiles ingrati, & suis rusticis viliores. Ex tesserarum autem ludo desperatissimi homines fiunt, sicut fures, raptores, & homicidę. Assueti talibus de facili non desistunt. Ardor tantus inest lusoribus, vt omnem verecundiam perdant, vsque ad verenda nudati.

De his terribile exemplum refert Cæsar. l. 5. c. 34.

De

De Iudæo & Christiano lusoribus à Deo punitis.

FVi in quadam villa Campaniæ, vbi Iudæus cum Christiano in sacra nocte parasceues in tesserarum ludo consedit. Cumque Iudæus multam pecuniam perderet, & ex hoc impatiētiùs turbaretur, tandem in Christum retorquens iniuriam, blasphemauit. Et mox cùm ad iactandum hasardum, tesseras collegisset, manus eius cū tesseris fit contracta. Qui reprobo furore succensus, cùm ipsa contracta manū mēsam lusoriam percutere niteretur, iteratò in Christum & matrem eius blasphemiam turpissimam euomens, statim, euersis terribiliter oculis, cecidit & exspirauit. Christianus verò collusor illius pauore nimio in amentiam versus, elanguit: & vitam miseram dira morte finiuit. 9.

De iuuenibus Louanij in cellario ludentibus.

IN Brabantię partibus, vrbe Louanio, ciuem vidimus generosum & bonum, qui in nocte sancta parasceues ad matutinas surgens, transibat ante cellarium in platea, in quo perditissimi adolescentes ad ludum tesserarum sedentes, blasphemijs & iuramentis inuicem contendebant. Transiens autem ciuis, inuenit homines plateæ ante cellarium, qui cum magno murmure plangebant hominem quemdam ignotum miserabiliter plagatum, & sanguine cruentatum. Qui, cùm quæreret auctorem læsionis tantæ quis esset? responderunt: Isti, inquiunt, iuuenes, qui hîc in cellario ad tesseras ludunt. Mox igitur ingressus 10.

gressus ciuis improperat ludentibus tali nocte, & eos duris verbis interrogat, cur hominem ignotum ingressum ad eos tam crudeliter verberassent? Attoniti autem iuuenes, negant aliquem ad eos intrasse postquam consederant: nullum verò ab eis, vel verbo vel verbere lacessitum. Et mox cum ciue surgentes, omnes quærunt hominem cruentatum, nec inueniunt. Conuersi itaque singuli ad seipsos, animaduertunt iuramentis suis terribilibus rursum Christum Dominum contumelijs affectum, rursum improperijs cruciatum. Hæc cùm mihi frater ordinis Prædicatorum sub dubio retulisset, ego ipse in dictam vrbem perueniens, interrogaui de viro, inueni hominem, quæsiui rei veritatem. Sub præstito iuramento narrauit ille vt scripsimus: & addidit, quòd dominus domus in cuius cellario lusores sederant, in dicto facto tanta contritione permotus est, vt mediante ciue illo, qui hæc narrauit, cum vxore omnia bona diuideret; & quę per vsuram rapuerat, iniuriatis restitueret, & vitam suam beatissimè terminaret.

De lusore præ desperatione contra Deum sagittante.

11. FRater quidam ordinis Prędicatorum, bonus quoque & veridicus narrauit mihi, quòd quidam ludo tesserarum nudatus, adeo † desperatus est, vt arrepto arcu, sagittam sursum in aëre iaceret, quasi ipsum cæli Dominum percussurus. Et mox sagitta reuersa ante faciem iacientis, sanguine recenti totaliter infecta reperta est. Qui mox irremediabilibus lacrymis resolutus, fratrem, qui mihi hæc narrauit, ad duo milliaria quæsitum, inuenit,

† Phrasis est Gallica. Latinè dixeris, desperauit.

uenit, & confessus, vitam suam cum mira pœnitentia ac deuotione correxit.

De choreis vitandis.

Est & tertium, chorizantium scilicet, ludorum genus. Quod quàm nociuum sit, in libro de ciuitate Dei beatus Augustinus insinuat, vbi narrat: Nasicam Scipionem Romanorum nobilissimum Ducem subsellia de theatro sustulisse, ne Romani, qui de nouo triumphauerant in bello contra Carthaginem diu inimicam Imperij, choreis & ludis Veneris dediti, vacare possent, & per hoc effeminati inuiderent alterutris, & cessantibus bellis extrinsecis. intestinis malis ad discordias mouerentur. Signum damnationis in chorizantibus est euidentissimè manifestum, quòd ad sinistram circumeuntes, in qua parte hœdi maledicti ponentur, regnum perdituri sunt, quod benedictis ad dexteram positis à iudice conferetur. Si autem secundum veridicam Augustini sententiam, melius est Dominico, vel festo die arare, quàm choreas ducere: & opus seruile, quod est arare, mortale sit festo die, ergò multò grauius est choreas ducere, quàm arare. Excusantur tamen in parte, sed non in toto choreæ, quæ in nuptijs fidelium fiunt: in quibus solatium modesti gaudij habere decet illos, qui ad vitam laboriosi matrimonij conuenerunt. Vnde vulgariter dicitur: Virum dignum habere paruam nolam cum aurea cathena suspensam, qui infra annum de suscepta vxore non doluerit. Et quidem, quanta mala in choreis eueniant, mulieres expertæ nouerunt, tam ex vi-

12. *Aug. l. 1. de ciuit. c. 30. 31. 32. & 33* *Mat. 25.* *Aug. in psa. 91.* *Hinc ratio elicitur, cur in primitiis sacerdotum tripudiandū non sit.*

ex viſu, quàm in auditu: tam in confabulationibus, quàm in complexibus.

De muliere choreis addicta infeliciter mortua.

13. IN villa quadam Brabantiæ (vt mihi frater ordinis Prædicatorum narrauit) mulier procax & vana erat, quæ in omni ferè feſto choreas coniungere conſueuerat. Et factum eſt, vt iuuenibus viris ad ſaltum iuxta choream ludentibus, vni eorum pilam ferire conanti, baculus de manu ſambucalis euaderet, & dictam mulierem ducentem choream, percuſſam in capite, mox necaret. Hæc vt viderunt omnes confuſi ſunt, & corpus ad domum propriam detulerunt, & in feretro poſuerunt. Presbytero autem cum clericis dicturo vigilias veniente, ecce taurus nigerrimus, immo dæmon peſſimus, cum mugitu accurrens, feretrum cum corpore deiecit, cornibuſque illud diſſipans, membratim confodit: ita vt viſceribus hinc inde diſperſis, fœtor intolerabilis ſpargeretur. Fugientibus ergo cunctis, cadauer laceratum vſque in craſtinum, ſolum relinquitur, quouſque ſcilicet, euaporato fœtore, proximi eius intrare poſſent ad corpus, & ſublatum extra cœmiterium ſepelire.

De tripudiantibus ſubmerſis.

14 IN Gallia iuxta Laudunum, ſicut à presbytero villæ percepimus, quidam chorizantes ſaltibus ſuper pontem, diſrupto ſubitò ponte fortiſſimo, in aquis validis totaliter ſunt ſubmerſi.

De

De saltatrice subitò mortua.

VIdi & ego adhuc puer in choreis procacissi- 15.
mam saltatricem, quæ, me præsente, post choreas insolenter cum adultero luctabatur, & cùm cessasset, subitanea morte percussa, miserabiliter exspirauit.

De venationibus.

ESt & quartum ludorum illorum genus, qui 16.
in auibus cęli & canibus terræ ludunt: quo- *Baruch 3.*
rum damnatio maximè in clericis manifesta est, *extra de cler.*
qui per vagationes ludorum talium, debitum *venator. per*
Christo obsequium non exsoluunt. *totum.* Sed & laicis nobilibus ista damnabilia esse cognoscas, si orationes quotidianas & missas neglexerint & spręuerint propter illa.

De muliere, quæ ob peccatum viri venatoris monstrum peperit, caput habens canis venatici.

VNde cùm à Treueri ciuitate cum fratribus 17.
Prędicatoribus de Theutonia per Rhenum descenderem in Coloniam Agrippinam, & ab eis multa memorabilia discerem: inter cetera frater quidam narrauit, dicens: Fuit in Theutonia nobilis quidam venationibus in tantum deditus, vt nullo, saltem Dominico vel festo die, missam audiret, sed semper venationibus intentus esset. Corripiebat autem eum frequentiùs vxor sua deuota Deo, sed ille quasi muliebres monitus, non curabat. Accidit autem, vt ipsa

 vxor,

vxor, post multos partus editos, imprægnata, puerum pareret abortiuum, habentem caput canis venatici pendentibus auribus & porrectis. Confusa ergo matre cum multis matronis nobilibus, quæ astabant, consilium fuit omnium, vt terra citiùs partus obrutus tegeretur. Veniens ergo à venatione maritus eius, quæsiuit quis puer esset, quem vxor peperisset. Dissimulantibus autem omnibus cum pudore, instat miles extracto gladio, vt ei partus ostendatur. Et mox vxor, timore compulsa, eiici de terra iubet prolem, in triste spectaculum, monstruosam, dicens: Ecce quàm manifesto prodigio insipientiam tuam vindicauit omnipotens, qui nullum honorem diebus sacris, nullam reuerentiam corporis Christi sacramentis tribuisti. Sed vagis & vanis ludis venationum, indiscretis temporibus, institisti. Hæc vt vidit nobilis, correxit se, & egit pœnitentiam de commissis.

De milite, qui venando in amentiam versus, disparuit.

18. ITem & quidam alius miles pótentissimus, cùm multos ex subditis quotidie secum vacare cogeret, & venationibus insudare: & per hoc plerique culturas agrorum, & propria negotia dimittentes, ad paupertatem & inopiam cum vxoribus & liberis deuenirent: accidit, vt vna dierum cum priuata familia domus suæ, ipse ingressus nemora, feram impeteret, & agitantibus canibus equo residens toto studio sequeretur. At cùm nihil proficeret tota die, sed semper feram videret ante fugientem, in amentiam versus, cum

suis

ſuis omnibus feram de nocte ſecutus eſt: & ex illa die nullus hominum vidit aut ſciuit quid de eis factum eſſet, aut quò euenissent. Dixerunt nonnulli, & bene credimus, quòd ſicut Dathan & Abiron, hiſcente terra, viui abſorpti ſunt, & ad inferna tranſmiſsi. *Num. 16.*

De obſcœnis cantilenis, & hiſtrionibus.

Est & quintum ludorum genus, quòd diabolus in condemnationem multorum, modis diuerſiſsimis adinuenit. Quis enim dubitat obſcœnis & Venereis cantibus corda etiam religioſorum ac bonorum fidelium multoties permoueri? In iſtis eſt tinnitus dæmonum, & iſtis applaudunt vaniſsimi ſpectatores. Iſtis meritò coniunguntur cum ſuis geſticulationibus, & verbis turpiſsimis, ac ſcurrilibus hiſtriones. Talibus dare, vt ait Auguſtinus, eſt dęmonibus ſacrificare. 19. *Aug. tract. 100. in Ioa.*

Quàm damnoſa ſpectacula, ex Seneca.

Quàm nociua ſint talia, Philoſophus oſtendit, dicens: Nihil tam damnoſum bonis moribus, quàm in aliquo ſpectaculo, reſidere. Tunc enim per voluptatem faciliùs vitia ſubrepunt, cùm eorum ſimilitudines aut exempla ſenſibus viſibiliter imprimuntur. Subducendus eſt ergo populo tener animus, & parum tenax recti: quia vnum exemplum luxuriæ, aut alterius mali, multa facit.] 20. *Sen. ep. 7.*

De tibicine infeliciter mortuo.

21. QVòd autem talibus applaudant dæmones, per generoſum & verè ſanctum virum Goſ-
Belg.Velpe. ſuinum, dominum de Velpia, militem in ducatu Brabantiæ veraciter accepi. Habebat ille, vt mihi retulit, famulum quemdam nocturnę cuſtodiæ deputatum: qui obſcœnus nimis & lubricus, congregationes puellarum ac iuuenum tibia canens & fiſtulis faciebat. Hic cùm ſemel veſpere tibia caneret, & geſticulationibus ac ſaltibus concreparet, vidit dictus miles manifeſtiſſimè dæmonem cornutum, villoſum, vibrantibus & igneis oculis ante tibicinem ſaltitare, & ſecundum motum illius motibus diuerſimodis congaudere. Hoc igitur cùm ſeruo dominus intimaſſet, & ille nollet deſiſtere à damnabili ludo, & maximè à prouocatione in obſcœnis carminibus puellarum, dimiſit eum ac repulit. Ille verò poſt paucos dies repro-ba morte percuſſus, vitam miſeram terminauit. Huius rei multò terribiliorem euentum, in huius
Parte 4. libri vltimo capitulo, vbi agitur de inſidijs dæmonum, diligens lector inueniet.

Obſcœnas cantilenas componi à dæmonibus.

22. QVòd autem obſcœna carmina finguntur à dæmonibus, & perditorum mentibus immittuntur, quidam dæmon nequiſſimus, qui in Niuella, vrbe Brabantiæ, puellam nobilem anno Domini M.CC.XVI. proſequebatur, manifeſtè populis audientibus dixit. Cantum hunc celebrem de Martino, ego cum collega meo compo-

ſui, &

sui, & per diuersas terras Galliæ & Theutoniæ promulgaui. Erat autem cantus ille turpissimus, & plenus luxuriosis plausibus.

De ludis in excubijs defunctorum, & F. ordinis Prædicatorum contra eos diuinitus prædicare iusso.


EST & sextus alius tinnitus dæmonum damnabilis valde, & nociuus fidelium animabus: 23.
[Ludus scilicet, qui in defunctorum excubijs solet multipliciter exerceri.] De hoc fratrem quemdam ordinis Prædicatorum narrantem audiui, cui accidit quod subiungo. Ad prædicandum venerat in quamdam villam, & ascenderat solarium vespere ad pausandum. Et ecce in opposita domo duo perditi adolescentes ad funus defuncti conuenerant, & obscœnis vacantes lusibus, vigilabant. Hæc vt vidit frater, & audiuit per oppositam fenestram, cui incumbebat, flere cœpit vberrimè, perditorum insanias miseratus. Nec mora, vbi se deposuit super lectum, vigilanti quidam astitit, dicens: Legatione fungor animarum in purgatorio purgandarum. Hæc enim mandant suis in derelictis possessionibus constitutis. Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Et mox fratri: Ex his, inquit, verbis cras tibi sermonis thema suscipies, & refelles ludos execrabiles, quos vidisti, & induces per contrarium homines, vt defunctorum amicorum piè subueniant animabus. Nec distulit frater in crastinum sepulto corpore mortui, iniunctam legationem conuenientibus populis indicare, tantumque in illo sermone profecit, vt omnes à minimo vsque

ms. p. s. 2. imp. omit.

Iob 19.

vſque ad maiorem, ad tantam lacrymarum abundantiam commoueret, vt mirus feruor excitaretur in populo defunctis proximis ſubuenire, & ludos, quos prædiximus, execrabiles remouere.

Concluſio. ABominentur ergo apes fidelium tinnitus diaboli, & applaudentium conſortia deteſtentur.



Quòd nihil iucundius gaudio bonæ conſcientiæ, & nihil triſtabilius triſtitia malæ conſcientiæ.

CAPITVLVM L.

Hilaritate & nitore apum ſanitas æſtimatur.

1. Prou. 17. ET hoc eſt idem quod Salomon in Prouerbijs dicit: Animus gaudens ętatem floridam facit: ſpiritus triſtis exſiccat oſſa. Teſtimonio conſcientię bonæ nihil lætius credo, nihil gaudioſius in hac vita: teſtimonio verò conſcientiæ malæ nihil credo triſtius, nihil horribilius in terrenis. De hoc gaudio non ſolùm ſpiritus, verùm etiam participatur & caro, iuxta illud Pſalmiſtæ. Cor meum
Pſa. 83. & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Hoc idem credimus & vidimus de triſtitia conſcientiæ gehennali, vt animo interiùs mœrore turbato, corpus exteriùs contabeſcat.

De

De viro, qui tristitia languebat, per confeßionem liberato.

DE hoc quiddam supra modum probabile, certissima relatione cognoui. Erat vir multis notus & clarus in Burgundię partibus, qui quidem aliquanto tempore in iuuentute sinceriter conuersatus, postea à virtute tepescens, cœpit ad vitia declinare. Nec mora, squalenti mente tabescens, incidit in languorem, nec tamen Dei manum castigantis agnouit, sed mala malis accumulans, pallore vultus & macie, quasi homo ignis æterni, miserabiliter habilitabatur ad pœnã. Cumque nulla medicorum cura proficeret, nec saltem ei languentis vitæ causam aliquis aperiret, tandem in se reuersus, solam miseriæ corporalis causam, languorem animæ, diuina miseratione præuentus pœnitens intellexit. Confessus ergo cum lacrymis cuidam sanctissimo sacerdoti, statim vbi beneficium absolutionis accepit, similitudinem ferè bufonum habentia in facie, sed diuersificata posterius, septem animalia cute teterrima, & parua, quasi vitiorum septem dæmonia, de ore simul eiecit. Mira res, vix modico temporis spatio interiecto, in tabem animalibus resolutis, reflorere cœpit caro prorsus & facies pœnitentis, menteque & corpore integerrimè sospitatus, multis postea profuit ad exemplum. 2.

De nitore & puritate conscientiæ.

PRoinde notandum valde est, quod in ipso textu dicitur: quòd nitore etiam apum sanitas æstimatur. 3.

ſtimatur. Quid ergo hîc in nitore, niſi conſcientiæ puritas deſignatur? De qua quidem in libro
Pro. 22. prouerbiorum dicitur: Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum regem, illum ſcilicet, qui
Mat. 5. dixit: Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. Tales fuerunt & ſunt oculi Prophetarum, qui ea, quæ à principio mundi erant, quæ erunt, & nunc ſunt luculentiſſimè contemplantes, nunc implicitè, nunc explicitè, nunc integumentis medijs, nunc verbis euidentiſsimis prædixerunt. Huius nitore puritatis & gratiæ, quaſi lacte
Cant. 4. & 5 candidiſsimo loti, ſunt oculi columbarum, ſanctarum
Iſa. 60. rum ſcilicet animarum, quæ in nubibus & ſuper nubes volant, & ad feneſtras ſuas à longè cæleſtem patriam ſpeculantur, & eam auidè, ſed nondum valentes intrare, ſalutant pariter & ſuſpirant. Intrant tamen nonnulli cum Paulo, & in
2. Cor. 12. paradiſum per ſpiritum rapiuntur, ſed hora & mora breui.

De Elizabetha de Wans, poſtea moniali, quæ anno integro eodem lecto cum marito vtens, virgo permanſit.

4. MOnialis genere & vita nobilis, Elizabeth dicta de Wans, in monaſterio Brabantiæ, quod Aquiria dicitur, à cunabulis ferè, Chriſto deuotiſsima fuit: cuius ſanctitati parentes eius ſimpliciter inuidentes, eam militi probatiſsimo, licet inuitam, in coniugium tradiderunt, cum quo in vno lecto annum integrum agens, virgo tamen impolluta permanſit.

De

De imagine Christi eamdem virginem subsequente quocumque pergeret.

HAnc pedetentim fere tribus annis imago crucifixi vndique sequebatur, & si quando immundum quid, aut noxium cogitasset, manum de cruce porrectam eius pectori superponebat, & incommodum protinus effugabat. 5.

De quadam eius visione mirabili, & veritatis eiusdem comprobatione.

HÆc angelicis sæpius assuefacta colloquijs, 6.
ad amœna virentis paradisi die quadam euecta est, vbi quidem, sicut mihi ipsa confessa est, non solùm ex viuis adhuc & tunc natis, verùm etiam postmodum nascituris, * eorum inquam, qui ab illo tempore visionis vsque in finem mundi saluandi erant, * similitudines vidit, & quod mirabilius est, in quo statu, virginitatis, viduitatis, aut cõiugij singuli glorificandi essent, spiritu reuelante, discreuit. Hos igitur cùm postea videret in vita, quorum similitudines in cælo viderat, licet eos antea non nouisset, specialissimè ex facie cognoscebat, & subitò in ictu oculi, in singulis meritorum vel statuum differentias discernebat. Vt autem mihi Christus iudex & testis sit in die iudicij, si falsum loquar, ipsemet in me veritatem rei certissimè comprobaui, cùm mihi statum meum, quem nisi confessor meus nullus hominum nouit, luce clarius indicaret. Hoc & à multis alijs, quibus idem fecit, certissima relatione cognoui. Adauxit autem illud valde miraculum, quod

ms.b.c.tert. imp. multos qui ab illius tẽpore, &c. eadem add. per eorum similitudines.

quod in illa nobili puella, Elizabeth de Ascha euidentissimè contigit. Hanc cùm vidisset in pompa & ornatu gloriæ secularis, vtpote illam per quam parentes eius spe posteritatis gaudere cupiebant, constanter dixit ad eam: frustra tu copiebant, constanter dixit ad eam: frustra tu copiaris & tui: quoniam præuidi te in statu virginitatis certissimè morituram. Quomodo autem hoc, & quàm mira occasione factum sit, ipsamet puella nobilis, & omnes, qui audiere mirati sunt.

De vero gaudio conscientiæ.

7. *Aug. l. 10. Conf. c. 22.* Est & gaudium, sicut dicit beatus Augustinus in libro confessionum, quod non datur impiis: sed eis, qui Deum gratis colunt, quod est sola certa iocunditas, quod dicimus gaudium de *1. Tim. 1.* conscientia bona & fide non ficta. Hoc solo frui gaudio *putantur illi, qui mortem habent in desiderio, & vitam in patientia, qui vitam istam putant exilium, & terrenæ inhabitationis dulcedinem, incolatum. Hi risum mundi reputant errorem, & gaudium decipi dicunt frustra. *Eccle. 2.*

ms. p. videntur.

De pia muliere, quæ risit in morte.

8 *De iis, qui in morte riserunt exempla sunt in Cæsar. l. 7. c. 53. & 54.* Vidi mulierem iuuenculam, pulchram valde, nobilem, & rebus mundi affluenter pollentem. Hæc à puellaribus annis viro nobili matrimonio copulata, citò postmodum spreuit mundum, & in se omnes eius concupiscentias adnullauit. In domo mariti velut ancilla humilis seruiebat, & tamen, vt mihi vir eius dicebat, gratior illi erat vxor in vili habitu, quàm in pomposo. Hæc vix vmquam ridere visa est, nisi cum deuotis & bonis,

bonis, & tunc solùm iucunditate mirabili replebatur. Cùm ergo vir eius aliquos dilectos hospites & seculares haberet, quos ex more festiuare volebat, deuotos aliquos occultè mandabat, vt vxorem hospitibus lętam redderet per aduentum & societatem illorum. Consummata autem in *Sap. 4.* breui, venit ad mortem: cumque diu sine voce & exteriori sensuum exercitio iacuisset, tamdem suppliciter oculis eleuatis, in cachinnum & risum maximun excitata est: & sic repentè emisso spiritu, cum ipsa dispositione ridentis, facies iubilo & lætitia plena, populo mirante, remansit. Nulli profectò dubium est, quin illa ad conspectum angelorum astantium exultasset. Caueant tamen quantumcumque deuoti & pij, ne proprio motu in morte gaudere videantur, sed cùm timore & reuerentia diem vltimum præstolentur. Et ad hoc exemplum manifestè enarrabo.

De Garnero canonico regulari sancti Ioannis in Vineis apud Suessionem, quem B. Virgo de risu in morte corripuit.

GArnerus quidam canonicus regularis monasterij sancti Ioannis in Vineis apud Suessionem in Gallia, vir miræ sanctitatis, vt vidimus, 9. & innocentiæ, ante mortem infirmitate grauissima laborabat. Et ecce diabolus, qui nostro semper insidiatur calcaneo, *Gen 3.* immisit menti eius præsumptuosæ exultationis tripudium, ita quòd lingua & facies eius tanto iubilo resultaret, vt omnes circumstantes eum crederent iam cælestem gloriam intueri, * & ideo omnes in magno deuotionis & exultationis spiritu, eius exitum expecta-

2.imp.e. & quòd omnes sãcti in magno, &c. ms.b.a. tert. imp. & quòd sancti in magno.

ſpectabant. Solus autem quidam Walterus, co-
gnomento paruus, magnus tamen merito ſancti-
tatis, de huiuſmodi morientis tripudio tacitùs
triſtabatur. Cumq́ue iam moriens agonizare inci-
peret, per ſpatium temporis ab illa exultatione re-
fractus, flere cœpit vberrimè. Ad eum ergo qui-
dam accedens ex fratribus, quærit cauſam, poſt
tantam exultationem, triſtitiæ. Et ille: Facias mi-
hi, inquit, conuentum fratrum totaliter conueni-
re. Nec mora, factum eſt vt rogauit, & mox omni-
bus dixit: Heu cariſsimi vidiſtis in me, ſuggerente
diabolo, vanę ac præſumptuoſę exultationis au-
daciam, ſed non permiſit me periclitari miſericor-
diæ mater & domina, quę me redarguit ab ince-
ptæ vanitatis lætitia, & admonuit potiùs cum ſpei
moderamine in Dei timore diem vltimum ex-
ſpectare. Vos autē fratres cariſsimi rogate Deum,
vt mihi de iſta noxa & alijs multis ignoſcat, & iu-
dicet me, non ſecundum opera mea, ſed ſecun-
dum ſuam miſericordiam ſaluet me. Mox igitur
vt hæc verba compleuit, & omnes reſpondiſſent
Amen, ſolutis in fletum oculis exſpirauit. Et hîc
Esther 14. quidem illius Heſter digniſsimè recordamur, quæ
ſuper omnem mundi gloriam conſtituta, dixit:
Isa. 64. Quoniam omnes iuſtitiæ noſtrę quaſi pannus
menſtruatæ.

De fratre ordinis Prædicatorum Lectore *Brugenſi, qui in morte ſuauiter cecinit, cui & Chriſtus morienti adfuit.*

10. SEd & hîc notandum eſt, quòd multos in mor-
te legimus exultaſſe, & quaſi iam cęleſtem glo-
riam in iubilo præuenientes, dulciter ceciniſſe. Et
hoc

hoc vt exemplo pateat, audiamus. Quidam frater ordinis Prædicatorum vitæ bonę & sanctę, lector in Brugensi Flandriæ domo fuit: hic grauiter infirmatus, cùm lętissimo vultu appropinquare videretur morti, quidam frater cum lacrymis flagitauit, vt si quid consolationis interiùs accepisset à Domino, sibi dicere dignaretur. Cui ille, silere non valens præ gaudio: Verè, inquit, accepi: quia Dominus ipse Iesus se morti meæ præsentialiter adesse promisit. Cui frater: Et ego, inquit, per eumdem Dominum contestor te, vt mihi digito vel nutibus innuas cùm eum videris esse præsentem. Et ille: Faciam, inquit, libenter, si quidem permiserit Dominus. Die igitur postmodum tertia morbo ingrauescente tabula percussa est, & fratres in infirmariam concurrerunt. Præstolantibus ergo & orantibus fratribus, frater moriens digitum cùm manu ad certum locum extendit, & circumfusis oculis cum cantu lenissimo dicere cœpit: In Galilæa Iesum videbimus sicut dixit nobis, alleluia. Quo finito protinus exspirauit. Qui verò præsentes fuerunt, mihi hæc eadem cum gaudio & lacrymis retulerunt. *Mat. 28.* *Anno 1256. die 9. Augusti.*

De infantulo, qui moriendo risit & exultauit, atque huius rei ratio.

11.


AD idem quoque accidit, vt ego, & mecum quidam presbyter sanctæ vitæ cuiusdam mulierculæ pauperis domicilium intraremus. Erant & ibidem duo fratres ordinis Prædicatorum, qui ea de causa venerant qua & nos. Et ecce casu inuenimus infantem, iacentem in cunis, & agonizantem. Nec mora, videntibus & admitan-

mirantibus nobis, morte puer amarissima torquebatur. Vultu & oculis angebatur, & caput anxium contorquebat. Deinde subitò, paululùm depressis oculis & iterum adapertis, suspicere in cælum cœpit, & adeo vehementissimè vultu, membris. & oculis exultare, vt risus & cachinnus eius, sicut in tali puero audiri extra domũ clariùs potuisset, & nisi membra eius fascia strictiùs cingerentur, extra cunas, quasi tripudians exilisset. Nec dubitauimus, qui hæc vidimus vllo modo, quin ad visionem ineffabilis gloriæ & contuitum angelorum, qui puris & innocentibus oculis apparebant, in tali puero, tam dirè & tam anxiè morienti, contra naturam talis exultatio contingeret.

De gaudio conscientiæ ex Seneca.

12. *Sen. ep. 60.* QVid autem philosophus de gaudio & nitore conscientiæ dicat, audiamus. Gaudium, inquit, verum tantùm sapienti contingit. Est enim animi elatio sincera quædam & mera lætitia suis bonis verisque fidentis: & hoc tantùm ex virtute conscientia propensiùs inspirata.] Nihil enim iucundius conscientia bona. Magna pars beatitudinis est etiam in præsenti nihil sibi in conscientia, nihil sibi in mente resistere. Hanc solam vitam quietam dicimus, quam interiùs mente pacatam inuenimus. Illud ergo eijcias quod remordet, quod angit, quod displicet, quod nullo alio teste arguitur, nisi te. Gaudium quod foris est, leuiùs euanescit, nec stabili pede figitur. Illud autem, quod intus est, permanet inconcussum, etsi mille impulsibus quatiatur.


HIlaritate ergo & nitore conſcientię apes fidelium glorientur, vt in eis ſanitas inuiolabilis & imperturbabilis confirmetur. *Conclusio.*



Quòd multò felicius ſit in præſenti peccata per pœnitentiam abluere, quàm in futuro.

CAPITVLVM LI.

Sunt qui dicunt apes reuiuiſcere mortuas, ſi intra tecta hyeme ſeruentur, & ad ſolem verno tempore reponantur.



HIc poſt perditam gratiam, quæ vita animæ eſt, virtus verę pœnitentiæ denotatur, quam vtique Dominus per Ezechielem prophetam indicat, dicens: Nolo mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur & viuat. Tecta, quæ apes fidelium ſeruare debent, vnitas eccleſiæ eſt, aduerſus quam portæ inferi non præualebunt, dummodo deſperatione non fractæ, ſoli miſericordiæ potiùs quàm iuſtitiæ Chriſti, ſpe veniæ per pœnitentiam ſe exponant, vt ſic cordis duritia, quaſi hyeme fugata peccati, verna virtutis temperie gratiam capiant rediuiuæ. Numquid qni cecidit non reſurget? Iſtis Iſaias clamat: Eleuare, eleuare, conſurge. Et Paulus: Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus: Chriſtus Ieſus venit in mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum *Ezech. 18. & 33. Mat. 16. Ierem. 8. Iſa 51. 1. Tim. 1.*

ſum. Hinc ergo veræ pœnitentiæ ſub meo tempore exempla facta proponam.

De dura pænitentia cuiuſdam Comitis Germania.

2. IN Germaniæ partibus quidam nobilis Comes, ſed ferus pauperum ſpoliator, ex miſericordiſſima pietate diuina graui infirmitate correptus eſt, & amariſſima pœnitentia contritus, omnia ad reſtitutionem poſuit quæ habebat, & irremediabilibus lacrymis quotidie lectum rigans, angelos ac ſanctos Dei ad impetrandam ſibi miſericordiam inuocabat. Decumbens verò corpori ſuo tantum ſupplicium ingerebat, vt talos pedum & crura fricaret ad lignum, & cutem, & carnem, ac neruos violenta aſſiduitate diuelleret. Aquam frigidam in hyeme tanquam ad bibendum acceptam clam pectori ſuperfundebat & membris, vt ex hac glaciali frigore torqueretur. Nec diu poſt hæc in agonia poſitus, tanto ſpiritu repletus eſt, vt ſicut Chriſtus de publicano euangeliſtam: ita & de iſto faceret prophetam. De ſeipſo enim prædixit quòd ſine purgatorio ad requiem euolaret: & eo mortuo, ac Henrico rege defuncto, tota Thuringia maximis calamitatibus ſubiaceret, quod ita factum vidimus.

Mat. 9.

Henric. VII. Imp. electus ex Lantgrauio Thuringia.

De nobili milite, qui poſt malam vitam in eremo ſe durè afflixit, & tandem intrauit ordinem Prædicatorum.

3. FVit & alius nobilis eiuſdem patriæ miles, ſed prædo peſſimus, qui poſt annos plures ad pœ-

ad pœnitentiæ lamenta conuerſus facta, reſtitutione, ad eremum tranſijt: & ibi multa inedia maceratus, ſeipſum vel per ſe, vel per ſocium omni interdum veſpere cum flammea ardentis candelæ cera, inaudito paſsionis genere cruciabat. Hic propter ſecuriorem vitę modum ad Prædicatorum ordinem tranſiens, miris geſtis claruit & exemplis.

Viſio de quodam milite defuncto, duris tormentis puniendo vſque ad diem iudicij, ob dilatam, dum viueret, pœnitentiam.

VEnerabilis & Deo digni magiſtri Bonifacij, quondam Lauſanenſis Epiſcopi, veri- 4.
dica relatione cognoui, quòd quidam nobilis ſuæ diœceſis venatum circa montes Alpium pergens, familiam ſuam, inclinata iam die, cum canibus perdidit, ſoluſque in ſilua eſt relictus. Illo ergo horrente ſolitudinem, & ſi quid audiret diutiùs exſpectante, tandem duos ex canibus latrantes auſcultat. Quos venabulo inſonante confortans, reptando manibus & pedibus, ad locum conatur aſſcendere vbi latrantes caniculos audiebat. At vbi cum difficultate peruenit, inuenit locum planum, pulchrum valde atque gramineum inter montes, in quo quaſi hominem magnum & elegantem forma, facietenus proſtratum videns, duas clauas ferreas ad vtrumque latus iacentis, horrentibus oculis intuetur. Hunc
* miris plagis ac vulneribus cruentatum, dicti *ms.p.tert.*
duo canes venatici latratibus circuibant, ſed mox *imp.multis.*
ad conſpectum domini ſui militis obmuteſcunt. Miles itaque poſt horrorem, aſſumpto ſpiritu,

prostrato dixit: Si ex parte Dei es loquaris mihi,
& quis sis, aut vnde veneris edicito. Cui ille: Ex
parte, inquit, Dei sum, & ordinatione diuina tibi
talis appareo, vt in me misero pœnitentiæ sumas
exemplum. Mortuus sum, licet tibi corporalis ap-
paream. Miles fui viuens, peccator immanissi-
mus ea tempestate, qua Richardus rex Angliæ
contra Philippum regem Franciæ prælia conci-
tauit. In illa ergo expeditione, quæ à Brabantige-
nis in Pictauiam & Gasconiam facta est, ego in-
felicissimus luxurijs, & homicidijs debacchabar:
nec in his alicui conditioni vel sexui, flexus mise-
ratione, peperci. Medio igitur tempore validissi-
mam febrem acutam incurri: & tamen nec tunc
contritus sum, nec confessus: nec Christi corpo-
ris sacramenta suscepi. Instante autem hora mor-
tis obmutui, & ecce † super speratum misericor-
dia diuina præuentus sum, & valida cordis con-
tritione permotus. Qui licet loqui non possem,
excussi tamen lacrymas, & in his propitiante Deo
vitam finiui. Nec mora defunctus duobus dæ-
monibus traditus sum nequissimis, † instar claua-
rum istarum ferrearum, tormentis vsque in diem
iudicij cruciandus. Et hodie quidem per ascen-
sum montium istorum miseram animam meam
impulerunt, & iterum per abrupta eorum eam
cum dictis clauis ferreis præcipitem depulerunt.
Scias tamen tormentum istud tam magnum &
tam diuturnum spe veniæ, quam in fine mundi
habiturus sum, mirabiliter releuari. Nec mora,
vbi spiritus ille verba ista finiuit, corpus, quod vi-
debatur aëreum, cum dictis clauis ferreis quasi
fumus euanuit. Miles autem, qui hæc viderat &
audierat, à rapinis pauperum, & mala vita con-
uersus

.i. supra spē, aut magis quàm sperauerām.

.i. tormentis, quæ similia sunt istis clauis ferreis, vt tormentū capiatur pro instrumento torturæ.

uersus, correctiùs amodo vixit, & multos alios peccatores ad exempla pœnitentiæ sua narratione permouit.

De quodam reo, qui pro expiatione suorum facinorum decollandus, petijt à iudice & carnifice, omnia priùs membra sibi abscindi.

ALius in Theutonia multis rapinis & cædibus 5.
per patriam debacchatus, captus & ad decollandum positus, petiuit à iudice, & obtinuit tempus prolixius pœnitendi. Et mox astanti iuueni consobrino, ait: Si verè amicus es, cooperator esto misero in salutem. Affer obsecro, instrumentum ferreum, quod dentrix dicitur, quo feminæ * subtiliant linum suum. Quod vt factum est, dixit iuueni: Successiuè mihi manus, vlnas, brachia, vsque ad humeros; pedes verò & tibias, & crura, vsque ad nates; postea genitalia, aures, oculos, nasum, labia, caput autem ad vltimum amputabis. Iuuene igitur, etsi cum dolore quod rogatus fuerat exequente, pœnitens ipse vnumquodque membrum antequam truncaretur instrumenti ferrei dentibus per inflexiones multiplices & per ualidas diutiùs affligebat, dicens: Hic pœnam vestram pro parte, vilissima membra percipite, quibus actu nefario scelera perpetraui, & Deum creatorem ac redemptorem meum offendi. Extremo igitur post omnem pœnam, trunco corporis cum capite solo superstite, hilari vultu dixit: O vtinam tormentum istud, quod respectu scelerum meorum paruum sustinui, reiterare semel, iterum, ac tertiò liceret mihi miserrimo, & in eo diutiùs cruciari. Et hæc dicens orat cum lacry-

* ms. p. s. parant.

mis circumstantem se populum, quatenus sibi miscro in eleemosynis pauperum & orationibus subuenirent. His dictis extendit caput, & mox à iuuene decollatur.

Numquam esse seram pœnitentiam, & ad eam adhortatio ex Augustino.

6. SEd hîc fortè dicet quis: Necessariam qui mortem, etsi pœnaliorem acciuit, quid meruit? Quanta etiam erga tales peccatores diuinæ sit misericordiæ magnitudo, gloriosus pater Augustinus in libro collationum contra Nouatum insinuat, dicens: Quæcumque necessitas cogat ad pœnitentiam, nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec vitæ enormitas, nec horæ extremitas, si pura fuerit voluntatis mutatio, excludit à venia, sed in amplissimos sinus suos mater caritas reuertentes suscipit prodigos, & velit nolit Nouatus hæreticus, semper verè pœnitentes suscipit Christus. Et aliàs idem dicit: Post adulterium, proditionem, & homicidium, Dauid dixit, peccaui. Et Nathan à Domino missus subintulit, dicens: Translatum est peccatum tuum. O dulce verbum peccaui! O tres syllabæ, quæ portas aperiunt paradisi: Aude ergo dicere: Peccaui, non te terreat pudor hominis, non timor diaboli, non desperatio pro peccato enormi. Quid pœnitenti non ignoscitur cùm effusus Christi sanguis dignoscitur? Quis homicida desperet, cùm in spem rediturus est à quo Christus occisus est? Bene & optimè dixit: Aliter enim nec Maria Magdalena veniam, nec Petrus fiduciam, nec Paulus gratiam impetrasset.

Nullus iam extat hoc tit. Aug. liber, sed prior locus habetur apud Cyprianum ser. de cena Domini.

2. Reg. 12.

Luc. 7. Mat. 26. Act. 9.

Pi

De quodam, qui vehementiſsimè contritus exſpirauit.

AD hoc, etſi ſuperuacuè, probandum quid- 7.
dam, quod noſtro tempore in Galliæ partibus accidit, fideliſsima relatione traditum, non ſilebo. Ad illum venerabilem virum magiſtrum Petrum de Corboel, Senonenſem Archiepiſcopum, quidam peccator, qui propriam filiam violenter oppreſſerat, confeſsionis gratia venit. Confeſſus igitur in maxima & mirabili contritione & lacrymis: quæſiuit, ſi vmquam poſſet vllo dolore vel pœna à Domino veniam impetrare. Cui præſul: Ita, inquit, indubitanter, ſi tanti mali pœnitentiam ſubire volueris. Et ille vehementer exclamans: Volo, inquit, etiamſi mille mortes me ſuſtinere volueris. Collacrymatus ergo infelici, immo iam feliciſsimo peccatori. Et ego, inquit, ſeptennem tantùm tibi pœnitentiæ pœnam impono. Tunc ille: Quid eſt, ait, quòd pœnitentiam mihi flagitioſiſsimo ſeptennem tantùm iniungis, qui ſi viuerem vſque in finem mundi, tantum facinus pœnis innumerabilibus diluere non valerem? Cui præſul: Vade, inquit, & tres dies tantùm in pane & aqua ieiuna. Tunc amplius ille plorans & contundens ſe, rogabat vt pœnitentiam iniungeret ſalutarem. Supra modum ergo admiratus, & exhilaratus antiſtes, tandem diffinitiuè præcepit homini, vt abiret, & vnum tantùm Pater noſter diceret, ſciretque pro certo peccatum iam ſibi eſſe dimiſſum. Nec mora, dirum ille emittens eiulatum, & in terram procidens exſpirauit. Nec dubia fides eſt, ſicut Deo dignus Epiſcopus poſtea

Eſt 72. in tabulis Democharis, & obijt 1221.

postea prædicauit, quin idem pœnitens sine vlla alia purgatorij pœna, validissima tantùm contritione purgatus, ad gloriam euolauerit.

Nulli denegandus habitus in fine vitæ, & de Præposito nouitio defuncto visio.

AT quoniam multi sunt, qui ad religionem in morte confugiunt, quid eis habitus ordinis valeat in vltima necessitate susceptus, dubitare plurimi voluerunt, exemplum ad hoc indubitabile & congruentissimum enarrabo. Et impiè quidem nonnulli religiosorum in extremo vitæ pœnitentibus habitum negare solent, quasi tunc indigni sint recipi, qui nequaquam validi intrare voluerunt. Christus norma iuris omnimodi serò pœnitentem in cruce latronem paradisi ianuas comitem introduxit. Sicut supradicto Gualtero de Mesenborch, fratre ordinis Prædicatorum, narrante cognoui, contigit vt quidam magnus Præpositus ciuitatem Magdeburgensem vespere quodam, quasi in crastinum recessurus, intraret. Et ecce in primo somno, subita infirmitate compulsus, Priorem fratrum Prædicatorum cum festinatione mandauit. Venientem ergo Priorem rogauit instanter Præpositus cum lacrymis, vt eum ad ordinem reciperet, & mox vestiret. Cui Prior: Cras, inquit, fiet, quia in hoc fratrum consensus est requirendus. Et Præpositus: Scio, inquit, scio quid sentio, crastinum vix habebo. Si diligitis salutem animæ meę festinate pœnitentem recipere, quia certus sum quòd in seculo non saluabor. Vt ergo Prior viri instantiam vidit, perrexit domum, excitauit conuentum, requirit

Luc. 23.

Cap. 19. par. ts 29.

consen-

consensum, allegat sufficientiam viri ad ordinem, etiam si † aduiuat. Annuit mox conuentus, defertur infirmus in domum, receptus induitur, communicatur, inungitur, & ante diem vita defungitur. Nec mora, in monasterio proximo ciuitati monialis quædam vidit in somnis, quemdam patremfamilias in loco commodo residere, ad quem cùm multi fratres ordinis Prædicatorum, quasi post laborem pro denario diurno accerum, quasi post laborem pro denario diurno accedere viderentur, extremo quidam ignotus frater, timidè tamen, protendit manum, vt tamquam frater denarium acciperet. Quem paterfamilias diligenter intuitus, denarium, inquit, sed non modò accipies, multis priùs remedijs expurgandus. Hæc cùm dicta monialis presbytero monasterij recitasset, quęsiuissetque, si quis fratrum Prędicatorum defunctus esset, & presbyter se fuisse de vespere in domo fratrum, infirmumque vel defunctum neminem inuenisse responderet: mane post primam venit Supprior fratrum Prædicatorum, qui promiserat prædicare conuentui, dixitque se prædicare non posse, quia defuncti talis fratris sepulturę interesse deberet, qui in domo sua recenter obierat. Ita ergo verificata est prædicta visio monialis, & manifestè monstratum est, quia multùm prodest collatus habitus pœnitenti, dummodo pura fuerit mutatio voluntatis.

† superuiuat

Apostatæ pœnitentes recipiendi, & visio de apostata Prædicatore damnato.

Est & aliud ingens malum in quibusdam religiosis, qui in recipiendis apostatis pœniten- 9.

tentibus nimis difficiles sunt & immites. Noui quemdam fratrem ordinis Prædicatorum, virum litteratum & magnum, qui cùm apostatasset ab ordine, & grauissima infirmitate correptus, regressum ad ordinem peteret, nec impetraret, impatientissimè desperatus, mortuus est: & apparuit in Aquiria monasterio Brabantiæ sanctissimæ cuidam moniali, perpetuò se condemnatum ostendens, sicut ab ipsa eadem accepimus, quæ hoc vidit. Et ego quidem dico, quòd nollem illi in morte pœnitenti ordinem, vel habitum pro cuncto auro Arabiæ denegasse. Credo enim, & certus sum, quòd occasionem illi mortis perpetuę præbuerunt, qui ei in extremo vitæ periculo misericordiam negauerunt. Rogo ergo & contestor omnes per aspersionem sanguinis Domini nostri Iesu Christi, vt tale quid caueat omnis ordo, ne sicut pro peccato Achor quondam electus Dei populus flagellatus est: ita & nunc pro tali excessu, qui tamen maior in infinitum esse dignoscitur. Quid enim regula aurea vel pallium coccineum, ad animam Christi pretioso sanguine redemptam? Nec tantùm solus delinquens quis: verùm etiam totus ordo, vel consentiens, vel dissimulans, flagelletur.

Iosf.7.

Non desperent peccatores, sed bonis operibus se præparent ad consequendam veniam.

10. DIscant igitur apes fidelium, etsi quando mortuæ per peccatum, intra tecta tamen ecclesiæ per bona interim opera permanere, nec frangi desperatione, vel tædio, si mox plenè ad libitum in viuidum robur gratiæ non resurgāt. A

peccatis

peccatis igitur mortalibus primò cum virtute resiliant, deinde conſcientia ſtimulati, humiliter cõterantur, vt hinc confeſſi ſine fictione cum lacrymis vel dolore, per pœnitentiam reuiuiſcant.

De eo, qui poſt vno die expertas purgatorij pœnas, annum integrum maluit ægrotare, quàm biduo ibidem adhuc detineri.

QVantæ autem prudentiæ ſit, in hac vita pœnitentiam agere, exemplum ſubſequens demonſtrabit. Erat vir fidelis & bonus, ſicut prędictus magiſter Albertus, frater ordinis Prædicatorũ, & poſtea Ratiſponenſis Epiſcopus, ſibi ab his, qui rem familiariter nouerãt, traditum referebat, qui poſt diutinam pœnitentiam, quam ſanus fecerat, in languorem grauiſſimum incidit: quo per annum non modicè tribulatus, cum lacrymis rogauit Dominum, vt tanto languori, conceſſa morte, finem imponeret. Nec mora, miſſus ad eum angelus Domini, dixit ei: Exaudiuit Dominus precem tuam, ſed eligas quod vis: aut tribus diebus purgatorij pœna torqueberis, ſi nunc decedis: aut ſi adhuc per annum in languore manere volueris, ſine vllo purgatorio ad ſuperos euolabis. Tunc ille præſentem pœnam recolens, nec futuram aduertens, reſpondit. Mori potiùs eligo, & non tantùm tribus diebus, ſed quantum Domino placuerit in purgatorio tribulari. Fiat, inquit, angelus, ſecundum verbum tuum. Nec mora languens morte ſolutus eſt, & eius anima in purgatorium deportata. Vno ergo exacto die, venit angelus ad locum purgatorij, vbi anima torquebatur, & dixit ei: Quid nunc agis ô anima, quæ

[Margin notes: 11. | l 1. c. 20. p. 10. l. 2. c. 10. p. 24. & ſeq. c. 29. p. 35. & 49. p. 5.]

ma, quæ pro languore vnius anni tribus diebus elegisti in purgatorio detineri? Cui anima: O seductor, inquit, non angele, qui me in pœnis multis annorum curriculis pro trium dierum spatio fefellisti. Et angelus: Non mora, inquit, sed inæstimabili tortura decepta es: quia non nisi vnum diem de tribus in purgatorio peregisti. Tui tamen adhuc, si retractare volueris quod elegisti, Dominus miseretur, vt ad corpus tuum, quod nondum sepultum est, reporteris, & per vnum annum languorem, quem expertus es, patiaris. Cui anima: Annuo, inquit, vt non per vnum annum tantùm, sed vsque in finem mundi languore etiam detinear acriori. Hoc dicto anima reportatur ad corpus, & per annum in languore detenta, multos, quibus hæc retulit ad pœnitentiam animauit, & post annum vnum, iteratò defuncta, transijt ad superna.

De Beghinis Niuellæ igne sacro accensis, & per beatam Gertrudem sanatis.

12. PRoinde circa annum incarnationis Dominicę M.CC.XXVI. res mirabilis accidit in oppido Niuellensi. In hac vrbe, vt pluribus adhuc viuentibus notum est, mulierum deuotarum, quæ Beghinæ dicuntur, nunc latè diffusa per orbem religiositas inchoauit. Harum perplures, quæ magis spirituales erant igne sacro acriter sunt accensæ, & hoc in membris tantùm in quibus magis peccauerant postquam ad agnitionem venerant veritatis. Aliæ in lingua, contra ingluuiem vel loquacitatem: aliæ in auribus, contra susurrium:

Beghinarum initium vbi?

aliæ

aliæ in manu, contra opus illicitum vel contactum: aliæ in pede vel tibia, contra immoderatum discursum: aliæ in pectoris medio, contra cogitationes turpes, vel tentationum consensum mirabiliter torquebantur: & hoc per tempus, secundum magis aut minus quò peccatis & negligentijs fuerant irretitæ. In ecclesiam ergo sanctæ Gertrudis virginis deportatæ, * curatæ sunt, & membra, quæ ignis exusserat, vt in alijs consuetum est, denigrata, speciali miraculo contra naturam ad colorem & formam & vigorem pristinum redierunt. Et ne hoc casu, & non miraculo, fieri probaretur, quędam puella vitæ secularis, de suburbio Niuellensi, allata est igne sacro succensa, clamans & dicens: O sancta Gertrudis virgo, Beghina non sum; vt quid ergo succendor? Nec mora, manus illius adusta cum parte brachij à parte residua quasi carbo cecidit: & hoc velut beata Gertrudis puellæ manifesto miraculo responderet: Beghina non es, & ideo tibi sicut Beghinæ non fiet. Plures ex his, quæ dicto modo curatę sunt, pòst & antè vidimus.

ms. b. c. 2. 3. imp. extincta. [illegible] omnia exc[illegible] [illegible] curata.

BEati ergo & felices illi sunt, qui hîc, & non in futuro peccata luere meruerunt. *Conclusio.*


Totam



Totam vitam suam Christianus exerceat in gratia septiformis Spiritus, & decalogo legis.

CAPITVLVM LII.

Vita apum longissima septennis: numquam autem vltra decem annos durare possunt.



1. Isa. 11. Exod. 20. QVID autem in septenario numero, nisi septiformis gratia Spiritus sancti: & quid in denario, nisi legis decalogus figuratur? Ex his duobus tota vita pēdeat Christianum: in his versentur apes fideliū: præter hęc nihil libeat, nihil liceat in hac vita. Mādata tibi sint quasi forma vitæ mortalis & modus, & ex his resultet gratia septiformis. Et vide qualiter: vt scilicet spiritu sapientiæ quò ad Deum homo regatur interior, & ad contemplationem diuini cultus validiùs accendatur. *Septem dona Spiritus sancti.* Spiritu verò intelligentiæ in necessarijs vitæ, quò ad proximum pars mentis interior ordinetur, & ad sui regimen homo exterior gubernetur. Spiritu autem consilij super præcepta: vt vendat omnia, & det pauperibus, *Mat. 19.* nudum Christum sequatur nudus, & terrenis altior attollatur. Spiritu verò fortitudinis contemptis prosperis, contra aduersa & aspera solidetur. Spiritu autem scientiæ, legem implere festinet, vt in

compage

compage charitatis, per vnitatem pacis & fidei, coniungatur. Spiritu verò pietatis, per compassionem liquefiat & mollescat, vt in omnibus & per omnia pietate ordinetur. Postremò spiritu timoris pondus anima capiat in proprium moderamen, & per hoc in ea omnis rubigo peccati & macula destruatur.

Septem proprietates ignis, respondentes septem donis Spiritussancti.

ET hæc septiformis gratia secundum septem proprietates vel effectus ignis, qui spiritum sanctum significat, diuersitatem donorum in eodem spiritu pleniùs operatur. Et hi septem effectus vel proprietates ignis sunt, quibus signantur actus spiritus sancti in septem donis. Retrogradè tamen ponuntur, vt primus vltimò, & vltimus primò, velut ordo præposterus, attendatur. Vnde versus: 2. Act. 2. 1. Cor. 12.

Destruit, emollit, coniungit, consolidatq;,
Altiùs attollit, illuminat, ignificatq;.

Ignis enim destruit rubiginem: & spiritus timoris expellit peccatum. Ignis secundò emollit, id est, liquefacit: & mentem spiritus pietatis per compassionem. Ignis tertiò coniungit multa, scilicet ligna, in vnum cinerem: & spiritus scientiæ, quæ est charitas, multorum mentes in vnam pacem & fidem. Ignis quartò consolidat, quia vasa figuli probat fornax: & spiritus fortitudinis mentes fidelium contra aduersa roborat. Ignis quintò altiùs attollit: & spiritus consilij non solùm in præceptis, sed etiam super præcepta mentes erigit. Ignis sextò illuminat: & *Eccli. 1.* *Ibid. 27.*

Ioan. 16. spiritus intellectus docet nos omnem veritatem oris, cordis, & operis. Ignis septimò significat, id est, feruentem efficit: & spiritus sapientię, id est, sapidæ scientiæ, mentem ad contemplationem accendit.

Beatus, qui his donis illustratur.

3. Apoc. 21. Exod. 25. BEatum ergo tabernaculum Dei in hominibus, quod in vicissitudine temporum septiformi, talibus septem lucernis in omnem decorem & gloriam illustratur: vt ex his in decalogo legis præcepta Domini lucidissima resplendeant. * Hîc igitur, etsi columna lucis in nocte à tenebris reueletur, in die tamen præsentis vitæ ignorantia status sui, quasi nubis caligine, ne euanescat, interiùs adumbratur. Nescit enim homo an amore, vel odio dignus sit.

[* 4. ms. tert. imp. hac.] [Eccle. 9.]

De sancta Lutgarde à Deo de sua salute in hac vita certificata.

4. SVb hoc dubio, cùm illa pia & beata Luthgardis in Aquiria monialis, vt in vita eius descriptum est, langueret diutiùs, & quotidianis lacrymis se certificari posceret etiam in præsenti, vocem ad se manifestissimè factam audiuit: Secura esto charissima, quia placet Domino vita tua. Ad horam ergo pia Luthgardis exultans, cœpit iterum, vt priùs, nihilominus formidare: secundò autem visitata, sed vel sic renuens consolari, tertiò non est passus eam misericors Dominus diutiùs tribulari: cùm ecce vir spectabilis & omnibus ignotus, die quadam locutorium, vbi moniales

[l. 2. c. 5. Vitam eius tribus libris scripsit auctor, extant to. 3. Surij 16. Iunii.]

hiales sederant, introiuit, cunctisque breuiter salutatis, piam Luthgardem ociùs accersiri postulat. Quæ vt venit, salutauit eam, omnibusque audientibus eidem dixit: Hæc tibi mandat omnipotens: Iam de cetero secura viuas, quia in tè Domino bene complacuit. Hæc dicens iuuenis, sine mora disparuit, nec vltra restabat quęrere, vnde venerat, aut quis fuerit.

De Iuliano canonico regulari Cantipratensi similem gratiam adepto.

VIdimus & Iulianum quemdam Cantipratensis cœnobij canonicum, qui cùm diu vitam innocentissimam tenuisset, à dæmone nocte quadam, quasi suus esset, territus, plena voce clamans & eiulans, rogauit Dominum, vt si saluandus esset, ei signum aliquod demonstraret. Nec mora, patente cælo & lumine circumfusus ad spem viuam * confestim solidatur. Nec hoc mirum erat, quia beatus homo, cui cælum patebat. 5.

ms. p. 2. impi constantissi-mè solabatur. ms. s. perfectissimè solabatur.

De bono mortis, & vitæ huius contemptu ex Seneca præclarißimè dicta.

QVid autem de bono mortis & beata morte philosophi sentiant audiamus. Dum est vita grata, mortis est conditio oportuna.] Gratam autem vitam intelligas, quando nihil in conscientia reprehensibile sentiens, mortem gratanter exspectas. Mori felicis est dum in pace versatur. Tolerabilior est, qui mori iubet, quàm qui malè viuere. Non enim viuere bonum est, sed 6.

Apud Sen. in pro.

In pro.

Sen. ep. 71.

bene viuere. Vnde ſapiens ſemper cogitat qualis vita, non quanta ſit. Citiùs autem mori, aut tardiùs ad rem non pertinet: bene autem mori, eſt effugere malè viuendi periculum. Nihil melius æterna lex fecit, quàm quòd nobis vnum introitum ad vitam dedit, exitus multos. Bono loco res humanæ ſunt, quòd nemo niſi vitio ſuo miſer eſt. Vis aduerſus hoc corpus liber eſſe? Tamquam migraturus ſemper habita. Cùm venerit dies ille,

epiſt. 103.

qui mixtum hoc diuini humaniq́ue ſecernat, corpus hoc, vbi inueni, relinquam: ipſe me Deo reddam, nec nunc ſine illo ſum, ſed graui terræ mole detineor per has mortales moras, quibus illi meliori vitæ præluditur. Quidquid circa te iacet *rerum tamquam * hoſpitalis loci ſarcinam ſpecta. Tranſeundum eſt, excutit natura redeuntem ſicut intrantem. Non licet plus efferre quàm intuleris. Immo ex eo etiam, quod ad vitam intuliſti, pars magna ponenda eſt. Æquo igitur animo membra * iam ſuperuacua dimitte, & corpus inhabitatum diu, pone. Scindetur, obruetur, abolebitur, veniet qui te reuelet, dies. Tunc naturæ tibi arcana retegentur, diſcutietur iſta caligo, & lux vndique clara circumdabit. Imaginare tecum quantus ille ſit fulgor* tot ſideribus inter ſe lumen miſcentibus. Nulla ſerenum vmbra turbabit, æqualiter ſplẽdebit omne cæli latus, dies & nox aëris*infimi ceſſabunt. Tunc in tenebris vixiſſe dices, cùm totam lucem * & totus aſpexeris, quam nunc per anguſtiſſimas vias oculorũ obſcuriſsimè intueris, & tamen illã iam procul admiraris. Quid tibi videbitur diuina lux, cùm illam ſuo loco videris?] O quàm ſtolidum illi ſpei, illi beatitudini non inniti, vt hinc lætus excas in id, quod ſem-

Reſt. ex or. pro tecum, & hoſpitantis.

Reſt. pro tam

Reſt. pro vt. ms. s. vbi.

Reſt. pro infima.

or. omittit (&)

per

per & mortis compendio * mutes, quod in perpe- *ms.p. mete*
tuum non tollatur. Hoc igitur vnum diſcas, vitam
contēnere. Nemo enim illam bene rexit, niſi qui *epist. 112.*
contempſit. Vita non imperfecta eſt, ſi eſt hone-
ſta: vbicumque deſines, tota eſt. Nō eſt magna res *epist. 78.*
viuere, magnum eſt honeſtè mori, prudenter, for-
titer. Nam vita, ſi moriēdi virtus abeſt, ſeruitus eſt.
Quomodo fabula, ſic vita: non quādiu, ſed quàm
bene acta ſit, refert.] Mirū cernes, ſi prudens ad-
uerteris: Vitam ſequeris, fugit illa: mortem fugis,
& illa proſequitur, nec eſt vnus omnium, qui eua-
dat. Vide ergo: mors me ſequitur, fugit vita, aduer- *epist. 50.*
ſus hoc doce me aliquid efficere, vt ego mortem
non fugiam, nec vitā ſequar. Eò maiori animo ad *Ep. 51.*
emendationē noſtri debemus accedere, quò ſemel
nobis tradita eſt perpetua boni poſſeſsio. Mors *Ep. 36.*
quam pertimeſcimus & recuſamus, intermittit
vitam, non eripit. Veniet iterum, qui nos in lucem
reponat dies, & ideo æquo animo debet reditu-
rus exire. Sic nos gerere debemus, non tamquam *Ep. 14.*
propter corpus viuere debeamus, ſed tāquam non
poſſimus ſine corpore. Ante ſenectutem curaui *Ep. 62.*
vt bene viuerem: in ſenectute, vt bene moriar. Be-
ne autem mori eſt libenter mori. Vt ſatis vixeri-
mus, nec anni, nec dies facient: ſed animus. Mors
autem finis eſt, aut tranſitus. Nec ergo deſinere *Ep. 66.*
timeo: idem eſt enim, quod nō cœpiſſe: nec tranſ-
ire, quia nuſquam tam anguſtè ero. Noli huic *Ep. 4.*
tranquillitati confidere: in momento mare euer-
titur. Eodem die vbi luſerant nauigia, ſorbentur.
Nullius rei * felicior amiſsio eſt, quàm quæ de- *or. facilior.*
ſiderari amiſſa non poteſt. Liquet tantam ho- *Ep. 24.*
minum imprudentiam * eſſe, vt timore mortis *esse ex or. Addidi.*
cogantur ad mortem.] Verè beata mors, quæ


 melio-

melioris conſcia conditionis læta ſuſcipitur, nec vitam deſerere querulatur, quæ potiùs ingerit tædium quàm ſoletur. * Propera inuenire quod fixum eſt, & perpeti ſorte manſurum vbi eſt. Niſi enim properemus, relinquimur. Agit nos, agiturque velox dies. Inſcij rapimur, omnia in futurum diſponimus, & inter præcipitia lenti ſumus.

mſ. p. ſ. 2. imp. properat
Ep. 199.

Concluſio.

TV ergo fidelis apis anima vitam tuam continues, & ſemper exerceas in gratia ſeptiformi: vt eam decalogo legis perfectè conſummes.



De veneratione corporum ſanctorum, & ſuffragijs defunctorum exempla plura.

CAPITVLVM LIII.

Hyeme latent, & tunc veſcuntur melle, quod æſtiuo tempore congregauerunt.



I. *Latent corpora vſque ad diem iudicij, quibuſdam exceptis.*

HYEMEM dicimus medium tempus inter id quo anima exuta corpore tranſit ad requiem, vel ad pœnam, & diem reſurrectionis vltimam, qua anima ſociabitur corpori, & immortalitate perpetua veſtietur. Et bene dicitur latent, & hoc corpore in ſepulchris: quod Daniel propheta in puluere dormire dicit. Et bene dixit in puluere: quia ſecundum quod primo homini

Dan. 12.

mini dictum est: Puluis es & in puluerem reuer- *Gen. 3.*
teris, corpora generaliter in puluerem resoluun-
tur. Ab hac conditione excipitur corpus Christi, *Psal. 15.*
quod non vidit corruptionem, quia die tertia *Act. 2.*
resurrexit. Inde etiam secundum veridicum Au-
gustinum, corpus excipitur matris Christi, & vt *Apud Au-*
verè credimus euangelistę Ioannis: qui sicut fue- *gust. l. de*
runt socij passionis, ita iustè sunt & consolationis, *Assump. to. 9*
cum Christo iam immortalitate vestiti.

2. Cor. 1.

De inuentione & translatione corporis sancti Theodulphi, eiusq; vita: deq; fratre eius Theodorico.

VIdimus & corpus cuiusdam sancti, quod an- 2.
nis ferme sexcentis integraliter manserat in-
corruptum. Qua autem occasione hoc viderim breuiter enarrabo. In vrbe Germaniæ Treuerensi, totius Europæ antiquissima ciuitate, structura quędam mirabilis erat, quæ Helenæ Constantini matris palatium dicebatur. Hoc ne ab inimicis præoccuparetur in periculum ciuitatis, à ciuibus est destructum: in cuius latere à parte Aquilonari oratorium paruum inuentum est, in quo altare ex alabastro candidissimum erat, & in latere dextero sepulchrum. Hæc verò scriptura super sepulchrum in pariete legebatur.

Sancte Theodolphe nostri petimus miserere.

Ad sepulchrum ergo ciuibus pariter adunatis, vocati sunt fratres Prædicatores, & ego casualiter superueni. Deposito autem lapide, corpus inuenimus incorruptum, & apto schemate ad cooperiendum naturæ secreta, manus super verenda demissas. De permissione verò ciuium manum eius dexteram, quam in sacrificio corporis

Christi viuens extenderat, mox abscidi, & in Louanium fratribus Prædicatoribus dedi. Huius reliquias capillorum & vnguium in antiquissimo monasterio iam dictæ ciuitatis, quod Horreum dicitur, cum superscriptione veteri, & alijs reliquijs sanctorum inueni. De hoc beatissimo viro, & fratre eius beato Theodorico, qui in alia parte structurę supradictę incineratus inuentus est, fama antiquissima ferebatur, fuisse ambos filios sororis cuiusdã Imperatoris Romanorum, quorum beatus Theodolphus adhuc puer, iussu auunculi filiam regis Britanniæ desponsauerat. Cumque adolescens factus, spe gratioris vitæ, sponsam nollet accipere in vxorem, sed virgo in perpetuum remanere. Cæsar, indignatione permotus, illum de patria expulit. Qui Treuerim veniens, & habitum monachalem suscipiens, quasi in arctissimo specu, in loco, quem diximus, se reclusit. Erat autem & lectus eius lapideus cum ceruicali lapideo, iuxta oratorium, quod prædixi. Hunc verò secutus creditur frater eius, vitamque beatam in eodem loco duxisse. Decreto autẽ & consilio populi ciuitatis, sacrum corpus in ecclesiam fratrum Prædicatorum translatum est, & retro altare digna veneratione locatum. Reuolui autem postea chronicam temporum, & de his duobus fratribus scriptum reperi: quòd sub Clodoueo rege Francorum, hi viri beatissimi floruerunt. Credo autem, saluo meliori iudicio, dignè quidem beatum Theodolphum pro signo incorruptæ virginitatis in carne, incorruptionis gloriam etiam in corpore suscepisse. Vnde in libro Sapientiæ dicitur. Incorruptio facit proximum esse Deo. Iustitia enim perpetua est, & immortalis: iniustitia autem

Sap. 6.
Ibid. 1.

autem mortis est acquisitio. Mirabilis Deus in sanctis suis, mirabilis & in maiestate sua, qui etiam puluerem nostrum ita glorificat in præsenti, vt dignè in eo futuræ resurrectionis gloriam pleno pectore & fiducia sperare posſimus. Similiter plurima sanctorum Innocentium corpora sub Herode passorum, vidimus incorrupta. *Psal. 67.* *Mat. 2.*

Quòd honorandi sint sancti ex Augustino.

QVantùm autem, & quare sanctorum corpora veneramur, beatus Augustinus in libro de ciuitate Dei declarat, dicens: O quàm veneranda sunt sanctorum corpora defunctorum! Si enim paterna vestis & annulus tantò cariora sunt filijs, quantò erga parentes maior affectus: multò magis corpora beatorum, quibus digniùs, coniunctiùs, atque perfectiùs in omne opus bonum vsus est Spiritus sanctus? Certum est quod qui honorauerunt sanctos & dilexerunt, multa per eos beneficia sunt experti, & de hoc quidem plurima patent exempla. 3. *Aug. l. 1. de ciuit. c. 13.*

De Fratre Prædicatore à beata Virgine præmunito contra diabolum, & remedio sanitatis ipsi inspirato.

FRater ordinis Prædicatorum, cui hoc accidit quod subiungo, narrauit mihi numquam se per annos plures aliquid dormiuisse. Iacebat autem in infirmaria spiritu vix hærente: mirè tamen erat deditus seruitio matris Dei. Dictis autem à fratribus matutinis nocte quadam vsque 4.

que ad Laudes, Domina nostra cum ingenti lumine fratri infirmo apparuit, dicens: Ego mater Christi patrona ordinis tui præmunire te veni, quia in similitudinem habitus tui diabolus, vt malus frater, adueniet, sed contra illum verbis huiusmodi te signabis: Benedicat me Deus pater, qui cuncta creauit ex nihilo. Benedicat me Deus filius, qui hominem perditum ex sanguine proprio reparauit. Benedicat me Deus spiritus sanctus, cuius me saluet piæ consolationis infusio. Nec diu senties protractæ debilitatis incommodum, sed conuenientibus fratribus in vnum, facies quod inspirabitur tibi, & integram recipies sanitatem. His dictis pietatis mater repentè disparuit. Frater autem qui per plures annos vix ad dormiendum oculos clauserat, spatio psalmorum, qui in matutinarum laudibus dicebantur, protinus obdormiuit. Excitatus autem in cantico Benedictus, vidit diabolum in specie fratris, in habitu venientem, qui paulatim crescens, domus fastigium attingebat. Nec mora, verborum memor, quæ à pietatis matre didicerat, consignauit se, & mox, dehiscente terra, hosti antiquo patuit ruina magna. Paucis pòst diebus quo hæc gesta sunt euolutis, de prædicatione fratres vndique conuenerunt. Quibus lotis & rasis, dictus frater debilis secundum verba patronæ ordinis inspiratus, dixit: O Deus omnipotens, piorũ laborum misericors retributor, seruorũ tuorũ sudores quàm gratis oculis intueris. Respice nunc ad me indignum famulum tuum, & me participem digneris efficere eorum, quæ in istis sudoribus & laboribus famuli tui meruerunt. Hæc dicens, sordes loturæ fratrum in vno alueolo congerens, suo

capiti

capiti superfudit, & sanitatem non solùm capitis, verùm etiam totius corporis, cum omni integritate recepit. Hunc postea & laborum multorum patientissimum vidimus, & in prædicationibus continuis expeditum.

De presbytero, qui singulariter colebat beatum Bartholomæum, ab eodem à peccato præseruato, & tribus quæstionibus ei propositis.

FVit sacerdos quidam vita & officio dignus, qui beatum Bartholomæum Apostolum specialiter diligebat, & in eius solemnitate plures, quàm alio tempore, pauperes recreabat. Accidit autem in quodam huius Apostoli festo, vt celebrata missa dæmonem in specie pulcherrimæ mulieris honesti habitus & decentis, extra ecclesiam stantem inueniret. Quam salutatam rogat vt secum ad prandium declinaret. Qua annuente introducta est, & ad mensam cum sacerdote resedit. Iuxta solitum autem nullus tunc pauper fuit inuitatus. Non immemor ergo beatus Bartholomæus deuoti erga se presbyteri & frequentissimę seruitutis, venit ad portam illius in specie pauperis & mendici. Quo clamante, occurrit famulus domus, ingressum negat, præcipit post prandium eleëmosynam exspectare. Cui Apostolus benigno vultu: Bene, inquit, exspecto: sed interim dicas domino tuo, vt respondeat & renunciet mihi, quid illud sit, quod in rebus mundi mirabilius est, & tamen vnius pedis spatio terminatur. Subridens ergo seruus, venit ad dominum, exponit illi mendici hominis quæstionem. Cui cùm sacerdos respondere non posset, susurrauit ei mulier 5.

mulier inuitata in aure: facies hominis est, quæ in tot hominibus diuersificata consistit, vt nulla sit similis alteri * forma, cùm in omnibus sit eadem natura. Quæstionem ergo solutam remittit presbyter. Et cùm solutionem laudasset Apostolus: Vade, inquit. adhuc, & quęras ex parte mea: Quid sit magis proprium hominibus in rebus habitis. Regressus igitur seruus, quærentis verba proponit. Super hoc etiam nescio sacerdoti mulier in aure respondet: Proprijssimum, inquit, hominis in rebus habitis est peccatum. Susceptam itaque solutionem à domino refert seruus ad portam. Quam cùm iterum laudasset Apostolus: Sapienter, inquit, quæstiones duæ solutæ sunt, adhuc addam & tertiam, & tunc quiescam. Vade igitur, & quæras à domino tuo, ex parte mea: Quot miliaribus via à cælis ad infernum extendatur. Rediens famulus tertiò iam verba proponit: & hoc quoque presbytero ignoranti mulier in aure susurrat, dicens: Hoc nemo meliùs nouit, quàm qui viam illam sæpius eundo ad inferos mensurauit. Hanc cùm seruus susceptam à domino suo responsionem retulisset ad portam. Bene, inquit Apostolus, respondit dominus tuus. Vade ergo, & dic illi: Et quis est ille, qui viam illam sæpius mensurauit, nisi dæmon nequissimus, qui in specie mulieris prandentis, tecum leniter in aure susurrat, & te ad concubitum illecturus erat, nisi ego Bartholomæus Apostolus, cui deuotè seruiuisti, te misericorditer præuenissem. Nec mora, vbi hęc seruus domino suo nunciauit, statim ab oculis eius dæmon euanuit. Qui mirè stupens à mensa surrexit, & currens ad portam, vt suum liberatorem cerneret, non inuenit.

* ms. p. s. 2. imp. specie, vel natura. Quæstionem &c.

De

De quatuor ecclesijs Cathedralibus, quæ peculiari titulo sancta nominantur.

QVatuor ecclesiæ inter Cathedrales ecclesias sanctæ, speciali vsu dignitatis, & scribi solent, & dici: vt sancta Romana ecclesia, sancta Hierosolymitana, sancta Treuerensis, & sancta Coloniensis non ab re venerabiliter nuncupantur. Sanctum enim dicitur, quasi sanguine tinctum. Fuit enim sancta Romana ecclesia sanguine tincta, præcipuè Apostolorum Petri & Pauli, & innumerabilium aliorum martyrum. Sancta verò Hierosolymitana ecclesia ipsius Christi pretiosissimo sanguine dedicata fuit. Sancta quoque Treuerensis ecclesia, exceptis particularibus martyrijs, quibus à principio fidei frequenter extitit coronata, tribus vicibus tamen tota illa ciuitas pro Christo legitur martyrizata & occisa. Sancta etiam Coloniensis ecclesia ab illo glorioso virginali collegio, cuius numerum solius Dei scientia comprehendit, *sanctificata noscitur. Licet enim vndecim milia virginum in principio collecta dicantur, tamen tot millia virorum, mulierum, virginum nobilium & ignobilium, cum illis incuntium ac redeuntium à Roma coniuncta, & cum eis martyrizata sunt, vt meritò ex profluuio sanguinis, sancta, id est, sanguine tincta, dicatur. Vnde quidam Cyriacus Papa, & multi Episcopi, reges, & reginæ, quorum nomina cum corporibus lapidibus inscripta, inter tumulos sacrarum virginum reperta sunt & leuata. Hæc idcirco meminerim, vt miraculum, quod dicturus sum, gratiùs audiatur. 6.

Semel sub Diocl. Rom. Martyrol. & Molan. 6. Octob.

ms. p. s. 2. imp triumphata.

De

De muliere, quæ à purgatorio liberata est, & reuixit per intercesionem 11000. Virginum; & de earum patrocinio.

7. *Leguntur eadem (teste Til. Bred. l. 4 collat. sacr. c. 37.) in lib. peruetusto ms. quem sibi dicit communicatũ à Priore Carthusiæ Coloniensis.*

BRuxella vrbs nobilis est & magna Brabantiæ. In hac hospitale pauperum est, præcipuæ caritatis, ac religione præclarum. In isto sororem quamdam multo labore satagentem vidimus, quæ graui infirmitate detenta, rebus humanis exempta est. Cumque ab hora diei tertia vsque post vesperas mortua iacuisset, reuixit subitò, & erexit se: conuocatisque sororibus, & omnibus, qui præsentes erant, dixit: Virginalem illum exercitum Coloniensem viuens quotidie venerata sum, & earum precibus nunc à purgatorio liberata, & ob hoc ad vitam redire compulsa sum, vt omnibus earum dignè memoriam habentibus, affutura in morte harum suffragia nunciarem, dummodo de vita tales exeant, quibus oratio valere possit. In hoc testimonio nunc iterum spiritum reddo. Nec mora, sicut dixit, & fecit.

De nobili viro Guillelmo de Ascha, qui à B. Virgine à morbo curatus est.

8 *2. imp add. prope Bruxellam ad duo milliaria) Est in medio itinere inter Alostũ & Bruxellam.*

NArrauit mihi dominus Guillelmus de Asca villa Brabantiæ * vir nobilis & deuotus, quòd cùm extra terram positus, in expeditione fuisset, infirmatus est vsque ad mortem, & penitus à medicis desperatus. Febre autem acutissima laborabat. Fuerat autem semper deuotus & supplex erga gloriosam virginem matrem Christi. Vbi ergo vidit nullum se habere vel sperare remedium

medium medicorum, ad patronam suam, tamquam ad propitiatorium diuinæ maiestatis, fida mente conuersus est. Et facta media nocte apparuit ei gloriosa mater & domina cum pixide salutaris medicaminis, quo perunctum sub momento sanauit, & dixit ei: Ecce sanus factus es, vitam tuam cùm oportunè poteris commutabis, & vt desiderasti meæ postmodum mancipaberis seruituti. Mane igitur post hoc facto intrauit physicus, & contra naturam sine vlla crisi inuenit hominem integraliter sospitatum. Hic postmodum vxoris vinculo diu violenter detentus est, sed postea licentiatus ab illa, de consilio nostro ad domum militię Theutonicorum hospitalis B. Mariæ cum magna deuotione transiuit. Post quem & alium quemdam, & filium eius milites intrasse cognoui. Quorum primus quarto mense ingressus sui, iuxta Toletum obijt, & eadem nocte in Brabantia amico defunctus apparuit, secundoque apparens genus pœnę, tertiò & peccati speciem, pro quo in purgatorio puniretur ostendit. Huius ordinis fratres commendabiles valde referunt, & fidelissimos terræ sanctę, & in ipsis milites strenuissimos præeminere. *De his Vitr. hist. or. c. 66*

De messore, qui in vigilia cuiusdam sancti, opere derelicto, ad vesperas se contulit, & in prato magnum nummum aureum postea inuenit.

SEd & aliud de veneratione Sanctorum, deuotum valde & stupendum audiui miraculum ab ijs fratribus ordinis Prędicatorum, qui personas, per quas gestum est, cognouerunt. In Theutoniæ partibus miles quidam ad deponendam 9.

dam herbam de prato conduxerat falcatores. Illis igitur falcantibus in vigilia cuiusdam sancti, vbi tempus vespertinum aduenit, per villas in circuitu compulsabatur. Et mox vnus ad socios falcatores: Desistamus, inquit, ab opere, quia iam vesperæ compulsantur. Sed cùm illi nollent, imo magis verbis censunderent admonentem, ipse mox, opere derelicto, ad vesperas iuit. Tertio autem die, ad opus imperfectum cum cæteris rediens, vidit quod antecedentibus alijs se solum falcare posteriùs oporteret, & propter hoc ab omnibus est derisus. Patienter tamen ferens risus omnium & cachinnos, vbi manum ad falcem posuit, ante se pendentem in surculo graminis drachmam miræ & inuisæ latitudinis auream mox inuenit. Curuatus ergo in genibus, cum lacrymis Dominum benedixit. Quó clamante, concurrunt socij, concurrit & miles prati dominus, vident diuinum miraculum, scripturamque miles litteratus in nummo voce patria legens, hæc, vt interpretari potuimus, continebat: Manus Dei me compegit, & in donum me redegit pauperi, qui non infregit diem sancto celebrem. Hanc drachmam vxor militis ferè * marcha erga pauperem emit, & multis postea, in rei gestæ probationem, ostendit.

3. imp centū marchas o.

Insigne miraculum de viris nouem, qui per reliquias B. Catherinæ in mari saluati sunt.

10\. IN Hollandiæ partibus reliquiæ beatæ Katherinę virginis in hospitali quodam celebres continentur. Has nuncij hospitalis ad diuersas ecclesias conferebant. Et accidit vna dierum, vt in via positi,

positi, fluxum maris secundum solitum obuium sibi venire viderent. At quoniam diuertere non erat à fluxu, turbati sunt vsque ad mortem. Tunc vnus confidentia plenus, cum capsa vbi erant reliquiæ fecit circulum in arena, & flexis genibus in oratione & lacrymis intra circulum, adiutorium sanctæ Katherinæ inuocabant. Mira res. Veniens fluxus circulum circuiuit, eleuauit se mare, & spumans intumuit, ita vt patulo desuper cęlo asscenderet ad cubitos quadraginta. In circulo autem facto nec sola aquæ gutta defluxit: viri autem, qui intra erant, nouem numero, quorum vnum vidimus, exspectauerunt quovsque mare recurreret ad sinum suum. Nam secundum Poëtam moderni temporis:

Et vomit, & potat, dira Charybdis aquas.

Et tunc exeuntes, per totam terram, inauditum miraculum, post transitum Iordanis, consonis *Iosu.* 3. laudibus vulgauerunt. Facta autem sunt hæc anno circiter ab incarnatione Domini M. CC. V. Testes verò gestæ rei fuerunt & nautæ quidam, qui nauigio, positis in circulo succurrere voluerunt.

Conclusio prædictorum cum continuatione sequentium.

HÆc de suffragijs Sanctorum quantum ad viuos. Ad mortuos verò sanctorum suffragia plurima referuntur, de quibus nonnulla, quæ sine vlla hæsitatione cognouimus, referemus. 11.

De anima cuiusdam canonici Cameracensis, & postea religiosi Cantipratensis, per B. Virginem & Ioannem Euangelistam à pœnis purgatorij liberata.

12. VIdi quemdam canonicum Cameracensis ecclesiæ, qui se in religioso Cantipratensi cœnobio ad ordinem transtulit regularem: Hic cùm beatissimum Apostolum & Euangelistam Ioannem in vita feruentissimè dilexisset, post mortem illius cuidam concanonico eius in visione visum est, apparitionem huiusmodi se videre. Accessit idem Apostolus ad gloriosam Virginem matrem Christi, rogans eam suppliciter, & sic dicens: Ecce anima amici nostri torquetur in pœnis. Venias obsecro & liberes eam, quia etsi in vita perfectè non vixit, tamen vitam suam pro magna parte correxit. Nec mora, annuit Virgo virgini. & ad purgatorium descendentes, animam liberatam adducunt, & secum transferunt ad superna. Cognouimus hæc per illum, qui hoc vidit,
Ioan. 21. & testimonium perhibuit, & scimus, quia verum est testimonium eius.

Hic promerendum & serendum quod in futuro metatur.

13. HYeme ergo præsentis temporis, quod sub multis tribulationibus ducitur, Sancti in corpore, quasi in puluere latent & dormiunt, & melle pro cibo vtuntur, quod æstatis tempore congregarunt. Tempus æstatis, est vita gratiæ in præsenti; in qua fideles quique sanctis actibus meruerunt, vt, secundum Apocalypsin, opera

eorum sequantur eos: & medio tempore inter *Apoc.14.*
diem futurę resurrectionis & mortem, animæ
eorum æternis epulis perfruantur. Si verò nequaquam in præsenti perfectè purgatæ, sed purgandæ post vitam, ab hoc seculo decesserunt, tunc viuorum possunt suffragijs adiuuari. Et * hæc dicere possumus cibos, quibus animæ fidelium exutæ de corpore auidissimè recreantur, si tamen hoc in vita bonis operibus meruerunt. Frustra enim cum diuite epulone guttam, & cum virginibus fatuis oleum flagitant alienum, qui non hîc proprium, etsi non ad totalem liberationem sufficiens, habuerunt.

ms. p. hoc. ms. s. 2. imp. hos.

Luc. 16. *Mat. 25.*

De presbytero, qui semper pro defunctis celebrabat.

QVanto autem desiderio anhelant animę in purgatorio, vt amicorum suffragijs adiuuentur, manifesto miraculo, quod in Gallijs accidit, demonstrabo. Erat presbyter quidam admodum pauper & tenuis, sed deuotus valde erga animas, quæ in purgatorio torquebantur, adeo vt omnibus diebus, nullo excepto, missam pro fidelibus defunctis celebraret. Accusatus ergo apud Episcopum, citatus est: & confessus veritatem simpliciter, compellebatur, vt mandato staret Episcopi, iuraretque, & fideiussores poneret pro emenda. Iurauit ergo presbyter, sed angustiabatur vbi fideiussores acciperet, qui sponderent. Nec mora, oculi compellentis Episcopi sunt aperti, & plusquam mille manus in aëre, quasi ad spondendum pro presbytero, vidit extensas. Quo viso præsul attonitus, presbytero dixit: Sufficientes habes, qui spondent pro te, vade, & de 14.

beneplacito Christi & meo, missę officium exerceas sicut priùs.

De septem generibus suffragiorum pro defunctis.

15. SEptem autem modis suffragiorum iuuari animas in purgatorio, liber Machabæorum primus ostendit, vbi Simon vij. pyramides circa sepulchrum parentum suorum & fratrum legitur statuisse. Et possunt sumi hæc septem pyramidarum suffragia in vno versu.

1. Mac. 13.

Fle, pete, ieiuna, vigila, da; redde, celebra.

De primo genere, nempe fletu.

16. FLe, hoc est plora, non sicut ceteri, qui spem non habent: sed secundum Ecclesiasticum: In mortuum produc lacrymas, id est, in altum duc, ad Deum scilicet. Lacrymæ enim temperant calorem ignis purgatorij. Si autem lacrymas alias immoderatas pro mortuo fleueris, inanes sunt, & nullum refrigerium præstant.

1. Thess. 4. Eccli. 38.

Visio auiæ autoris, quæ filium inutiliter lamentabatur.

17. MAtris relatione didici quod narro. Auia mea filium primogenitum habuit indole insigni, & decore præcipuum, quo mortuo, inconsolabiliter doluit. Nec fortè sine præsagio futuri mali. Nam post illum alium habuit, * qui etsi insignis militia fuit, & pompa vanitats electus, dilapidator tamen paternæ hereditatis prodigalissimus fuit. Matre ergo, vt dictum est, primogeni-

ms. p. b. c. 3. imp. qui pōpa vanitatis illectus dilapidator paterna, &c.

mogenitum inconſolabiter lamentante, apparuerunt ei iuuenes in via quadam, vt viſum eſt ei, cum ingenti gaudio gradientes. Cumque memor filij, eum inter illos non eſſe videret, & fleret; ecce poſt alios filium lento gradu ſubſequentem agnouit. Cui mater cum graui clamore dixit: Et quid eſt fili, quòd ſolus, & non cum alijs graderis retardatus? Cui ille, in toga laterali magnum aquæ pondus oſtendens: Ecce, inquit, mater lacrymæ, quas pro me inaniter effudiſti, quarum pondere ab aliorum proſecutione retardor. Ad Deum ergo lacrymas commutabis, & in præſentia ſacrificij corporis Chriſti, cum eleemoſynis pauperum, pro me cor pium & deuotum effundas, & tunc liberabor ab incommodo, quo nunc grauor. Nota tamen lector diſpenſatione diuina, vel ad conſolationem, vel ad correctionem matris, ſe dixiſſe mortuum iuuenem inanibus lacrymis à comitatu ſodalium retardatum: quia meritis quidem viuentium, defunctorum animæ adiuuari poſſunt, ſed nullis prorſus demeritis impediri.

De ſecundo ſuffragio, nempe oratione.

SEcundum ſuffragium defunctorum notatur, vbi dicitur: Pete, id eſt, ora. Vnde ſecundo libro Machabæorum dicitur: Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur. 18. 2. Mac. 12.

Otthonis Imperatoris defuncti apparitio, & per orationes à pœnis purgatorij liberatio.

19. *Hic est Ottho IV. obijt 1218.* REferam ergo quiddam vnde istud lucidiùs patebit sub exemplo. Otthone Imperatore mortuo, quædam cognata eius in monasterio virginum præerat, quæ zelo castimonię circa subditas mirè feruebat. Obseruans ergo die quadam fenestram locutorij, summo mane quemdam leniter pulsantem audiuit, qua aperta, ecce Imperator apparens materteræ dixit: Defunctus ego sum, & in purgatorio pœnis excrucior. Dirigas ergo nuncios ad diuersa & deuota cœnobia, & decies mille psalteria pro me legi facias: ita vt ad singulos psalmos accipiatur decem ictuum disciplina, & ad * vnumquemque * versum addatur salutatio angelica, Aue Maria, & oratio Dominica, Pater noster. *ms. b. c. tert. imp. psalmũ.* Psalmus verò, De profundis. quando accipitur disciplina, dicatur. Talibus remedijs post mortem viuens merui liberari. Et nota, quòd idem Ottho, benignissimus Imperator, anno præcedenti mortem suam, infinitam annonam tempore charistiæ diuersis monasterijs & pauperibus diuiserat larga manu. Nec mora, missis nuncijs, vt præcepit materteræ, negotium eius ab omnibus summa cum deuotione susceptum est, & perfectum. Apparens ergo dictæ materteræ ad eumdem locum fenestræ, quem diximus, in aurora, tanta claritate circumdatus est, vt illa nullo modo eum cerneret, sed audiuit: Gratias reddo tibi, & pro me misericordissimo Domino gratias age, quia iam à pœnis ereptus, ad gloriam transeo sempiternam. Nec mireris lector,

quia

quia ab illis audiui, qui interfuerunt diutino languori eius & morti, quòd omni die sacerdotibus Christi dorsum suum tradidit flagellandum, & eius contritio tanta fuit, vt ille, cuius superiùs fecimus mentionem, verè dignus Conradus Hildesemensis Episcopus, testaretur, vix se posse credere, quòd Ottho Imperator, post tantam contritionis pœnitentiam, vel ad horam post mortem purgatorium sustineret. *l.1.c.3.p.4.*

De tertio suffragio, quod est ieiunium.

20.
TErtium suffragium defunctorum, est ieiunium. Vnde David ieiunauit vsque ad occasum solis mortuo Abner: & tu similiter super mortuum tuum quousque feruorem vindictæ Dei, qui Sol iustitię dicitur, senseris mitigatum. *2. Reg. 3.* *Mal. 4.*

De filio per ieiunia & lacrymas matris liberato, & de Lamberto pio & zeloso presbytero.

21.
IN villa prope Louanium, opidum Brabantiæ, iuuenis quidam dissolutus & leuis languore decubuit. Rogatu ergo matris, Lambertus presbyter leprosorum, vir pius & zelator maximus animarum, venit ad iuuenem, & eum ad confessionem peccatorum & pœnitentiam sedulus inuitauit. Quo mox in multa valde contritione confesso, & non multò pòst mortuo, mater pro eo continuauit interpolatè ieiunia, & vsque ad quinque annos, quasi irremediabilibus lacrymis protelauit. Ergo vt ipsum tempus expletum est, die quadam Dominica dictus Lambertus presbyter mortuus est, & sepultus. Sequenti autem quinta fe-

ta feria prædictus iuuenis manifestè apparuit matri suæ, dicens: Ecce nunc mater charissima adiutorio tuo ad requiem transeo de grauissimis pœnis, quas pertuli pro peccatis, & mecum dominus Lambertus presbyter, qui me ad cognitionem & confessionem peccatorum meorum salubriter prouocauit: pro quo & alijs multis, quos ad pœnitentiam salutis adduxit, multa mercede cumulabitur præmiorum. Vide ergo lector, quantę mercedis sit docere inscios, viam salutis ostendere, & ad confessionem & pœnitentiam trahere peccatores. Nec hoc quoque sine grandi mercede negauerim: viuentes compati mortuis, & eos quomodocumque in orationibus, vel ieiunijs adiuuare.

De quarto suffragio, nempe vigilia, & corporali afflictione.

22. QVartum suffragium defunctorum est vigilia, vel labor alius in afflictione corporis tui.
2. Reg. 21. Vnde libro Regum secundo dicitur, quòd Re-
Resp. pro spha filia Haia, concubina Saul, ab initio * mes-
mensis, & sis substrauit sibi cilicium super terram, & non
infrà. permisit aues & bestias lacerare corpora suspensorum, donec stillaret aqua de cælo super interfectos. Quid per suspensos, nisi excruciatæ in purgatorio animæ designantur? Has Respha, id est, fidelis amicus iuuare debet vigilijs, vel labore ab initio messis, hoc est defectus vitæ in morientibus, secundum quod in Ecclesiastico dicitur:
Eccli. 22. Super mortuum plora, defecit enim lux eius. Has aues & bestias, hoc est tortores dæmones, lacerare non sinas, Dominum suppliciter exorando.
Nec

Nec à labore cesses, donec stillet aqua de cælo super interfectos, & pietate diuina eas confidas, & consideres liberatas.

De beata Christina, quæ in se suscepit dimidiam partem purgatorij Ludouici Comitis Lossensis.

HVius suffragij exemplum in vita venerabilis, nec non & mirabilis Christinæ descripsimus. Ludouicus Comes Lossensis nobilissimus inter Theutonicos erat, vir sagax ingenio, & in armis excitatus ac strenuus. Hic virginem Christi Christinam miro complectebatur affectu. Qui cùm in extremis ageret, Christinã ad se vocari fecit, & in conclaui secum, secedentibus omnibus, remanere. Nec mora, Comes virtute qua potuit, erexit se, & supplex ante pedes Christinæ toto corpore †factus, ei omnia peccata sua cum maximis lacrymis recitauit, & hoc non pro indulgentia, quam dare non potuit, sed vt magis ad orandũ pro se tali piaculo moueretur, hoc fecit. Mortuus ergo Comes eidem Christinæ manifestè apparuit, & se traditum acerbissimis in purgatorio tormentis ostendit. Cui pia mulier, non modicè miserata, respondit: Age nunc, & vade hinc, & secundum diuinam misericordiam pœnas pro peccatis exsolue; ego verò in meo corpore exactura supplicia, dimidiam purgatorij tui partem excipio. His itaque gestis, videres Christinam multo pòst tempore certis horis, secundum quod anima Comitis alternis doloribus torquebatur, flammeis vaporibus, interdum verò frigorum algoribus cruciari: loca verò, in quibus Comes peccare, vel insanijs falsis gaudere solebat, lacrymis

23. c. 26. extat to. 3. Surij 23. Iunij.

.i. prostratus, quomodo legit 3. imp.

crymis irremediabilibus irrigabat. Longo igitur pòst tempore ante mortem suam idem Comes ei apparuit, & gratias agens illi, ea contemplante ad superna transiuit.

De quinto suffragio, nempe eleëmosynas dare.

24 2. Mac. 12. qui locus maximè probat pro defunctis valere sacrificium. Eccli. 3. Dan. 4.

QVintum suffragium pro animabus, est dare eleëmosynam. Vnde in libro secundo Machabæorum dicitur: quòd vir fortissimus Iudas collatione facta, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam, offerre ea ibi pro peccatis mortuorum. Nec mirum, cùm in Ecclesiastico dicatur: Sicut aqua extinguit ignem: ita eleëmosyna extinguit peccatum. Et in Daniele dicitur: Peccata tua, rex, eleëmosynis redime.

Defuncti militis apparitio, docens quàm graue sit peccatum, non exequi, vel differre executionem piorum legatorum.

25 SVper hoc suffragiorum articulo in gestis sancti & magni regis Karoli legimus, quod subiungo. Eidem regi miles quidam in armis strenuus, seruierat annis multis. Hic ad extrema perductus ad se consobrinum suum clientem, quem solum habebat superstitem, euocauit, dicens: In comitatu regis annis iam perstiti sexaginta, nihil in mundo proprij possidens, nisi quod ad militiam pertinebat. Et ecce solum equum optimum habeo, & ex hoc statuo testamentum. Me ergo mortuo vendes equum, & pecuniam pro anima mea totaliter erogabis. Pollicitus est cliens, vt ei præcepit auunculus. Mortuo autem milite, satel-

les vidit equum validum & audacem, & eum nec vendidit, nec pecuniam pro eo ſoluit, ſed eum retinuit, ſtatutum auunculi paruipendens. Circa dimidij verò anni tranſactum ſpacium anima defuncti apparuit ſatelliti manifeſtè, dicens: Non curaſti facere quod pro anima mea ſtatueram liberanda, & ideo medio tempore, quo per eleëmoſynas liberari debueram, paſſus ſum graues pœnas. Sed ecce nunc iudicium dedit operum ponderator omnipotens, & omnes eius aſſeſſores angeli iuſtum eſſe decreuerunt, vt anima mea ad requiem tranſeat, & anima tua pœnas excipiat, quas exacturus adhuc fueram in tormentis. His dictis repentè diſparuit, & mox ſatelles grauiſſimam infirmitatem incurrens, quæ geſta erant confeſſus eſt ſacerdoti, & non multò pòſt mortuus, pœnas, quas merebatur exſoluit. Vide ergo lector, quantum peccatum ſit & delictum, amicorum aut parentum retardare, vel negligere teſtamenta: quibus ſi effectum haberent, accelerarentur ad gloriam, aut ſi non habeant, à gloria differuntur.

De ſexto ſuffragio, nempe reſtitutione.

SExtum remedium defunctorum eſt, reddere ſi quid iniuſtè habuerint, vel rapuerint. Teſte enim veridico Auguſtino: Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Et illud terribiliſſimum †, quod dicitur in ſcripturis: Væ qui prædaris: Nonne & ipſe prædaberis? 26. *Aug. ep. 54.* *ſ. eſt. Iſa. 33.*

De

De mortuo à pœnis liberato poſt debiti ſolutionem per vxorem factam.

27. HVius rei exempla ſunt plurima, quorum vnum familiariſsimum noui. Narrante enim fratre ordinis Prædicatorum his verbis, audiui. Pater, ait, meus contra commilitonem ſuum virum diuitem & potentem inimicitias exercens, fabrum habuit in vicino, qui equos ſuos, & eorum, qui ſecum erant, multo tempore ſufferrabat. Poſt hæc faber cecidit in languorem, & expenſas per obliuionem, vel incuriam nullus ſoluit. Mortuus eſt autem poſt annos ferè triginta pater meus, & apparuit manifeſtè per diē cuidā fideliſsimo ſeruo ſuo, gerens in manibus flammantia ferramenta equorum, dicens: Dicas vxori meæ, vt ſoluat tali homini tale debitum, quo ſic vexor. Poſt hoc non multi dies effluxerant, cùm ecce ſeruus ille, cum amariſsimis lacrymis venit ad me, & quid vidiſſet expoſuit. Collacrymatus itaque ſeruo ambo ad matrem ingredimur. Audit illa quid actum ſit, addit & lacrymas, acceſsit ad fabrum diutina tabe propè conſumptum: quęrit ſi pater meus ei in aliquo moriens tenebatur. Tunc ille cum lacrymis ſuſpirans, dixit: Heu chariſsima domina, etiam ferè in marcha vna: ſed affectus longo tædio in monendo, poſtmodum incidi in magnum languorem, & ſic ſilui vſque modo. Nec mora, mater ſoluit pauperi integrum debitum, & mox ſoluto iſto cum alijs debitis multis, vt mihi illa ſecretò narrauit, ei pater meus in hunc modum apparuit: Videbatur ei, videre illum in balneo, à ſummo capitis vſque ad ima pedum, quaſi

reſte

veste longa, totaliter inuolutum. Cui ille dixit: Apprehende funem, & soluas me. Mox illa initium funis accipiens, paulatim ligatum exsoluit, & statim illi congratulans & gratias agens: Sic, inquit, priùs fueram obligatus in pœna, quoadusque solueres quo tenebar.

De septimo suffragio, quod est missæ sacrificium.

SEptimum & vltimum remedium defunctorum, est celebratio missarum. Oblatio enim corporis Christi absoluit à debito culpæ & pœnæ. Vnde in Ægypto post comestionem, & esum agni populus Israeliticus liberatur, & sanguis agni paschalis in superliminaribus ponebatur contra angelum vastatorem: & serpens æneus in palo erectus est contra morsus serpentũ. Et Psalmista dixit: Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me. 28 *Exod.* 12. *Num.* 21. *Psal.* 22.

Exemplum ex Gregorio de Iusto monacho, qui à purgatorio est liberatus per sacrificium missæ pro eo triginta diebus oblatum.

BEatus Papa Gregorius in dialogo scripsit, quemdam fuisse à purgatorio liberatum, pro quo triginta diebus sacramentum corporis Christi oblatum est in altari. 29. *Greg. l. 4. dial. c. 55.*

De Duce, cui exercitus cælestes animarum, à purgatorio per ipsum liberatarum, succurrunt in prælio.

SEd & frater quidam ordinis Prædicatorum, qui terras & maria multa peregrinando per- 30. *Simile est in spec. exem-*

plor.dist.3. exempl.65. & dist.9. exemp.184. do peragrauerat narrauit mihi, quòd Dux quidam, diues & potens valde, superuacuis expensis deditus erat totus, & gloriæ seculari: qui ad correctiorem vitam, sedula cuiusdam prędicatione, conuersus, conuocatis suis omnibus, dixit: Vt verè video, in vita, quam hactenus duxi, mihi salus non est, & vitam inutiliter & damnabiliter iam expendi. Volo igitur expensis parcere, minuere familiam, vi ablata restituere, & eleemo-
Dan.4. synis redimere peccata, quæ feci. Et factum est sic. Hoc vt viderunt sui, detrahere cœperunt domino suo. Nec propter hoc Dux sapiens destitit ab incœptis. Qui priùs restitutis iniurijs, larga manu cœpit erogare pauperibus, instituère capellanias, maximè ad celebrandas missas in subsidium animarum, quę in purgatorio torquebantur. Quod cùm sedulè ageret, vidit diabolus, & inuidit: & nobiles illius contra eum crudeliter instigauit. Qui pariter coniurantes, regem quemdam, quondam contra eum inimicitias exercentem, sed imparem viribus, adierunt, dixeruntque regi: Diu iam contra dominum nostrum Ducem grauem animum habuisti, licet tibi ad placitum non successerit. Nunc igitur tempus inuenire poteris oportunum, vt te vindices adoptatum. Dux enim solis clericorum fabulis deditus, segniter sua expendit & improbè, & nulli suorum nobilium impendit benefi-
pro quo, id est, quare. cium vel honorem: † pro quo facile erit vobis, vt per nos, contra eum, in subsidium vestrum totus terræ istius populus deuoluatur. Nec mora, vt audiuit rex, lętus efficitur, & habito consilio nuncios transmittit ad Ducem, occasiones caluas ingeminans, quomodo eum sæpius per iniuriam oppres-

oppressisset, nunc verò se illi velle reddere talionē, nisi se dederet & sua, & in hoc illi constitueret certū diem. Hæc vt audiuit Dux, mandauit nobiles & proceres terræ suæ, & quid rex sibi mandauit, insinuat. Et illi quasi vno ore respondentes, dixerunt: Hactenus nos vt seruos & fatuos reputasti, solis mundi seductoribus clericis adhæsisti: nunc te iuuent illi & consulant in aduersis. Tibi autem nec succurrere volumus, nec valemus. Hæc vt vidit dux, vehementer expauit, & mox se conferens ad castrum munitissimum, solius Dei auxilium implorauit. Medio autem tempore condicti diei, prospectans Dux per propagnacula cum quibusdam, vidit ingentem exercitum albatorum in equis albis, clypeis cruce rubea consignatis eminus venientem. Et mox stupens dixit suis: Numquid videtis, ait, illa, quæ video? Et illi: Nihil, inquiunt: & mox omnes cum Duce supplices preces dantes ad Dominum, viderunt innumerabilem exercitum albatorum. Tunc Dux cum quibusdam ex suis exiens, curuauit genua, cui obuius vnus ex multis milibus, eleuauit eum, dicens: Ne verearis. fidelissime principum, venturi regis aduentum: Adsunt isti diuino iussu parati iuuare te, quos eleemosynis & missarum suffragijs de purgatorio liberasti. † Medio autem tempore condicti diei liberabuntur & alij, qui nobiscum in tuum adiutorium sunt venturi. Et hoc dicto, omnis illa albatorum turba disparuit. Dux verò reuersus in castrum, cum suis omnibus Dominum benedixit. Ad diem ergo tempore procedente, rex cum infinita multitudine suorum, vel aliorum nobilium, qui contra Ducem dominum suum totum terræ populum adduxerant, quasi de victo-

.i. eo tempore, quod intercedit vsque ad condictum diē.

victoria certus, aduenit, & in planiciem prope castrum cum mira multitudine se diffudit. Venit & illi obuius Dux, nimirum alacer vultu, & animo inconcussus, statimque vbi castrum cum paucis exiuit, illi tanta, & tam * inenarrabilis multitudo cælestis exercitus est coniuncta: vt ex aduerso castrorum cælestium, multitudo regis quasi turba modica videretur. Quod vt vidit rex, & omnes, qui secum erant, validissimo pauore concussi sunt, & aduertentes magnalia summi Dei, proiectis armis, obuijs manibus in terram prostrati sunt, & ad voluntatem Ducis cum ipsa vita & rebus totaliter se dederunt. Nec mora, Dux diuinam in se misericordiam recognoscens, misericordiam cum omnibus fecit, & firmissimis conditionibus ordinatis, obsides pacis accepit. At vbi pax inter ducem & regem omnimoda cōquieuit, congregatio cælestis exercitus repentè disparuit. Hinc denique factum est, vt rebus in summa tranquillitate peractis, gratias Deo exercituum in communi persoluerent, & glorificarent in suis mirabilibus Dominum maiestatis; & sic quique cum gaudio ad propria remearent.

ms. p. 2. imp. innumerabilis.

De eo, qui in purgatorio exultabat, quia natus erat puer, in cuius primitijs erat liberandus.

31. ET nos veridica valde relatione didicimus, quemdam defunctum subitò, & ad pœnas purgatorij transeuntem, cuiusdam sanctissimi viri precibus reuocatum ad vitam. Hic tale quid visum & auditum in purgatorio referebat. Anima cuiusdam, quem priùs in vita cognouerat, grauissimè torquebatur. In medijs ergo ignibus, subi-

ſubitò illa exultabunda clamauit: Eia miſericordiſſime Deus, nec in finem oblitus es mei. Cui *Pſal. 73.* anima conſors in pœna: Vnde, inquit, tibi miſerrima in tam horrendis ſupplicijs exultare? Et illa: Meritò, inquit, exultabunda tripudio, quia mihi ſcire à Domino datum eſt: in hoc inſtanti natum puerum, qui longo pòſt futurus eſt presbyter, in cuius miſſa, quam celebrabit primam, ab his pœnis ad requiem euolabo.

Qua occaſione auctor à patre in ſtudijs fuerit collocatus, & quomodo pater mortuus ab eo petiuerit auxilium.

SEd & patrem meum, vt me adhuc puerum ad litterarum ſtudium, & vitam cælibem prouocaret, ſæpius mihi cum lacrymis & deuotione referentem audiui. Cùm mare, inquit, tranſiſſem, terram ſanctam, ac Hieroſolymam viſitare, veni in montem, quem Nigrum vocant: vbi ſparſim multi viri ſancti vitā eremiticā ducentes, Domino ſeruiebant. Vni ergo eorum peccata mea confeſſus, reſpōſum accepi, me de facili culpas meas per pœnitentiam non poſſe diluere, ſed ſi filium haberem, & hunc ad litteras ponerem, fieretque ſacerdos idoneus Christo, potiſſimè per hunc me poſſe iuuari. Huius occaſione conſilij in ſcholas datus ſum: & ſpero diuina ſuffragante gratia, quòd tam per me, etſi minus idoneum, quàm per alios, quos publicè in ſermonibus, vel ſecretè in conſilio ad orandum pro illo inducere efficaciter potui, adiutus ſit multis modis. Mihi quoque Christus teſtis ſit, quòd, ſi quando pro eo celebrare diſtuliſſem, aliàs impeditus, ipſe mihi 32

apparebat in somnis; & manibus ostensis, plagis plurimis vulneratis, me vtique, quare patrem filius non iuuarem, sinceriter arguebat.

Visio de defunctis in missa ad pacem currentibus.

33. SEd & in Austriæ partibus, sicut per Abbatissam quamdam piam & religiosam audiui, quidam sanctissimæ vitæ Cisterciensis ordinis monachus fuit, qui in missa celebrata pro mortuis, ante participationem corporis Christi, cùm diceret: Agnus Dei qui tollis peccata mundi dona eis requiem, audiuit voces clamantium à remotis: Festinate, festinate pacem suscipere, quia iam missa propinquat ad finem. Qui mox vt stabat Christi corpus tenens in manibus, fit raptus in spiritu, & vidit innumerabilium animarum multitudinem festinantem ad pacem, & alijs recedentibus percepta pace, alias clamantes: Festinate, festinate, quia iam missa propinquat ad finem. Sic monachus stetit à prima ferè hora diei vsque ad horam nonam, præstolantibus alijs, & mirantibus quid stans haberet immobilis. Tandem ergo reuersus ad se, finiuit missam, & præcipiente Abbate, cunctis quid vidisset exposuit, & post paucos dies ipsemet monachus vitam finiuit. His lector auditis, quis, saluo tamen meliori iudicio, dubitare potuerit, quin Spiritu sancto commodiùs ordinante, in ecclesia Dei antiquitus sit statutum, vt in missa pro fidelibus defunctis nec pax precetur viuentibus, neque detur, sed tantùm, vt requiescant in pace, pro defunctis eisdem oretur.

Visio

Viſio mirabilis de triplici ſtatu defunctorum.

COmpendioſè, quibus potuimus rationibus 34.
& exemplis, ſeptem defunctorum ſuffragijs euolutis, generaliter de ſtatu triplici animarum, quæ ex hoc ſeculo tranſeunt, viſionem mirabilem & indubitabilem referemus. Cùm in Brabantiæ partibus prædicarem, & vna dierum dicta miſſa intentum aliàs ſocium itineris præſtolarer, venit ad me homuncio ruſticanus, & pauper habitu, & forma deſpectus, deuotiſsimè petens vt eum audirē. Annui, conſedit, & dixit mihi: Annus iam ferè elapſus eſt, cùm ecce in domo mea in nocte vigiliarum ſanctę Katherinæ ſuper ſtramina iacens audiui campanam, vt mihi videbatur, iſtius eccleſiæ reſonantem. Surgens ergo vt pergerem ad eccleſiam, vxor mea, quæ in lecto alio quieſcebat, clamauit ad me: Quò vadis? inquit. Et ego: Ad Matutinas vado, quia pulſatum eſt. Et illa: Spiritus, inquit, nequam agitat te, quia in primo ſomno adhuc eſt. Nihil autem curans quid illa diceret, vſque ad atrium eccleſiæ properaui. Et ecce occurrit mihi ſacerdos quidam ignotus, veſtibus ſacris indutus, ſtola per modum crucis in pectore redimitus, qui dixit mihi: Appone cor tuum ad ea, quæ tibi monſtrauero. Et mox ſuper atrium edito ſigno crucis, ſurrexit tantus populus, vt eum vix ſpatium quinque iugerum capere potuiſſet. Et erat populus ille ſuper id quod dici poteſt, aut credi, miſeria miſerandus, nudus penitus, & per omnia ſæuis plagis, & cruentatis vulneribus laceratus. Nec mora, à ſacerdote illo iteratò edito ſigno crucis,

diſparuit populus, & alius multò minor numero & horrore, ſurrexit. Habitu quidem pauper, & colore pallidus videbatur, quaſi macie multa & tabe confectus, diſsimiles tamen perſonæ, ſecundum magis & minùs. Iteratò poſt hæc à ſacerdote ſigno crucis edito, populus repentè diſceſsit, & ſurrexit populus paruus numero, quem ſolius atrij ſpatium capere potuiſſet, longè diſsimilis claritate & gloria omnibus hominibus mundi quoſcumque vidi. Erant autem veſtimenta eorum ſicut nix à ſole irradiata, & facies omni ſplendore iucundior, & dixit mihi ſacerdos: Diſcreuiſti trium populorum diſsimilitudines, * quas vidiſti? Prima illa miſerrima gens, ſine vlla contritione diſcedens à ſeculo, æternaliter damnata eſt. Secundò apparentes, cum contritione, ſed non peracta pœnitentia, mortui ſunt. Et illi quidem adhuc pœnis grauiſsimis detinentur, ſed tandem purgati, peruenient ad quietem. Tertia autem gens, populus electus eſt, qui peracta pœnitentia cum Domino gloriatur. Hoc dicto, cum ipſo populo ſacerdos diſparuit, & mox ad matutinarum officium campana pulſatur. Ego autem auditis matutinis & miſſa, de die regreſſus ſum domum, & tribus menſibus elangui poſt iſtam terribilem viſionem.


ms.s.3.imp. quos.

Vita eius, qui dictam viſionem vidit, & auctori retulit.

35. PEracta igitur narratione, diligenter percunctatus ſum, quiſnam eſſet homuncio talis: & inueni eum conuerſationis huiuſmodi. Circa octo iugera terræ arabilis habebat cum domo, ex quibus ſibi & ſuis victum neceſſarium, ſed

sed tenuissimum elaborans, partes etiam pauperibus erogabat. Ter in hebdomada ieiunabat, sine lineis, sine calceis † indiscretis temporibus incedebat. Pernox frequenter in precibus, numquam super lectum, aut culcitram recumbebat. Quid plura? Talis erat homo, qui mihi fidem in omnibus, de his, quæ dignè narrauerat, faciebat; maximè cùm in verbis eius & facie diuinam viderem gratiam relucere.

.i. siue frigido tempore, siue calido, siue hyeme, siue æstate.



De felicitate & gaudio sanctarum animarum.

CAPITVLVM LIV.

Æstate prodeunt, & quasi longo hyemis tædio fatigatæ, † extensis membris & alis, & excussis exuuijs, exultatione multiplici in auras liberas spaciantur.

ms. s. exertis



HIc manifestissimè post finem mūdi resurrectionis gloria denotatur. Æstas enim, qua apes prodeunt, tēpus vltimæ resurrectionis insinuat: quo illæ beatorum animæ post diutinæ præstolationis tædia corporibus suis vniri desiderant. Tunc secundum prophetam, per euigilationem sonitus clangoris & tubæ, exuuijs carnis excussis, de puluere membra singula in locis

I. De resurrectione beatorum.

Ezec. 37.

debitis & motibus proprijs, redient ad compagem, alaſque contemplationis ſuper latitudinem
1. Cor. 13. cæli, non in ænigmate, ſicut nunc, ſed per ipſam
ms. s. auguſtiſſimè. ſpeciem * acutiſſimè dilatabunt. Quod Iſaias propheta in magna cordis exultatione declarat,
Iſa. 60. dicens: Tunc videbis & afflues: & mirabitur, & dilatabitur cor tuum. In quo verò ſtatu beatitudinis beatorum caro reſurget, propheta Iob, & cautè nimium, & planè deſcribit: Scio, inquit, quòd
Iob 19. redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum. Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.

De ſex occaſionibus, ſiue cauſis gaudij in æterna beatitudine.

2. QVid eſt autem, quod in textu exultatio multiplex dicitur: niſi quia ſanctis in illa cæleſti patria diuerſorum erit occaſio gaudiorum? Fideli enim ſeruo, teſte Christo, in fine dicetur: In-
Mat. 25. tra in gaudium Domini tui. Quid eſt autem intrare gaudium: niſi ſicut piſcem aquam, ſupra ſe & infra, ante & retro, à dextris & à ſiniſtris occaſionem gaudij & exultationis habere? Gaudium ergo ſancti intrant, in eo quòd vident iſta ſex. Nota verſus.

Primò Deum ſuprà, ſubtus contraria victa:
Ante ſacros cœtus, & retro pericula luxus:
Sanctos in dextra, damnatos parte ſiniſtra.

De prima causa gaudij, ex clara Dei visione.

IGitur primò Deum suprà Sancti vident: & de hoc speciale gaudium habebunt, quia videbunt eum tamquam solum Dominum, supra se, ad distinctionem & euasionem * malorum dominorum, quos olim in terra perpessi sunt. Quod Isaias propheta congratulabundus ostendit: In illa, inquit, die, æternitatis intellige, incuruabitur omnis altitudo virorum, & exaltabitur Dominus solus. Et vide augmentum gaudij secundum Hieronymum: Ante cuius pedes, inquit, horrendi reges nudato latere palpitabunt. Et notandum valde est, quòd felicissimum erit, & beatissimum videre Christum in patria, si tam dulce Petro fuit, eum videre in terra; vt tria optaret hîc fieri tabernacula, vbi nihil habetur nisi miseria. Verumtamen bonum & dulce fuit, faciem illius videre, quę resplenduit sicut sol, adhuc in carne passibilem: sed dulcissimum ac optimum erit, videre illum super solem clarissimum, per diuinitatis gloriam immortalem. Hæc est enim vita æterna, sicut ipse dixit, vt cognoscant te solum Deum, quem & misisti Iesum Christum.

3. — ms. b. multorum. — Isa. 2. — Hiero. ep. 1. — Mat. 17. — Ioan. 17.

De moniali in Aquiria, cuius vultus in contemplatione instar flammæ radiantis coruscabat.

AVdiui super hoc quiddam relatione dignissimum ab ore beatæ memoriæ Berthæ, nobilissimæ mulieris, Abbatissæ monasterij ordinis Cisterciensis, quod iuxta Insulam in Flandria, Reclinatorium nuncupatur. Hæc cùm adhuc esset

4. — pago nomen est Marketa.

esset in Aquiria monialis, contigit, vt sanctissimam quamdam ex sociabus pro negocio quæreret, & in contemplatione diuini vultus raptam, in angulo ecclesiæ solitariam inueniret. Quæ, vbi à facie illius velū incircumspectè dimouit, vultus eius omni flàmma radiantiùs coruscauit: cuius fulgore, subitò contuentis temeritas repercussa, ferè exanimis cecidit resupina. Quid mirum? Legimus quòd facies Moysi splendida facta sit ex
Exod. 34. illa ænigmatica collocutione diuina, & ideo timentes filij Israël in tabernacula diffugerunt.

De ea, cuius oculi ex contemplatione instar speculi micuerunt.

5. SEd & memorabilis Adæ, cuius suprà fecimus
c. 25. p. 13. mentionem, postquam in visione Christi faciem vidit (sicut ab illis audiuimus, qui eam postea cognouerunt) instar lucidissimi speculi beati eius oculi micuerunt.

De secunda occasione gaudij, ex eo, quod videbunt hostes suos dæmones sub pedibus.

6. SEcunda occasio gaudij erit, videre subtus contraria victa: hoc est dæmones, qui nos olim in diuersis tentationibus afflixerunt. Et hoc
Ios 10. significatum fuerat in libro Iosue. vbi quinque reges Amorrhæorum, qui afflixerant populum Dei, comprehensi sunt, & vinctis manibus & pedibus, ab omni populo viliter conculcati. Et hoc signum est atque figura, quòd aduersarij nostri dæmones, nullam post illud extremæ examinationis iudicium potestatem tentandi habebunt in san-

in sanctos. Et vide quanta ista occasio gaudij futura sit.

De eo, qui exstimulatus concupiscentia, digitos igne consumpsit, & læsionem non sensit.

LEgimus in vitis Patrum, quòd quidam stimulatus in feminam, tantum sensit interius libidinis incentiuum, vt digitis manuum consumptis ad ignem, læsionem exteriùs non sentiret. Quid mirum? Fortior ignis impegit in fortem, & inualuit. Leui aqua materialis ignis extinguitur, sed tantùm forti animo ignis luxuriæ triumphatur. 7. cap. seu lib. de fornic. num. 15.

De fratre Prædicatore, qui sibi virilia abscidit ex violentia tentationis.

8
VIdi fratrem ordinis Prædicatorum, qui de fratre adhuc, vt credo, viuente, narrauit, quòd diu incentiuo libidinis impugnatus, cùm vinci se penè videret, † dolabro transuersali veretrum sibi succidit & testes, & mortem cum maximo discrimine vix euasit. Nec hoc recito factum approbans, sed dæmonum violentiam multùm mirans. pro dolabra.

De tertia occasione gaudij ex conspectu Angelorum.

TErtia occasio gaudij erit, videre ante se sacros cœtus, hoc est angelos, qui in mensa Christi ante conspectum eius, in singulis officijs decentissimè ministrabunt. Et in signum huius, regina Saba in libro Regum tertio dixisse 9.
legitur

3. Reg. 10. legitur Salomoni: Beati serui tui, & hi, qui assistunt coram te omni tempore. Gaudebimus tunc planè lætissimis visionibus angelorum, qui viuentibus nobis in omni profectu virtutis magnificè cōgaudebant, & nos vbique multiplicibus adiutorijs circumstantes, contra dæmones, & diuersa pericula tuebantur: nosque frequentiùs circumseptos sua præsentia solabantur. Et vt hoc exemplo pateat euidenti, quid inde verissima relatione didicimus, referamus.

De sororibus ab angelo ductis, & ex hoc miro gaudio perfusis.

10. ms. p. Grauio, 2 imp. Grament.

ELizabeth de* Grauio apud Niuellam in Brabantia virgo deuotissima fuit. Hæc cùm socia deuota & bona, quam viuentem adhuc, & magistram nunc duorum millium Beghinarum prodere noluimus; de Niuella in Lenlos ad duo ferè milliaria properabat: & contigit eis in via, quòd deuia sunt secutæ. Pauefactæ ergo propter siluam proximam, flere cœperunt. Quibus flentibus vehementer, subitò iuuenis apparuit coram eis. Erat autem iuuenis, vt mihi earumdem vna narrauit, crine crispo, & croceo, alba indutus tunica, & albo pariter collobio superducto. Salutatis autem illis, ab eis, quò pergerent, inquisiuit. Respondentibus verò eis in Lenlos ire vellemus, si viam sciret, inquirunt. Et ille: Scio, inquit, me sequimini. Illo igitur cum silentio præcedente, sequuntur & illæ. Nec fuit aliqua earum, quę aliquid loqui poterat præ nimio mentis gaudio, vel stupore. At vbi properantes, viderunt villam, subitò in ictu oculi, ductorem iuuenem perdiderunt.

runt. Quæ mox prostratæ in terram, amarè cœperunt flere, quòd ductori tanto nihil ampliùs sunt locutę. Ad cor autem post lacrymas redeuntes, Deum magnificè collaudarunt, & sæpius dulce factum ad memoriam reducentes, exinde in spirituali vita tali solatio profecerunt.

De duobus fratribus Prædicatoribus, cùm anxij essent de prandio, ab angelo confortatis.

Consimile propè duobus fratribus ordinis Prædicatorum (vt per fratrem Henricum de Colonia, prædicatorem elegantissimum inter fratres, indubitabili relatione didicimus) contigit in partibus Galliarum, illo ordine nouiter inchoato. Gradientibus namque duobus fratribus Prædicatoribus ieiuniorum tempore ante pascha, cùm iam instaret tempus prandij, hora nona, & secum quęrerent, quis fidelium eos ad refectionem reciperet in terra rara hominibus, & ignota: subitò affuit iuxta eos vir elegantis formę, & habitus peregrini, dicens: Quid confertis inter vos fratres mei? Illis autem verecundantibus dicere quid dixissent, ait eis: Modicæ fidei de hoc inter vos dubij quærebatis, quis vos ad refectionem reciperet in terra rara hominibus, & ignota. Christo credite veritati, qui non hæsitantibus, & in se confidentibus repromisit dicens: Primùm quærite regnum Dei, & hęc omnia adijcientur vobis. Credidistis in hoc Christo, vt temporalia ista pro illo dimitteretis, & paupertate regnum seduli quæreretis: & nunc Christo diffiditis, vt vos sine refectione dimittat, & non quasi filios pascat? Absit, & hoc vobis signum. Transi- II. Mat. 6.

Transibitis campum istum, & in valle quadam villam paruulam inuenietis. Illic intretis ecclesiam, inuitabit vos presbyter affectu magno: sed superueniet miles, qui vos violenter auferet sacerdoti. Et cùm vos deducet, persona loci, qui aliter patronus dicitur, maximis precibus à milite obtinebit vos, & ambos inuitatores vestros, militem scilicet & presbyterum, vobiscum largissimis ferculis reparabit. Confidite ergo in Deum, & fratres ordinis vestri exemplo isto confidere faciatis. Hęc vt dixit, repentè disparuit. Illi autem per ordinem, vt eis prædixerat, omnia repererunt, & reuertentes Parisios dicto fratri Henrico de Colonia, & fratribus quibusdam alijs, quæ sibi contigerant, retulerunt. Et notandum quòd non solùm Christus, sed & nobis in mensa eius angeli ministrabunt. Vnde ipse Christus, suos confor-
Luc. 22. tans, dixit: Ecce ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.

De quarta occasione gaudij ex periculis, quæ euaserunt.

12. QVarta occasio gaudij erit, videre & retro pericula luxus, quæ semper sanctis, dum adhuc viuerent, in timore fuerunt. Vnde beatissimus Augustinus in libro de ciuitate Dei 19. di-
Aug. l. 19 de ciuit. c. 27. xit: Quamdiu vicijs repugnamus, plena pax non est: quia illa, quæ resistunt, periculoso debellantur prælio: & illa, quæ victa sunt, nondum securo triumphantur ocio, sed adhuc solicito premuntur imperio.] In illa ergo resurrectionis gloria di-
Psa. 123. cere confidenter poterimus: Laqueus contritus
est,

est, & nos liberati sumus. Et Isaias: in illa (in Isa. 25.
quit) die præcipitabit Dominus mortem in sempiternum.

De quinta occasione gaudij ex societate Sanctorum.

QVinta occasio gaudij est, videre sanctos in 13.
dextera, quibus dicetur: Venite benedicti Mat. 25.
patris mei. Magnum enim erit gaudium habere societatem cum matre Christi, Patriarchis, & Apostolis: quorum sola etiam hîc audita memoria, cor exultatione iam repletur. Si ergo hîc dici potest: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum Psal. 132.
habitare fratres in vnum, vbi tamen boni permixti sunt pessimis, quid erit ibi, vbi nullus deerit bonus, nullus permixtus malus?

De fratribus Prædicatoribus & Minoribus missis à beato Ludouico rege Franciæ ad conuertendum regem Tartarorum, & de nobili, cui adhuc gentili Christus apparuit cinctus gloriosissimo Sanctorum consessu.

QVid autem super hoc, cuidam nobilissimo 14.
gentili, tempore nostro Dominus omnipotens ostẽdere dignatus est, referamus. Cùm anno ab incarnatione Domini M. CC. XLVIII. deuotissimus rex Francorum Ludouicus, cum fratribus suis, Roberto Comite Atrebatensium, & Alphonso Comite Pictauiensium, & Karolo Comite Andegauensium in terræ sanctæ subsidium transfretaret, & Damiatam ciuitatem Ægypti nobilissimam obtineret, audiuit quòd rex Tartarorum matrem Christianam haberet;

& licet

& licet filius gentilis esset, Christianæ tamen fidei diligeret sectatores. Pater enim eius regem Indiæ Christianum occiderat,† & filiam eius duxerat in vxorem. Sperans ergo pius rex Franciæ, quòd regem Tartarorum, causa matris, aut aui gratia, mouere posset ad Christianæ fidei pietatem, misit ad illum duos fratres [Prædicatores, & duos] Minores, per quos misit eidem capellam ex bysso instar tentorij, & omnia vtensilia illius aurea, quibus altari necessaria inferrentur, cum aliis xeniis pretiosis. Qui multas terras & maria peragrantes, venerunt ad illum, & ab eo solemniter sunt recepti. Fuerunt autem apud illum multo tempore, sed in conuersione regis nihil penitus profecerunt. Viderunt autem ibidem in exercitu virum nobilem, regis scilicet consobrinum, de quo talia ferebantur. Cùm idem nobilis, adhuc gentilis, febri acutissima laboraret, materia ad cerebrum asscendente in furiam raptus, dormientibus omnibus, qui circa illum erant, aufugit nudus, & tribus diebus, ac tribus noctibus, per eremum vastissimam oberrauit. Tertia ergo nocte, digesta materia, creticauit, & ad se rediit compos mentis: qui in tenebris horrens solitudinem, quid faceret, vel quò se verteret nesciebat. Et ecce post instans modicum, discussis tenebris, vidit in montis cacumine ingens lumen. Reptans ergo manibus & pedibus, asscendit in montem, & ecce super omnem solis fulgorem, regem admirabilem videt in throno aureo residentem, & ad eius dexteram reginam incomparabili decore fulgentem: videt mixtim seniores & iuuenes in thronis aureis assidentes, ministrosque ex omni parte vultibus sidereis rutilantes. Hæc vt vidit gentilis,

† f. Danidem preto-Iohannem.

ms. p. b. c. tria imp. omit.

gentilis, supra id quod cieci potest obstupuit. Nec mora, vnus ministrorum à rege missus, eum, vestibus nudum, induit, & ad regem duxit. Cui rex: Nihil, ait, in rebus humanis simile quid vidisti? Et ille: Nihil, inquit, Domine. Et rex ad eum: Ego sum (inquit) Christianorum Deus, Rex & Dominus sempiternus. Tu autem redibis ad populum tuum, & perquirens inuenies in gente Hungarica, quæ immixta est genti tuæ, duos presbyteros Christianos, talis habitus, & talis formæ: à quibus erudieris ad normā fidei Christianę. Hæc vt audiuit gentilis, renuit beatorum societate frustrari. Et mox ad eum rex: Impossibile est (inquit) talem te remanere nobiscum: sed si Christianorum fidem susceperis vt præcepi, societate ista iocundissima perfrueris. Hoc dicto, miles sedens in equo albo suscepit illum, & in exercitum Tartarorum, populo mirante reduxit, fuitque apud illum diebus tribus, & pòst repentè disparuit. Nobilis autem, vt iussus erat, presbyteros quæsiuit, & inuenit: & eruditus ad fidem, cum multis * milibus Tartarorum sacrum baptisma suscepit, & Christianè postmodum ac sanctè vixit. Vestes autem, quas vt diximus, nudus acceperat, præcipui coloris erant atque molliciei. Opus verò earum, nec plumarium, id est, ex acu factum aduerti poterat, nec textrinum: sed super omne artificium hominis diuina virtute contextum. Dictum igitur virum fratres missi à rege Franciæ sępe viderunt, & postea reuersi in Galliam, fratribus rem gestam, vt narrauimus, retulerunt. Et pòst, vt ab vno fratre percepi, mox memoriæ & litteris commendaui.

ms.b.e.e.tria imp.militibus.

De beata societate Sanctorum ex Augustino.

15. DE hac societate gloriosissimus pater Augustinus, in libro de ciuitate Dei, elegantissimè dicit: Hoc illa beata & gloriosa ciuitas in se magnum habebit bonum, quòd nulli superiori vllus inferior inuidebit: sed sicut nec in corpore vult oculus esse, qui digitus est, nec pes, qui oculus: cùm membrum vtrumque contineat carnis pacata compago, sic erit pacatissimo concordiæ vinculo ei, qui maius bonum accepit obstrictus, vt sufficiat sibi donum, quod alio minus accepit, & nolit ampliùs.] Ibi Ioseph inebriabitur cum fratribus suis.

Aug. l. 22. de ciuit. c. vlt.

Gen. 43.

De sexta occasione gaudij ex visa impiorum hominum damnatione.

16. SExta & vltima occasio gaudij erit, videre damnatos in parte sinistra: quibus scilicet positis à sinistris rex dicturus est: Ite maledicti in ignem æternum. De his, secundum prophetam, lætabitur iustus cùm viderit vindictam. Et Isaias in persona Christi: † Ingredientur (supplè sancti) & videbunt cadauera mortuorum, qui præuaricati sunt in me, & erunt vsque ad satietatem † omnis carnis.

Mat. 25.

Psal. 57.

Isa. 66. bib. egredientur. &, omni carni.

Non mirandum, quòd beati non turbabuntur, vel condolebunt, videntes parentes & amicos damnatos.

17. MIrari autem nonnulli simplicium solent, quòd sancti in extremo iudicio, parétum,

vel amicorum suorum visa damnatione, nullatenus turbabuntur. Sed stultam admirationem hanc omnis fidelis animus reputabit, qui sanctos perpetua exultatione firmatos, turbari, vel dolere posse non ambigit. Si enim in pręsenti vita à quolibet perfecto requiritur, vt diuinæ iustitiæ concors in omnibus vniatur, quid mirum, si de sancto glorificato iam creditur, quòd viso quolibet in terrenis tristissimo non tristetur?

De beata Maria Ogniacensi, quæ cognita matris suæ æterna damnatione, eam non defleuit adhuc in hac vita subsistens.

SVper hoc autem, quid olim audierim à venerabili & Deo digno magistro Ioanne, quondam Leodiensi decano, sed postmodum de Oignies regulari canonico; cuius superiùs mentionem fecimus, ad instructionem legentium referamus. Dixit enim mihi, quòd hoc ipsum, quod narrare intendo, ab ore B. Mariæ de Oignies supra modũ miratus, audiuit. Hæc illa beatissima mulier, cuius vitam venerabilis Iacobus, Aconensis quondam Episcopus, postea Romanæ curię Cardinalis, discreto sermone conscripsit, hæc inquam, erga animas, quę in purgatorio torquebantur valde compatiens, super anima quoque matris suæ defunctæ sollicitabatur in spiritu. Sed hoc à carne, vt iam patebit. Hanc itaque propter eleemosynas, & propter honestum quemdam vitæ modum, quo inter mundanos, ipsa quoque mundana vixerat, sperabat quidem posse saluari, sic tamen quasi per ignem. Super hoc tamen dubio, cùm ipsa timeret: quia iudicia Dei

18. c. 31. p. 3. & 5. 1. Cor. 3.


abyssus multa, rogauit Dominum, vt eam certam reddere dignaretur. Cumque multas in hoc lacrymas funderet, accidit die quadam, vt ad missam in ecclesia iuxta altare, quasi ad pedes Domini Maria sederet, & ipsa, horrore concussa, videret prope se spiritum tenebrosum astare. Quæ mox, signo crucis timore fugato, audacter quis esset interrogat. Et spiritus: Ego sum, inquit, mater tua. Cui illa: Quomodo (inquit) tibi est mater? Tunc illa: Malè, inquit. Nihil me tuę iuuare poterunt preces, cùm me quidem damnatam perpetuò inferni claustra detineant. Mox itaque filia elato gemitu: Heu, inquit, mater, quæ causa damnationis tuæ? Cui illa: Enutrita, inquit, fui, & vixi in his, quæ per iniusta mercimonia & vsuras acquisita fuerunt, & conscia mihi mali, ablata restitui non curaui: nec aduertere volui quid contra Deum in meo hospitio, & à mihi subditis ageretur, sed tortuosas mundi vias ingressa, indignum misera iudicaui, progenitorum meorum vestigia declinare. Spreui arguentem te super his, & alijs malis meis, nec in vllo pœnitui, & ideo infructuosam vitam morte commutans, à futura seculi vita deperij. Hæc dicens mater, repentè disparuit. Ancilla verò Christi, consideratis per ordinem omnibus, etiam in matre damnata iustum Dei iudicium benedixit, nec fleuit ampliùs perpetuæ morti matrem traditam, per quam carnis initia sumpserat: quia ratio intellectualis animæ, quam solus creauit omnipotens, iudici vniuersorum Deo subdita concordabat.

Luc. 10.

Causa damnationis eius

Conclusio. ISTæ ergo apes futuræ beatitudinis sunt, quæ sextuplici exultatione, superiùs, inferiùs: antetiùs

rius, posterius: à dextris, & à sinistris Domini sui gaudium introibunt, & sic in auras liberas spaciabuntur. *Mat.* 25.



De tentatione diaboli transfigurantis se in angelum lucis.

CAPITVLVM LV.

Hirundines, & aliæ aues depopulantur easdem.



HÆc sunt illa, quæ vexant apes, supple in præsenti vita: & possunt hîc diuersę tentationes & ludificationes dæmonum assignari. Non enim semper vnum modum decipiendi homines habent dæmonia: sed quia memoria, sagacitate, & ingenio præ omnibus mortalibus pollent, de facili videre possunt quis modus sit in decipiendo habilior. Sunt autem quinque modi, secundum quod in textu considerari potest. Per hirundines & alias aues illi quidem dæmones designantur, qui se transfigurant in angelum lucis: vt qui aliàs essent hominibus horrori pariter & timori, specie beatitudinis & claritatis assumpta, in nullo suspecti simplicibus habeantur. 2. *Cor.* 11

Quomodo diabolus ausus fuerit diuina simulare sa:ra-menta, & de puero à beata Virgine Maria protecto.

2\. QVemadmodùm autem transfigurent se in angelum lucis, quia hoc frequenter legitur & auditur, narrationem in hac parte suspendo, referamque quiddam cunctis seculis inauditum, quàm superbissimè ipsa diuinissima ac angelis reuerentissima sacramenta diabolus ausus sit simulare. Non tamen lectorem tædeat, si facta terribilissima & mirabilissima referam, quæ nostræ persecutionis articulum præcesserunt. Me in Episcopatu Cameracensi in Brabantiæ partibus tunc manente, cùm in illa Dominicæ passionis sexta feria ante pascha, confessiones audiens, in ecclesia residerem, aduenit puer annorum ferè quindecim, mihi cum dolore mirabili procidens ante pedes. Qui dixit: Miserere mei domine, miserere, quia mihi terribile quid accidit in hac die. Obstupefactus ergo, quid tam horrendum tali puero contigisset, hortabar etiam ipsum cum lacrymis, vt audacter ediceret quid hoc esset. Heu, inquit, domine, sedebam in campo cum socijs iuxta oues, incidi hastulam ad sagittam faciendam, & ecce hastula sine vllo meo vulnere, vel læsione, sanguine tincta est & respersa. Hoc cùm audissem, miratus quidem sum, & gauisus, quòd puero nihil grauius accidisset, omen tamen futuri alicuius infortunij mox aduerti. Confortatum ergo, admonitum, & absolutum puerum dereliqui. Nec vix dierum septem spatium intercessit, cùm ecce materfamilias eiusdem pueri, puerum nunciat

ms.p.¯b.c.3. imp.persecutionis.

gra-

grauiter infirmari, & meum aduentum cum lacrymis * postulare. Nec mora surrexi, & veni ad puerum, confessus est peccatum in tali ætate grauissimum, quod ei feria sexta post diem Paschæ contigerat, & adiũxit: Huius, inquit, sceleris horrore contabui, & statim elangui. Nocte autem media, cùm solus iacerem in lecto, mori mihi visus sum: & ecce viri turpissimi meam animam rapientes, per vallem fumo teterrimam & longissimam portauerunt, & in puteum altissimum, flammeis * caloribus æstuantem, quasi molem glaciei frigentem in ignibus proiecerunt. Nota lector mirabilem comparationem, à tali puero, vt mihi Christus testis sit, recitatam. Cumque ibidem miris incendijs cruciarer, ecce vocem audiui, quasi diceretur: Parcatis puero, parcatis ętati, & subitò ereptus sum, & restitutus vitæ. Oculos autẽ statim aperiens, vidi miræ pulchritudinis dominam astantem mihi, & dicentem: Ne timeas care fili, doluisti, & veniam consequeris. A te nunc cùm recessero, diabolus veniet in specie sacerdotis, ne credas ei, sed manda illum, cui confessus es ante pascha. Hæc dicens, disparuit, & subitò astitit mihi quasi vir reuerendus in specie sacerdotis, alba indutus & casula, velut in candida pixide præferens sacramenta. Me ergo ad confessionem, & sacramentorum susceptionem, residens, hortabatur. Cui cùm signo crucis diutiùs reluctarer, & ille nihilominus à remotis tamen ficta ingereret sacramenta, tandem post lõgum agonem beatam Mariam Virginem inuocaui, & mox seductor ille disparuit, &, me petente, materfamilias vos mandauit. Hæc vt audiui, supra modum miratus sum, & audaciam & præsumptio-

g. præstolari.

g. ardoribus

sumptionem diaboli, qui fictione sua temerare tentauit viuifica sacramenta. Credo enim & certus sum, quia nisi puer fuisset à gloriosa Christi matre & virgine præmunitus, accepisset figmenta diaboli: & per hæc, ad minus, contaminatum corpus posidens, introijsset. Glorificaui ergo Dominum, & multipliciter benedixi, qui tali puero intelligentiam & constantiam dedit, & per eum, & in eo suæ benignitatis & admirationis opera confirmauit. Iussi ergo mox parochianum eius presbyterum accersiri, & eum sacramentis salutaribus præmuniri, sicque die tertia ab hac vita migrauit, & consummatus in breui tempora
Sap. 4. periculosa compleuit.


De eorum deceptione, qui hoc colore bona multa congregant, vt pauperibus largius condant testamentum.

3. Tob. 2. POtest & aliud tentationum genus, hirundinum, quarum stercore Tobias cæcatus est, vel aliarum auium vexatio designare: vt sub virtutum specie vitiorum tenebris inuoluamur. Verbi-gratia, captat quis diues fieri & congregare diuitias, vt in fine condat vberius testamentum, faciatque heredem Christum; qui copiarum suarum dereliquit vel dominos terræ, vel parentes, aut clientulos suos, vel raptores quoslibet nequissimos, possessores. Hoc maximè in clericis * vidimus, quorum tamen bona pauperum esse deberent, & quę eis omni die superfluunr, non in marsupijs, vel in arca, sed indigo ori famelici, & in ventribus esurientium deberent liberaliter erogare.

ms.s. videmus.

Egregium exemplum Guillelmi Parisiensis Episcopi, qui bona canonici intestatè mortui, pauperibus iussit distribui.

AVdiuimus de venerabili Guillelmo, nato Aluerniæ, Parisiensi Episcopo, quòd cùm nunciaretur ei, quemdam canonicum ecclesiæ Parisiensis intestatum decessisse, & ipse de iure canonico in tribus milibus marcharum succedere deberet eidem, complosis manibus, respondit: Absit hoc à me: sed heu misero pecunia sua secum sit in perditionem: & hæc dicens, præcepit pecuniam in vsus pauperum erogari. Bene & dignè dixit, & fecit. 4. Act. 8.



Quòd diabolus faciliter tentat deditos vitio gulæ.

CAPITVLVM LVI.

Insidiantur & ijs (supple apibus) adaquantibus ranæ, hoc est ad aquam bibentibus.



NVLLVS enim decipiendi efficacior diabolo locus est, quàm cùm fideles super cibos & potus immoderatiùs se effundunt. Tunc ad verborum ineptias protracti, faciliùs non solùm ad inania, sed etiam ad prophana deliramenta 1.

procedunt. Hinc Iob, timens filijs suis vescentibus & bibentibus vinum, mittebat & sanctificabat eos, offerebatque holocausta per singulos: ne forte, inquit, benedixerint, id est, maledixerint, Domino in cordibus suis. Et hoc idem naturaliter prodere & significare videtur in ebriosis linguæ titubantis lubricitas post nimię potationis excessum. Quid autem hinc gestum sit, congruè & oportunissimè videamus. Ingluuiei, iuramentis, & maledictionibus in loquendo Gallia pręceteris ferè terris studet auidiùs. In hac, vt à fratre ordinis Prædicatorum audiui, accidit quod subiungo.

Iob 1.


De eo, qui animam suam vendidit, & à diabolo in corpore & anima raptus est in aëra.

2. SEdebant viri quidam in taberna honesti quantum ad seculum, & bibebant: & cùm incaluissent mero, cœperunt conferre de diuersis ad inuicem: & † inuectus est sermo, quid futurum sit post hanc vitam. Tunc vnus: Vanissimè, inquit, à clericis istis decipimur, qui dicunt animas sine corporibus viuere post ruinam. Hoc dicto in risum omnibus concitatis, aduenit homo statura fortis & magnus, & residens cum illis, vinum postulat, bibit, quæritque quis sermo sit inter eos: De animabus, inquit ille, qui suprà: si quis esset, qui meam vellet emere, † foro optimo darem eam, & de precio eius in communi omnibus ad bibendum. Tunc cachinnantibus omnibus, ille, qui superuenerat: Talem, inquit, mercatorē quęro, paratus sum eam emere, dicito, quanti dabis? Et ille elato vultu: Tanti, inquit. Mox conuenientibus eis in precio, soluit emptor statim pecuniam,

† i. cœptum est loqui.

† i. vilissimo precio, quod Gall. dicimus bon marché.

niam, & lætantibus omnibus, biberunt pleno calice, non curante ad primum illo, quòd animam suam vendidisset. Vespere autem facto: Tempus est, inquit, emptor, vt quisque nostrûm ad propria reuertatur. Vos tamen antequam separemur date iudicium: Si quis equum emerit capistri vinculo alligatum, numquid cum equo in ius ementis cederet & capistrum? Cui omnes pariter responderunt, vtique cederet. Nec mora, venditorem, quæstionis & responsionis horrore trementem, emptor cum anima & corpore, videntibus omnibus, sursum leuauit in aëra, & secum, vt certum est, ad inferna pertraxit. Diabolus enim erat in hominis specie. Quis enim alius se animarum diceret mercatorem, nisi ille, in cuius figura olim ad Abraham dictum est: Da mihi animas, cetera tolle tibi. Gen. 14.



De dæmonibus aërem perturbantibus.

CAPITVLVM LVII.

Vespæ quoque persequuntur easdem, & impugnant eas odio naturali.



Esparvm generi trium vermium species adiunguntur, blattę, crabrones, atque buprestes: & his quatuor dæmoniorum species figurantur. Vespæ, quæ iracundæ sunt, & homines acutissimè pungunt,

gunt, ſtrepituque tubali per aëra currunt, dæmones illos ſignificant, qui vltione permittente diuina, tempeſtatibus aëris & tonitruis ſe immiſcent: & in his terrent homines, damnificant, & occidunt. Et de his tribus exempla ponemus.

Exemplum de tempeſtatibus & tonitruis ad hominum terrorem à dæmonibus excitatis.

2. IN Theutonia circa annum Domini M. CC. LVI. tantos ventorum, coruſcationum, tonitruorum, & grandinum fragores inualeſcere vidimus, vt homines per ciuitates quaſi amentes incederent, & imminere diem iudicij formidarent. Circa Treuerim vineas demollitas penitus, ſiluas & arbores antiquiſſimas funditùs euerſas inſpeximus, & excelſorum ædificiorum faſtigia corruiſſe. Fuerunt aútem qui dicerent dæmones ſe vidiſſe, & eos, quaſi beſtias diuerſas, in aëre ſibi inuicem ex ventis contrarijs occurriſſe. Hoc de terroribus.

De damno ex tempeſtate grandinis, dæmonibus ſe immiſcentibus, illato, à quo immunis fuit ſola vinea Petri Richardi vſurarij.

3. IN prouincia Prouinciæ apud Lemouicas, tempore ætatis noſtræ, Priore fratrum Prædicatorum eiuſdem ciuitatis narrante, percepimus, tantæ magnitudinis grandines cecidiſſe, vt in vrbibus, villis, atque campeſtribus tecta frangerentur, demolirentur vineæ, fruges redigerentur in paleas, homines extra tecta, volucres in agris, & pecora necarentur. Qualiter autem his ſe immiſcuerit

ſcuerit ſatanas, breuiter audiamus. Vinearum cuſtos ſub tugurio in campeſtribus, imminentibus tempeſtatibus, latitabat, & audiuit clamantium voces in aëre: Caue, caue. Et alius reſpondebat. Quid cauebo? Et primus: Vineam Petri Richardi ne læſeris. Sopita ergo poſtmodum tempeſtate, ſola vinea Petri Richardi immunis reperta eſt à læſura. Erat autem Petrus Richardus (ſic enim binomius dicebatur) vſurarius peſſimus, & obnoxius multis malis. Ex quo conſiderandum eſt, quia in comitatu ſpirituum nefandorum amicos, immo potiùs inimicos, vt ſaniùs loquar, dæmones habuiſſet, qui ei bona ſua, etſi ad vitæ ſolatium, tamen ad perpetuæ damnationis cumulum, conſeruaſſent. Hoc quantum ad damna.

De tibicine à fulmine occiſo, & brachio eius à dæmonibus abſportato, & cadauere eruto de ſepulchro.

AD occiſionem verò hominum, qualiter permittente Deo cooperentur dæmones, audiamus. Marchia in Flandrię atque Brabantiæ diſtrictu villa populoſiſſima ſita eſt, in qua dedicatio celebrata multos ad ſpectacula, & ad luſum traxerat. Inter quos, vt à magiſtro Guillelmo, bono & litterato presbytero, & de eiſdem partibus nato percepimus, quidam tibicen erat, qui chorizantes iuuenes & puellas ſaltationibus & geſticulationibus ſuis ad carmina obſcœna & turpia cōcitabat. Hinc cælo nubibus circa veſperas obſcurato, quique ad propria redierunt. Solo autem tibicine, nondum luſibus ſatiato, per viam ad ſolita remeante, & canente tibia, ac ſal- 4.
tante

tante, & posteriorum sonitibus turpiter insonante, duo pueri pastores, vbi coruscationes & tonitrua imminere viderunt, ad dumeta fugerunt, & eis videntibus in tibicinem fulmen cecidit, & extinxit, & eius brachium amputauit. Nec mora, viderunt pueri, quòd duo nigerrimi canes ex insperato venerunt, & inter se pendulum extincti brachium deportarunt. Hæc post tonitrua nunciantibus pueris, amici venerunt, & cadauer mortui ad propria detulerunt. Manè autem, dicente presbytero, quia in atrio fidelium sepeliendus non esset, quem in ludis turpibus tam notabiliter tonitruum occidisset, responderunt amici: Etsi extinctus sit tonitruo, tamen ad dedicationem ecclesiæ peregrinus cum alijs occurrit. Permisit ergo presbyter, etsi dolens, vt in atrio sit sepultus. Et vide rectitudinem diuini iudicij. Mane facto sepulchrum patens inuentũ est, & loculus, in quo iacuerat vacuus & eiectus. Cadauer verò, vt optimè credi potest, sicut & eius brachium, à dæmonibus absportatum est. Nota ergo lector, quia tali vindicta digni sunt, etsi eos, parcente Deo, tales semper casus non puniant, qui turpibus ludis & cantibus sacra fidelium atria & ecclesiam inhonorant.

De blattis, & qui dæmones per eas significantur.

5. Lib. 9. SEcunda species vesparum est blatta, de qua liber de natura rerum dicit, quia lucifuga est, & in tenebris ambulat. Hoc verme dæmonia figurantur, quæ nocte hominibus apparent in somnis, & eos visionibus phantasmaticis polluunt & illudunt.

De

De monacho, cui dæmon insultauit, quòd ei in somnis pollutionem excitasset.

DE hoc quiddam ridiculosum legisse me meminimi. Cùm quidam monachus ad obsessum energumenum accessisset, circumstante multo populo eum cũ irrisione mordaci dæmonium inclamauit, dicens: Eia, frater, eia, numquid pulchram tibi in hac nocte mulierem in somnis adduxi? Quippe, vt post confusionem monachus retulit, in somnis pollutus fuerat illa nocte, & non confessus fuit. 6.

Quòd dæmones quidam nocte nocendi & apparendi vim habent, non interdiu, nihil tamen poßint, nisi à Deo permissi.

SEd & in nocte quædam dæmonia virtutem nocendi & apparendi accipiunt, quam lucente die habere non possunt: & hoc ad fidem fidelium roborandam. Faciliùs enim homo nocte, quàm die, terretur. Nihil tamen diabolus, sicut dixit beatus Augustinus, vel nocte, vel die potest, nisi permissus: & vide quàm pulchro & euidenti exemplo. 7.

Aug. l. 11. de Gen. ad. lit. c. 12. in Ps. 26 & 100. & alibi.

De dæmone, qui cadauer in feretro locatum, noctu intrauerat, ad virginem quamdam piam inuadendam, sed assumpto baculo crucis effugatus est.

VIdimus in villa † Niuellæ virginem Deo dignam, de qua veriſſimè narrabatur, quòd mortuis parentibus in domo fratris militis relicta, 8

† i. territorij Niuellensis.

cta, pro Cisterciensi ordine diu laborans, nec ad effectum perducere valens, fortiter in animo statuit secundum posse suum, etiam in seculo ordinem obseruare. Incessit ergo sine lineis, obseruauit ieiunia, silentium tenuit, caruit carnibus, hora matutinarum surrexit, ecclesiam intrauit, horas regulares exsoluit. Contigit autem, vt ea ignorante, mortuum cuiusdam defuncti corpus vespere ad ecclesiam deferretur, & solum in feretro relinqueretur. Surgens ergo media nocte virgo, quam diximus, intrauit ecclesiam, inuenit quidem mortuum, sed parum aut nihil timuit, resedit, horas incœpit. Hæc vt vidit diabolus, inuidit, & corpus mortuum intrans, loculum primò mouit. Virgo igitur se consignans, constanter ait, & inclamat diabolo: Quiesce miserrime, quiesce, quia nihil poteris contra me. Et mox diabolus surgens cum corpore: Verè, inquit, nunc potero contra te, & meas iniurias à te passas frequētiùs, vindicabo. Hoc illa vt vidit, imperterrito corde baculū cum infixa cruce ambabus manibus rapuit, & in capite mortuum feriens ad terram proiecit, & sic fideli audacia dæmonē effugauit. Diu ergo virgo Christi, & cum maxima angustia laborauit, vt cadauer deiectum in feretro relocaret: sed frustra, quia non potuit. Veniens autem manè presbyter cum custode, miratur deiectum corpus, & vulneratum in capite. Querit quid actum sit, fatetur virgo cum lacrymis, rogat obnixiùs releuari corpus: negat ille, dicens: Visurum potiùs populum, & per gestam rem excitandum in laudem Christi. Mox turbata virgo, vbi presbyterum inuincibilem & inexorabilem vidit, vanam nimirum gloriam & erubescentiam reformidans, domum fra-

tris, cognationem, & patriam dereliquit, nec vmquam ad eam postea redijt, sed vsque ad mortem in Niuella permansit.

Partitio dæmonum ex locis, in quibus commorantur, & vim suam exercent.

TErtia species vesparum sunt crabrones, & vt dicit liber de natura rerum: Crabronum fœtus inæqualis & barbarus est: Alius in aqua natat: alius super terram repit: alius in terra manet: atque alius in aëra volat. Et in his omnibus multiplicitas dæmonum comparatur. Sunt enim dæmones, qui in aquis manent, & hos Poetæ † Neptunos vocant: alij, qui super terram, & hos Incubos: Alij in terra, sicut in speluncis montium, aut in siluis, & hos Dusios vocat Augustinus: Alij in aera, & hos spiritualia nequitiæ in cælestibus Apostolus vocat. De his quatuor, prout in suis locis habent dominium, permittente tamen illo, qui omnia in numero, pondere, & mensura disponit: per ordinem dicemus. 9. *lib. 9. ex Plinio l. 11. histor. nat. c. 21* *Belgic. Nekers.* *Dusiorum meminit Aug. l. 13. de ciuit. c. 23.* *Eph. 6.* *Sap. 11.*

De Neptunis dæmonibus.

NOn nisi singulariter Neptunus ponitur * ab Aristotele, licet Neptunos pluraliter hîc ponamus. De Neptunorum factis multa ridiculosa & magna mirabilia referuntur, & certa fides est, quòd frequenter audiuntur ab hominibus, & videntur, rariùs tamen nostris temporibus, postquam fides cœpit enucleatiùs prædicari. 10. *ms. s. à quibusdam. ms. p. aquarum.*

De

De puero gentili à Neptuno occiso, qui reuixit, & postea Prædicatorum ordini sociatus est.

11. NArrauit mihi quod subiungo vir bonus & sanctus, sacerdosque, & frater ordinis Prædicatorum, nobilissima Ducum prosapia oriundus, de gentibus Comanorum. Hic ad fidem Christi conuersus fuit illo tempore, quo gens ipsa Comana percussa & fugata est à populo Tartarorum. Hic puer adhuc gentilis, vt referebat mihi, annorum ferè septem, cum sororibus suis, & puellis alijs in ripa fluminis iocabatur, & subitò inter ludendum de aqua egressus quasi vir teterrimus & pilosus, ludentes inuasit, dicens: Quid me hîc inquietatis ô pueri? Cunctis ergo fugientibus, dictum puerum in fuga ceteris tardiorem in dorsò claua percussit, & mox occidit, & regressus in aquam saltauit. Sorores autem mortuum puerum rapientes, ad tabernaculum detulerunt. Nondum enim Comani domibus vtebantur. Aggregatis ergo parentibus fit planctus pro puero: sed ante mediam noctem, cum multa *sororum suarum lætitia, mortuo restituta est vita. Credo fidentiùs, sicut postea patuit, quòd ex tunc in puero salutis opus diuinæ prædestinationis benignitas causabatur.

Sub annum 1211. ad quē vsque Tartari in Europa incogniti.

ms. p. 2. imp. suorum. ms. b. c. tert. imp. omit. suarum.

Visio eidem puero exhibita, qua declaratur quantum sit malum, etiam in rebus paruis, inobedientia.

12. ALiud mihi idem optimus frater de se, licet ad rem non pertineat, quam nunc habemus in manibus, narrauit, quòd ad ædificationem legentium

gentium breuiter enarrabo. Ipse adolescentulus baptizatus, & à Priore ordinis Prædicatorum in Hungaria receptus ad ordinem, in habitu seculari in scholam datus est. Præceptum autem est illi, vt nihil sicut frater, sine licentia ageret prælatorum. Hoc quidem, etsi in pluribus obseruauit, contigit tamen, vt lotrici suæ tunicam veterem sine licentia daret. Post hoc autem cœpit grauiter infirmari, & acuta febre laborans, sine confessione, sine viatico, vt ei videbatur, ad extrema perductus est. Nec mora, vbi dæmones eum rapere voluerunt, affuit angelus cum miro nitore pennarum, dicens: Fili ne timeas, Michael Archangelus ego sum, te contra dęmones defensabo. Secedentibus ergo ceteris, vnus dæmonum cauillatior alijs, tridente animam rapere conabatur, quem Michael graui animaduersione corripiens, effugauit. Nec mora, Michael animam ad paradisi ianuam introducere voluit. Sed vir grandæuus & magnæ auctoritatis resistere visus est, dicens: Animam Michael reducas ad corpus, vt cum aliis peccatis præcipuè inobedientiam corrigat. Statim igitur anima reducta ad corpus, adolescens se cretico südore perfusum inuenit, & oculos aperiens, Priorem ante se sedentem vidit: cui mox confessus, quid vidisset exposuit. Hunc post studia litterarum oportunè fratrem indutum, & in sacerdotem promotum vidimus, qui suæ posteà genti fidem exponens, Comanorum populum non modicum baptizauit.

De dæmonibus incubis.

13. HInc de incubis dæmonibus ſequitur. Incubos dæmones oppreſſiſſe feminas quaſdam: alias venereis confabulationibus ad concubitum illexiſſe, in confeſſione pluries audiuimus.

De incubis & ſuccubis Cæſar. l. 3. à fine c. 6. vſque ad c. 13.

De virgine ab incubo afflicta.

14. HArum autem vnam virginem in religioſo habitu vidi, quæ cùm primò diceret: numquam ſe in concubitum conſenſiſſe, plurimùm admiratus ſum, quo iudicio hoc potuiſſet in anima non conſentiente omnipotens permiſiſſe. Credere ergo illi nullo modo volens, horrificis iuramentis virginem conteſtatus ſum, & tandem ab ea violenter extorſi, vt cum maximis lacrymis & erubeſcentia fateretur, ſe primò mente quàm carne corruptam. Et vide quàm occultum & mirabile iudicium æquitatis. Illa vtique, cùm poſtea quaſi doleret ad mortem, & confiteretur cum lacrymis omni die, nulla tamen arte vel ſtudio ab incubo potuit dæmone liberari: ita vt nec vlla ei valeret crucis ſignatio, non àqua benedicta, non ipſa ſacri Chriſti corporis, ipſis angelis terrifica ſacramenta, donec poſt annos multos oratione & ieiunio piæ Luthgardis dæmon incubus totaliter fugaretur. Et nos quidem credimus & fatemur (ſaluo tamen iudicio ſententiæ melioris) quòd poſtquam de peccato ſuo amarè fleuit & doluit, potiùs ei concubitus dæmonis pœna culpæ, quàm culpa fuit. †

Id verũ eſt, ſi nullo modo conſenſit, ſicut & in alijs violentis oppreſſionibus.

De

De Christina moniali Vallis-ducis, quæ prædictæ pœnam in se suscepit, sed citò renunciauit.

DE hac eadem muliere vexata, venerabilis & Deo digna monialis de Valle-ducis in Brabantia, Christina nomine, mihi narrauit, quia cùm illa in vigilia Pentecostes negaret se cum lacrymis suscipere sacramenta, eò quòd à dæmone importunius vexaretur, dixit ad eam in magna compassione Christina: Vade, quiesce securiùs, cras corpori communicatura Dominico, ego autem in me recipio pœnam tuam. Recessit illa gaudens, dormiuit in pace cum alijs, ad orationem de nocte surrexit, mane cum omni tranquillitate sacramenta suscepit. Christina autem quasi nihil ponderans, quòd in se pœnam vexatæ susceperat, vespere dormitum iuit. Nec mora, cùm se sopori dedisset, audit præter solitum in * stramento cubilis sui quasi porcellum commouentem se & inquietiùs agitantem. Surrexit illa, in nullo suspicata diabolum, colo, quam habebat ad lectum, fugare nititur quidquid esset: quo facto recumbit iterum: iterum, iterumque; sed pauidiùs molestata, surrexit: & cùm hoc pluries attentasset, manifestè tandem sensit & vidit euersis ferè straminibus, quòd dæmoniacæ prauitatis nequitia vexaretur. Dimisit ergo lectum, tota nocte permansit insomnis, & cùm orare vellet, dæmonis succutiebatur insultu. Quid plura? Dixit & verè credidi, quòd numquam ante tanta & talia pertulisset. Mane facto, cùm prædicta mulier communicata fuisset, Christina ad eam veniens: Renuncio, inquit, renuncio pœnæ tuæ, vix sine

15.

ms. p. stramine.

vitæ diſcrimine violentiam crudeliſſimi tentatoris euaſi.

Incubos generare ex Beda, & qua ratione.

16. INcubos generare, Beda in hiſtorijs Britonum, & multæ aliæ ſcripturę teſtantur. Qua autem ratione hoc fieri poſſit non video: niſi hac ſola, quòd virile ſemen effuſum mox in vas muliebre cum debita temperantiæ qualitate transfundant. Sed ſic propriè generare incubum non dicemus. Infinitas tamen rationes latere humanis ingenijs in rerum ſecreto naturæ pleniſſimè confitemur, & pauciſſimas reſpectiuè hominum ſenſibus apparere.

De Duſijs dæmonibus, & quomodo vno corpore ſublato aliud ſubſtituant.

17. HInc de Duſijs, vel Duſionibus, quæ eſt tertia ſpecies dæmonum, ſequitur. Duſiorum dæmonum opera multa percepimus: & hi ſunt, quibus gentiles lucos plantatos antiquitus conſecrabant. His adhuc Pruſſiæ gentiles ſiluas æſtimant conſecratas, & eas incidere non audentes, numquam ingrediuntur eaſdem, niſi cùm in eis dijs ſuis voluerint immolare. Hi ſunt etiam dæmones, de quibus beatiſſimus Auguſtinus in libro de ciuitate Dei euidentiſſime ſcribit, qui hominum viuentium corpora, vt Dianæ, ſubitò ex hominibus rapiebant, & cum ea, deluſi homines, in alias regiones delata vidiſſent, quæ apud ſe mortua æſtimabant, illa iam immortalia facta credebant, & in deorum numero computabant. Sic & nos

Aug l. 18. de ciuit. c. 18.

& nos etiam temporibus modernorum frequenter audiuimus, quaſi in agone mortis poſitas mulieres ſubitò rapi, & earum loco à dæmonibus figmenta deponi, & ipſa figmenta ſimillima raptis corporibus, quaſi mortua ſepeliri: viſas verò poſtea feminas, & inter homines conuerſatas. Numquid Magi in Ægypto coram Pharaone virgas ſuas in dracones conuerterunt, ranas fecerunt, & aquas fluminis in ſanguinem mutauerunt? Vt autem dicit veridicus Auguſtinus: Per mundum dæmones diſcurrentes, occulta ſemina deferunt, per quæ ſubitò talia figmenta procedunt.] Et vtique illa, quæ magi in Ægypto fecerunt, vtpote dracones, ranas, & ſanguinem, vera ſigna fuerunt, & hoc non fallaciter, licet nequiter, ſed veraciter oſtenderunt. Quid ergo culpatur, ſi quis dixerit, quòd dæmones ſubitò figmentum humano corpori ſimillimum faciant, & pro ſublato corpore ponant? Quis enim dubitat dæmones ingenio ſagaciori callere quàm homines, vt in infirmitate cuiuſlibet iudicare poſſint de facili de conualeſcentia hominis, vel de morte, & ſecundum hoc, ſi conualeſcere debet, eum rapere, & ad aliena transferre. Si enim per adiunctionem lapidis ophthalmij, vel per necromanticas incantationes aliquis inuiſibilis hominibus reddi poteſt, quare non potiùs opere, & ingenio dæmonum? † Et hoc quidem ſi dæmones poſſunt, ad tempus tantùm poſſunt, & non illud diu durabile figmentum ſimillimum corpori poſſunt efficere, nec corpus diu inuiſibile facere quod ſeponunt.

Exod. 7. & 8.

Similia habet Aug. l. 3. de Trin. c. 8. & 9.

ſ. immediatè, nam & in necromãticis eſt opera dæmonũ.

De filia Comitis Suauelenbergensis, quæ à dæmonibus noctu inuisibiliter rapiebatur.

18. IN partibus Theutoniæ plenissima fratrum Prædicatorum & Minorum, & præcipuè beatæ memoriæ Episcopi Ioannis, magistri ordinis Prædicatorum, attestatione percepi, puellam esse nobilissimam filiam Comitis* de Suauelenberch, in claustro monialium enutritam, quæ per aliquas horas noctis à dæmonibus rapitur, & in ipso raptu inuisibilis & incontrectabilis comprobatur. Et hoc, cùm quidam frater eius carnalis, de ordine fratrum Minorum, experiri certiùs voluisset, accepit dictam puellam, sororem suam in gremio, & brachijs eam fortissimè strinxit, ac tenuit: & tamen veniente hora raptus, de manibus tenentis inuisibiliter & incontrectabiliter tollebatur. Hoc exemplum magister Albertus, frater ordinis Prædicatorum Theologus, in disputatione Parisijs adduxit, cùm coram Episcopo Parisiensi prædicta quæstio de raptu mulierum talium moueretur, sicut ab illis plena fide percepimus, qui in disputatione fuerunt.

2. imp. de Svvanenborch. ms. b c. tert. imp. Suanebergensis.

Albert. magnus.

Quomodo tales alienentur mente.

19. MEntem verò translati hominis qualiter dęmones alienent, videre non possum: nisi eo modo, quo homines per energiam, operationem, & mentis insaniam, vt quæ fiunt cum eis, penitus non aduertant, efficiuntur amentes. Cùm verò voluntate diuina, vel hominum diligentia ita capti à dæmonibus, hominibus restituuntur: per hoc

hoc restituuntur & menti. Numquam tamen sic restituuntur in integrum sanitati, quin semper cor eorum suspensum sit, & pronum ad reditum: sicut illi, qui semel amentiam passi sunt, facillima occasione ad amentiam relabuntur. Quod quidem referunt, qui viderunt, facies sic raptarum, quæ pallidę sunt semper macie, & liuidæ, & oculi magis instabiles, quàm in non raptis.

De figmento reperto loco defunctæ à dæmone subductæ, quam deinde procus accepit vxorem.

GWerthena Brabantiæ villa est solemnis & nota. In hac quidem iuuenis puellam virginem adamauit. Cumque pro eius nuptijs illius parentibus loqueretur, & illi renuerent, puella medio tempore incidit in acutam febrem; qua ingrauescente mori omnibus visa est. Luctu igitur facto, campanæ, quasi pro mortua, pulsatę sunt. Nec mora, iuuenis amator puellæ de villa eadem in crepusculo noctis pergebat ad aliam, & cùm per dumeta transiret, audiuit vocem quasi feminæ lamentantis. Sollicitus ergo discurrens & quærens, auditam inuenit puellam, quam mortuam æstimabat, cui & dixit: Mortuam te plangunt tui, & huc vnde venisti? Ecce, ait, vir ante me vadit, qui deducit me. Stupefactus ad hoc iuuenis, cùm neminem alium, nisi solam puellam videret, audacter rapit eam, & in domo extra villam protinus occultauit. Hinc regressus in villam amicis suis loquitur. Ingreditur ad patrem puellæ cum amicis sedentem ad funus, quærit si filiam suam sibi daret, quam quasi mortuam deplangebat: Cui pater admiratus respondit: Numquid pro Deo mihi 20.

es, vt mortuam ſuſcites, & accipias in vxorem? Et iuuenis: Tantùm, ait, libens ſpondeas, vt filiam tuam habeam in vxorem, ſi viuam reddidero & ſanatam. Cui pater conſentiens, dictum coram omnibus confirmauit. Mox iuuenis, cùm releuaſſet linteum, quo cooperta putabatur, figmentum mirabile, quale à nullo hominum fieri potuit, inuenerunt. Dicitur autem ab his, qui figmenta huiuſmodi diabolica inſpexerunt, ea eſſe interiùs putrido ligno ſimilia, leui exteriùs pellicula ſuperducta. Hinc reducta puella eſt, & patri reddita, ſanaque poſt dies aliquot, dictum iuuenem maritum accepit, & vſque ad tempora noſtra incolumis perdurauit.

De altero ſimili figmento.

21. SImili propè modo, cùm quidam in confinio Flandriæ ſororem languidam & mortuam putatam, ſub eadem die, antequam ſepeliretur figmentum, inter arundineta iuxta maris littora reperiſſet, reduxit eam ad propria, & ingreſſus domum, vbi ab amicis quaſi mortua plangebatur, diſcoopertum figmentum extracto gladio in fruſta conſcidit, horrentibus cunctis atque clamantibus: Cur in funus ſororis tanta crudelitate ſæuiret? Et mox ſubridens: Crudelis, inquit, videor in ſororem, non eſt illud ſororis corpus, ſed figmentum & illuſio dæmonum. Et hæc dicens, ſecum cunctos accepit, & duxit ad domum propriam, & eis ſororem reductam oſtendit. Et hæc vſque ad tempora noſtra permanſit.

Admiratur auctor quomodo prædicta fieri possint.

QVis non obstupescat, in tam videlicet inexplicabilem casum, rerum ordinem & rationem naturæ, super id quod ęstimari poterit, variari? Ego quidem talia fieri, permittente occulto Dei iudicio, per operationem dęmonum, nec inficior, nec confirmo: sed quia obijcientibus talia & verissima assertione firmantibus, subterfugere dissimulatione non potui, ista mihi narrata & inculcata conscripsi, & alijs discutienda reliqui. Gratiùs tamen disputantem & determinantem super præmissis litteratiorem aliquem, & magis expertum optarem audire, quàm de his proprio ingenio temere aliquid definire. Interrogaui super hoc supradictum magistrum Albertum, sed ille dissimulauit, & noluit aliquid definire. 22. *part.* 18.

De falso dæmonum apparatu, confessum Christi, & Sanctorum mentiente, per quem hæreticis imponebat; sed per præsentiam corporis Christi continuò euanuit.

QVomodo etiam in montibus ijdem dæmones Dusij habitare dicantur, & seducere ac dementare deceptos, manifestè monstrabo. Anno ab incarnatione Domini M. CC. XXXI. prædicante in Theutonia magistro Conrado contra hæreticos, & ab eisdem felici morte perempto, hæreticus quidam (vt per fratrem Conradum, Prouincialem fratrum Prædicatorum per Theutoniam, ante multos annos accepi) seductus 23

Idem refert Antonin. in Chron. p. 3. tit. 23. c. 10. §. 1.

ductus à dæmonibus, fratrem quemdam ordinis Prædicatorum ad hæresim inuitabat. Quem, cùm videret instantissimè renitentem, dixit fratri: Pertinax es valde in fide tua, nec tamen de hac, nisi per scripta quędam, aliquid certius inspexisti. Credere autem si velles dictis meis, Christum tibi & matrem eius, ac sanctos oculata fide monstrarem. Mox ille illusionem dęmonum suspicatus, volens tamen probare quid esset: Non immeritò, inquit, tibi tunc crederem, si promissa duceres ad effectum. Gauisus hæreticus diem fratri statuit. Frater verò pixidem cum sacramento corporis Christi clam secum sub cappa portauit. Duxit ergo fratrem hæreticus in specu cuiusdam montis in amplum valde palatium, quod claritatę mirabili relucebat. Nec mora, vbi in inferiorem partem palatij peruenerunt, viderunt thronos positos, quasi ex auro purissimo, in quibus sedebat rex fulgore corusco circumdatus, & iuxta eum regina serenò vultu pulcherrima, & ex vtraque parte sedilia, in quibus seniores, quasi Patriarchæ, vel velut Apostoli, astante permaxima multitudine angelorum: & hi omnes luce siderea coruscantes, vt nihil minus quàm dæmones putarentur. Hos, mox vt vidit hæreticus, cadens in faciem adorauit. Dictus autem frater immotus stetit: sed tanto spectaculo vehementer obstupuit, & mox ad eum conuersus hæreticus: Quare, inquit, Dei filium intuens, non adoras? Pronus accedēs adora quem vides, & ab ore eius fidei nostrę secreta suscipies. Tunc frater accedens propiùs, extraxit pixidem, & obtulit reginæ in solio residenti, dicens: Si regina es mater Christi, ecce filius tuus, quem si susceperis, te velut matrem Dei recognoscam

noſcam. Cum hac protinus voce totum illud phantaſticum euaneſcit, & adnihilato fulgore, tantæ tenebræ † denſuerunt, vt vix frater cum ductore ſuo ad montis exitum regredi potuerint. Conuerſus ergo hæreticus, ad fidem redijt, & miram dæmonis aſtutiam ſtupefactus expauit.

i. denſa facta ſunt, à denſeo, aut denſeſco, vtitur Virg. 7. Æneid.

De ſpiritualibus nequitijs in cæleſtibus, quæ numquam tentare deſinunt.

SEquitur vt de quarta dæmonum ſpecie dicamus, quos Apoſtolus ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus vocat. Et nota, quòd dicit ſpiritualia nequitiæ, ad diſtinctionem dæmonum aliorum, qui ſe corporalibus apparitionibus frequenter immiſcent. Iſti verò ſpiritualiter magis & nequiter atque ſubtiliùs in deceptionem & damnationem hominum debacchantur. Illi enim ſimplices & idiotas decipiunt: per iſtorum verò nequiſſima & aſtutiſſima tentamenta, etiam homines perfectiſſimi cadunt. Illi interdum tentare ceſſant: iſti numquã. Contra hos Petrus Apoſtolus orationibus præcipit inuigilare fideles. Quia aduerſarius, inquit, veſter diabolus, tãquam leo rugiẽs circuit, quærens quem deuoret, cui fortes in fide, id eſt, per opera fidei, reſiſtamus. Circuire autem diabolus dicitur, vt ſi ſuperare non poſsit in vno, vexet te tamen, vt ſuccumbas in alio: vel ſi ad horam ei in tentatione reſiſtitur, nihilominus tamen ingeminare quod ſemel aut pluries ſpreueris, non veretur. Hinc fit quòd quandoque multo tempore reſiſtentem hominem tentat, quem tandem victum tædio à ſtatu virtutis eneruat. Hinc quiddam accidit, quod ſine vlla hæſitationis dubietate cognoui.

24. Epheſ. 6.

1. Pet. 5.

De

De puella vehementer tentata, cui Christus apparens, ab omni tentatione eam liberauit.

25. ERat puella quædam in Brabantię partibus inter proceres generosa, quæ in amorem cuiusdam iuuenis per multos annos miro dæmonum stimulabatur insultu. Hæc, cum mihi frequenter cum multis lacrymis in confessione diabolicas insidias aperiret, consului vt summopere caueret; ne nutu, aut verbo iuueni tentationis occasio præberetur, & paruit illa diligenter vt monui. Cumque adeo grauiter tentaretur vt somni, cibique perderet appetitum, accidit nocte quadam, vt tanto dæmonum agitaretur impulsu, quòd superueniente aurora surgere cogitaret, & clam adire iuuenem, qui in vicinio morabatur. Nec mora, vbi surgens oculos aperuit, vidit Christum quasi plagis recentibus crucifixum, leni sermone dicentem sibi lingua patria:

Moy dois aimer, ie suis tresbiau,
Bons, & doux, noble, & loyau.

Quod nos Latinè coloratis verbis exponimus: Me diligas, qui sum formosus, bonus, dulcis, & generosus. Vnde versus:

Dilige formosum, dulcemq́; bonum, generosum.

Hæc vt dixit, repente disparuit, & puellam in omni pace, & gaudio, & gratiarum actione, ab omni tentatione liberrimam dereliquit. Bene & veridicè de se Christus asseruit. Diligendus est
Psal. 44. enim prę omnibus, quia speciosus forma præ filijs
Heb. 1. hominum, & sicut splendor gloriæ & figura sub-
Isa. 40. stantię patris. Contrà de homine dicitur: Omnis caro fœnum. Diligendus est, quia bonus, à quo omne

omne bonum. Contrà de hominibus: Nemo bonus, nisi solus Deus. Diligendus est etiam, quia dulcis, cuius labia fauus distillans. Misericordia enim eius super omnia opera eius. Contrà de homine Salomon quęrit: Nequius oculo quid creatum est? qui tamen est lucerna corporis nostri. Diligendus est etiam, quia generosus, quem Deus pater constituit heredem vniuersorum, per quem fecit & secula. Contrà de hominibus Malachias dicit: Numquid non pater vnus omnium nostrûm? Quare despicit vnusquisque proximum suum? Meritò ergo puellæ iuuenem diligenti Christus per hæc verba conclusit, & se potius diligendum, formosum, bonum, dulcem, & generosum comprobauit.

Luc. 18. *Cant. 4.* *Psal. 144.* *Eccli. 31.* *Mat. 6.* *Heb. 1.* *Mal. 2.*

De religioso Cisterciensi grauiter tentato, cui Christus apparens, & hordeaceum panem, tinctum sanguine lateris sui porrigens, liberauit.

76.

SImili propè modo cuidam militi ad Cisterciensem ordinem transeunti Christus in visione conclusit. Nam cùm ille grauissimè à diabolo ad exitum tentaretur, & de nocte in noctem meditaretur apostatare per fugam, semel parato ad exitum, & quasi commodiorem horam noctis in lectulo præstolanti, & semiuigilanti, Christus apparuit in forma personatissimi viri: Et cùm ab illo quæreret: Quid sic iacens haberet mali? Respondit ille: Dolorem cordis habeo, & magnum defectum debilitatis in membris. Cui Dominus, grossum panem hordeaceum offerens, dixit: Surge & comede panem istum. Quem ille turbatus intuitus: Quomodo, inquit, grossum panem

Simile, si nõ idem, refert Cæsar. l. 4. c. 80.

panem istum comederem, qui panem monasterij similagineum manducare non possum? Tunc Dominus detecto latere, vulneri pectoris, sanguine & sanie profluenti; hordeaceum panem admouit, & tali profluuio madefactum iubet commedere languescentem. Mox ille cum horrore membris disiliens: Heu, inquit, Domine, quomodo taliter pollutum comederem, * quem impollutum recusabam? Et Dominus quasi minaci vultu imminens refutanti: Oportet, inquit, vt gustu saltem attentes quid sapiat panis iste. Cumque ille diffugium non haberet, & susceptum panem tremebundus summis vix labijs attigisset, sensit in pane super omnem suauitatem dulcorem mirabilem, quem hianti quidem ore contrectans, totum subitò cum mira auiditate comedit. Nec mora, Domino disparente, tentatus ille ad se reuersus est, & quid vidisset, sensissetque sincero corde retractans, ab omni dolore mentis, & carnis tentatione conualuit, & in magna tranquillitate spiritus vsque in finem vitæ permansit. Quid mirum? Hordeaceus panis austeri ordinis, mellea Christi lateris perfusione linitus est.

ms. s. qui priùs saltem mundum, sed asperum. comedere recusabam.

De aëreis illusionibus.

27. SEd & hoc genus dæmoniorum, cùm aliter decipere homines quandoque non possunt, demonstrationes in aëre faciunt, quibus simplicium corda in admirationem insolitam excitata, potestatem facientium talia venerentur: & quasi super omne miraculum, quod à sanctis in terra fieri videmus, sicut veraciter fit in diuersitate morborum: illa * spiritualia nequitiæ in cælestibus,

ms b. c. tert. imp. figmen-

bus, quod est in aëre, curiositate gaudentes attollant. In his respondendum est, & oculata fide monstrandum, quòd licet talia fieri videantur, in re tamen nulla prorsus sunt; sicut nec illa, quæ simillima veris & subsistentibus rebus in speculo contuemur, cùm nulla tamen existentia vel veritate subsistant: sed speculo ab obiecto sublato, mox obiecti similitudo subtrahitur in vidente.

ta nequitia, quæ fiunt in aëre. ms. p. 2. imp. omit. sed malè, in cælestibus.

De repentina tempestate, arte dæmonum suscitata, dum ex fonte quodam Britanniæ aqua super vicinum lapidem effunditur.

QVid autem hinc sub verissima attestatione contigerit ostendamus. Fratrem Henricum Theutonicum, quondam Lectorem fratrum Prędicatorum in Colonia, virum in omni scientia cum sanctitate conspicuum, de quo superiùs fecimus mentionem, attestantibus fratribus, narrantem quod subjungo audiui. Cùm quidam frater nobilis genere & rebus pollens, de Britanniæ partibus, ordinem Prædicatorum intrasset, apud Lugdunum Galliæ cum fratribus morabatur: appropinquante autem tempore professionis suæ petiuit à Priore suo redire ad terram suam, vt disponeret de rebus suis: & annuit Prior, cum eoque iter arripuit. Cumque venissent in deserta Britanniæ, dixit frater Nouitius Priori suo: Vultis videre antiquum illud Britanniæ miraculum? Et Prior: Quod est illud? Et frater illum ducens ad fontem lucidissimum, super quem lapis, instar altaris, in columnis marmoreis locabatur, aquam protinus superfudit. Nec mora, contenebrato cęlo, cœperunt nubes concurrere, mugire tonitrua, imbres

28.

l. 1. c. 3. p. 6. c. 19 p. 3. l. 2. c. 10. p. 36. c. 43. p. 4. c. 54. p. 1.

imbres ruere, fulgura coruſcare, ſtatimque tanta inundatio facta eſt, vt circa locum ad leucam vnam tota terra obrui videretur. Quod vt vidit Prior miratus eſt, & audiente dicto fratre Henrico, magiſtro ordinis beatæ memoriæ fratri Ioanni Epiſcopo, & alijs pluribus fratribus enarrauit. Hoc idem audiui à patre meo ante annos quadraginta, qui illis in partibus ſub rege Richardo Angliæ militauit. Hæc cùm dictus frater Henricus mihi & multis alijs recitaret, quæſiui vnde iſta fieri potuiſſent? Et reſpondit, quòd arte magica, ignota modò hominibus, & miniſterio dæmonum, qui ad tempeſtates & pluuias aëra poſſunt impellere, & concitare cùm volunt, occulto tamen Dei iudicio permittente.

Pater auctoris.

De caſtro ſuper mare viſo per illuſionem diabolicam.

29. EVndem fratrem Henricum, & iſtud valdè mirabile narrantem audiui. Eo exiſtente Priore Prouinciali fratrum Prędicatorum in partibus tranſmarinis, accidit vt in † Aconenſem ciuitatem, gratia viſitandi fratres ſecundum ordinem, adueniſſet. Facta autem cena vno veſpere, ſecundum morem ſuum, totum conuentum, vt cis collationem faceret, extra clauſtri ambitum conuocauit. Eſt autem locus prope mare ad partem occiduam ciuitatis. Conſedentibus ergo cunctis, ſuper mare prope littus nebula conſcendebat, qua poſt paululum adnullata, apparuit ſuper mare mons altus atque diffuſus, & ſuper montem ſtructura in modum caſtri, murorum ambitu, turribus, ac palatijs decentiſſima diſpoſitione mira-

Ipſa eſt Ptolemais, quæ alio nomine Aco, & Acon appellatur.

mirabilis; & ab ipso castro vsque ad littus pons ingens, cum multa diffusione protensus; per quem equites & pedites diuersi schematis atque figuræ ascendere & descẽdere videbantur. Cùm ergo fratres aliquamdiu, tali spectaculo nimirum attoniti tenerentur, dixit fratribus dictus Prouincialis frater Hẽricus: Surgamus fratres, eamus ad orationem, illudit enim diabolus oculis nostris, vt curiositate nos teneat, & à Dei opere torpeamus. Secedentibus fratribus, aliqui curiositate ducti, vsque in finem euentus immobiles permanserunt: videruntque, instante nocte, vt priùs, maris vndis nebulam superspargi, & post modicum nebula disparente, nullam structuræ illius subsistentiam comparere. Horum similia multa videri antiquitus in Angliæ partibus dicebantur: sed prædicatione veritatis, figmenta falsitatis nunc credimus adnullari.

Ad omnem actum, ad omnem incessum, manus pingat Domini crucem.] *Verba Hier.*

SIue ergo dormiat, siue vigilet, siue studeat, siue ambulet quis fidelis, secundum Hieronymum, semper manus pingat Domini crucem, quæ contra dæmones est totius virtutis insigne. 30. *Hier. ep. ad Eustoc. de custod. virg.*

De quodam, qui per illusionem dæmonum, dormiens ea faciebat, quæ vigilans nequiuisset.

DOrmientes enim, ac si vigilarent, non solùm in anima, sed etiam in corporibus vexant, & eos surgere, ambulare, & loqui faciunt, & ad facinorosa sæpius prouocant & impellunt. Ha- 31.

bui in ſcholis ſocium, qui me vidente & audiente, non ſolùm facta, ſed & dicta, lectioneſque de die receptas dormiens recitabat, quod, vt certus fui, vigilans nullatenus potuiſſet. Huius rei ſunt exempla plurima.

Mirabile de cæco bubulco, qui cuiuſque coloris vaccas poterat adducere, quod, cùm in eo fieret operatione dæmonum, accepto Confirmationis ſacramento ceſſauit.

32. DE vigilante verò, venerabilis Bonifacius quondam Lauſanenſis Epiſcopus, me audiente, tale quid recitauit. Erat in villa quadam cæcus quidam, qui vaccas totius villæ in paſcuis cuſtodiebat, repellebat à frugibus, & ad certa loca paſcuis vberiora ducebat: & quòd maioris erat prodigij, colores & ſtatum ſingularum vaccarum ſpecialiter diſcernebat. Verbi gratia, vt ſi vaccam coloris talis ab eo petiuiſſes, ſine difficultate vaccam talem tibi apprehenſam cornibus obtuliſſet. Ad locum autem cùm quidam Epiſcopus aduenisſet, & de cæco audiſſet talia & probaſſet, quæſiuit ab illo, ſi Confirmationis ſacramentum ab Epiſcopo ſuſcepiſſet? Et ille: Non, inquit. Nec mora, Epiſcopus confeſſum confirmauit cæcum, & mox ab eo vaccarum diſcretio eſt ſublata: quoniam dæmonum operatione & miniſterio hoc fiebat.

De eo, qui ſtudere volens mox dormitabat, quia ſigno crucis ſe nón munierat.

33. IN ſtudente autem quid factum ſit, à fratre ordinis prædicatorum audiui. Frater quidam poſt

post matutinas residere in cella sua voluit, vt studeret: & mox vt oculos obiecit libro, dormitabat. Cumque sæpius reluctaretur, nec præualeret, impatiens dixit sibi: Quid est quod tibi contra solitum præualet somnus? Et mox diabolus ad eum: Nondum clausę sunt portæ. Et ille: Quomodo, inquit, claudentur? Et dæmon: A vertice vsque ad pectus, ab aure vsque ad aurem. Et nota lector, quod in hoc crucis mysterium demonstrauit. *Virtus signi sanctæ crucis*

De Alberto magno, qui dæmonem volentem eum à studio reuocare, crucis signo fugauit.

Simili propè modo magister Albertus Theologus, frater ordinis Prædicatorum narrauit mihi, quòd Parisijs illi dæmon in specie cuiusdam fratris apparuit, vt eum à studio reuocaret, sed mox crucis virtute discessit. 34.

De duobus fratribus Prædicatoribus à dæmone in via delusis.

QVid autem in deambulatione factum sit, audiamus. Narrauit mihi frater ordinis Prædicatorum, quòd in itinere positus, in specie socij sui, qui retro, se à via parum declinans, remanserat, diabolum vidit præcedere: & cùm illum socium crederet, & eum assequi vellet, nec posset: tandem cùm villam ingrederetur, & ille non compareret, solumque se videret, mirè turbatus est. Qui veritus sine socio intrare domum, resedit mœrens. Nec diu pòst, socius eius & ipse turbatus, intrauit villam, & inuenit socium anxiè 35.

residentem. Qui præ admiratione signantes se,& quid actum sit conferentes, ambos se illusos à dæmone repererunt.

Monet religiosos ne à socijs in via remotiùs seiungantur.

36. CAueant ergo fratres Prædicatores, siue Minores, ne sanctæ, & excellentissimæ institutionis regulam excedentes, socium, nisi exspectatum à visu, præcedere vel subsequi patiantur: quia certus sum, quòd ista, & multò maiora horum pericula de momentanea sociorum diuisione frequentiùs euenerunt. Neque enim nescius futurorum periculorum atque malorū Christus princeps salutis humanæ extitit, vel esse potuit: qui combinatoriè discipulos ordinauit. Luc.10.

De dæmone in specie pulcherrimæ mulieris ad lectum cuiusdam F. Prædicatoris accedente, ab eoq; repulso, & quomodo clamare non potuerit.

37. EXperti sunt multi & aliud nocendi genus. Est frater ordinis Prædicatorum mihi consanguinitate coniunctus, cui hoc accidit, quod subiungo. Iacebat vno mane in dormitorio vigilans ante primam:& ecce vidit dæmonem in specie pulcherrimę mulieris in dormitorium venientem, & turbari grauiter cœpit, quòd mulier illic, & hoc illa hora intrare permissa fuisset, dæmonem hanc esse minimè suspicatus. Nec mora, progrediens mulier, se iuxta fratrem in lecto, quasi risu iocundo illum alliciens, collocauit. Qui statim horrens,& se signare volens, nec valens: dorsum

ſum tandem ad parietem ponens, & pedibus latus illius concutiens, cùm pugno eius faciem percutere voluiſſet, os dæmon latè diffuſum aperuit, & à lecto detruſus cecidit, & ſic repentè diſparuit. Tantus autem colluctantium fratris ipſius & dæmonis ſtrepitus fuit, vt à fratre in proximo iacente lecto & ſtupente, clariùs audiretur. Clamare autem frater paſſus violentiam dæmonis cùm voluiſſet, vt mihi narrauit, non potuit: ſed tantùm, quaſi mutus, irrugijt.

Quomodo dæmones & lupi vocem auferunt hominibus.

Et mirum valde, qua virtute, qua arte dęmon hoc potuit; & maximè contra iuuenem, qui 38.
Dei gratia plenus fuit. Sed hæc quæſtio citiùs ſoluitur, ſi de lupis beati Ambroſij ſententia in hexameron videatur. Homo, quem lupus priùs viderit, conticeſcit, & anticipatus obtutu nocentis, licet clamandi voluntatem habeat, non habet tamen vocis miniſterium: deſpicitque eum lupus tanquam victor vocis ablatę. Et hæc ratio naturalis. Lupus radijs oculorum ſuorum immiſsis homini, eius ſpiritus viſibiles deſiccat in inſtanti, quibus deſiccatis, ſiccantur arteriæ; & ſic raucus efficitur, inſtrumento vocis obligatiùs impedito. Si ergo luporum natura talem violentiam per ſolum contuitum habere probatur; quin potiùs natura dæmonum, quæ multò ſubtilior, ſagacior, & potentior eſt, poterit præſentia ſuæ malitiæ vocem obligare in homine, viſumque pariter & auditum.

Ambr. l. 6. hexaëm. c. 4

Idem narrat auctor sibi accidisse, viso dæmone in specie socij sui, turpiter nudato.

39. ET mihi simile quid accidit, per quod & ista probantur. Accersitus ad compescendas inimicitias, quæ inter duos fratres carnales grauissimæ versabantur, cum fratre eorum sacerdote præclaro, iter arripui. Vbi ergo sacra nocte ante vigiliam Paschæ in cenaculo iacebamus, spacio trium milliarium aut quatuor †, ante diem euigilaui, & hortabar, vt sacerdos descendens inferius, ignem in candela deferret, qua, inspecto libro, matutinarum officium cantaremus. Paruit ille, & cùm candelam accendere voluisset, tanto tremore concussus est, vt sine igne recurreret, dicens: Ignem ad præsens non habeo, expectare lucem diei nos oportet. Sic ille vitauit mendacium, & pusillanimitatis suæ verecundiam non detexit. Annui mox verbis illius, quia suscitare quempiam illa hora de familia non decebat. Ergo vbi obdormiuimus, non euigilaui vsque ad ortum solis. Excitatus ergo, & dolens dormiuisse tam diu, surgens in lecto consedi, apertis autem oculis, ad fenestram vidi quasi socium meum, caluo capite, nudato inguine, extento asinino veretro velut ad vrinam faciendam, dæmonem stantem. Indignatus ergo socio meo vehementer, cùm eum increpare vellem, nec possem ablata voce, audiui mox stertentem socium ad pedes meos in lecto, clamansque, voce reddita, vocaui socium. Quo cum stupore surgente, dixi ridens: Ecce iuxta me ad fenestram in specie tua cum quanta inordinatione stat diabolus, & me contra te val-

† *f. à loco, ad quem tendebamus.*

te valde commouit. Hæc autem dicens, vidi quia malignus ille per fenestram quasi fumus euanuit.

De murmure dæmonum contra pacem, & quomode ab ijs auctor inquietatus fuerit.

DIctis autem matutinis, festinauimus ad lo- 40.
cum vbi vocati pariter fueramus. Nec mo-
ra, vbi sequenti die paschæ celebrauimus, prædi-
cauimus, & comedimus; cùm me sub † diuo in *Nunc vsitatiùs dio.*
pomerio ad somnum meridianum deposuissem,
& clausissem oculos vt dormirem, audiui eminus
iuxta me quasi susurrantes aliquos, submissè ta-
men. Verens autem & cogitans, ne fortè aliqui te
expectent vt eis satisfacias, aperui oculos & surre-
xi, neminemque videns, reclinaui oculos & clau-
si, statimque audiens iam altiùs & euidentiùs
murmurantes, surrexi, nec vllum vidi. Sed nec
tunc aliquid de nequitia dęmonum suspicatus,
tertiò me deposui, nec interstitium aliquod clausis
oculis intercessit, cũ manifesta voce audirẽ in hæc
verba contumeliæ prorumpentes: Ecce, inquiũt,
cum quanta superbia vilis iste nos facit dormiens
expectare. Ad hæc igitur, cùm mox apertis ocu-
lis surrexissem, nec aliquem inuenissem, conieci
proculdubio dęmonum iniquitatem, qui me tur-
bare voluerunt, & indicium futuræ nequitiæ de-
monstrare. Quarta enim feria sequenti infra octa-
uam paschæ, conuenerunt amici fratrum illorum,
quos ad pacem reducere debebamus, & inter a-
gendum tanta inter se fratres discordia sunt com-
moti, vt in eodem loco, vbi antè dæmones audie-
ram murmurantes, nisi maxima parentum & ami-
corum violentia restitisset, se inuicem, instinctu

dæmonum validiſſimo, peremiſſent. Vicimus tamen, Dei gratia, nequitiam dęmonum, & pacem reformauimus inter fratres.

Conſideratio ſuper prædictis.

41. PRæter hæc igitur, duo conſiderari poſſunt in re geſta, quam retuli: quia præſentia dæmonis, quem primò vidi, vox mihi ablata eſt, ne clamarem: ſecundò autem, cùm plures eorum ter audiſſem, viſus mihi ablatus eſt, ne viderem. Vide ergo lector quantas & quales nocendi diabolus artes attentat, & quàm ſollicitum eſſe hominem aduerſus illum ſemper oporteat, nec frangi vllis illius iniurijs, nec allici blandimentis.

De choreis dæmonum in ſpecie monachorum iuxta Coloniam.

42. ANnno præſenti M. CC. LVIII. prope ciuitatem Coloniæ Agrippinam, in villa, quæ Oppidum regis vocatur, quodam ſolemni die ingens chorea dæmonum, in habitu alborum monachorum, in planicię campi viſa eſt, vocibus altiſonis tripudians & exultans. Congregatis igitur cum ſacerdote ſuo hominibus villæ, cùm ad choream accedere voluiſſent, dęmones, ſecundum quod homines propinquabant, chorizando procedebant ad * Renum, quoadvſque ſe totalis illa malignantium turba in fluuium adnullauit. Et hinc quoque nequitia dæmonum conſideranda eſt, qui quaſi ad exemplum ſpiritualium virorum, ad ludum nepharium chorearum, hominum ſimplicitatem inducere voluerunt.

Coninxdorp, vt videtur.

ms. b. c. tria imp. (fluuiū) non expreſſo nomine.

De

De beato Iordano, magistro ordinis Prædicatorum, ad mortem vsque vulnerato, & miraculosè per ablutionem sanato.

VIde & hinc spiritualia miræ nequitiæ in cælestibus. Beatæ memoriȩ Iordanus, frater & magister ordinis fratrum Prædicatorum, gratia visitandi fratres, Romam venerat: qui àccepta benedictione in domo fratrum à fratribus, legit missam. Intrauit postea infirmariam videre languentes, & inuenit fratrem Conuersum quasi sanæ mentis esset, tamen diligentissimè compeditum. Quærit ergo magister ab illo compedito causam compedum. Respondet ille: Alienatum se fuisse hactenus; sed in aduentu eius sanitati integerrimè restitutum. Credidit magister spiritui nequitiæ citiùs quàm decebat, & compeditum solui prȩcepit. Nec mora, felix Papa Honorius, audito aduentu eius, mandat eum dormitatione facta post prandium intrare curiam, facturum in clero sermonem. Hinc postea venitur ad prandiũ, mandatur venire frater Conuersus, qui fuerat cõpeditus, accubuit ille, sensatè se habuit, & vbi facto prandio, & dictis gratijs, magistro stratum est ad pausandum; venit dæmoniacus ille, & accepto rasorio guttur magistri dormientis incidit, sed non ex toto, nondum certo loco vulneri dato. Qui læsus, subitò euigilans, manum obiecit rasorio, & in duobus aut tribus digitis vsque ad emutilationem, vt credebatur, læsionem accepit. Expergefacto ergo in tumultu toto conuentu, accurrunt fratres, magistrum quasi seminecem iacentem inueniunt, & elato fletu cum clamoribus eiulabant. Tunc Prior domus, imperato silentio,

43. *Honorius III.*

lentio, præcepit ne res in scandalum ordinis diffunderetur, & ne † inuerteretur ab æmulis secularibus, celaretur. Venit ergo hora prædicandi, & Prior fratrum vice magistri prædicaturus accessit. At vbi themate prælibato prosequi sermonem debuit, subitò resolutus in fletum, cum clamore valido mugitum emisit. Attonitis autem omnibus Cardinalibus, quidam fidelissimus ordini Priorem trahit in partem, quærit quid causæ sit doloris. Fatetur Prior. Nec mora, ambo ingrediuntur ad Papam, aperiunt infortunium, conclamat in planctum Papa, dicens: Heu Domine Deus quid actũ est? hodie magna ecclesię columna cecidit. Quid plura? Accedunt chirurgici, perspiciunt & pertractant vulnera, diuinum potiùs, quàm humanum suadent adiutorium cum omni precum instantia postulandum. Tertia autem die huius infortunij illucescente, innuit magister adolescenti nouitio, vt sibi altare præparet in occulto. Stupefactus igitur, nec mirum, iuuenis, Priori indicat quid sibi præcipitur. Qui quasi raptus stupore nimio, currit ad magistrum; quærit si deliret, an falsum sit, quòd missam in supremo vitæ periculo velit celebrare. Magister ergo intuitus Priorem auersis oculis, innuit vt recedat. Quo parente, & expectante rem tam grandis euentus, surrexit magister, vt potuit sacris vestibus se induit, celebrauit. Et sumpto corpore viuifici sacramenti, vulnera manus & gutturis secundæ ablutionis in calice liquore perfudit, & sic in integrum sospitatus, eadem die in admirationem omnium, qui rem sciuerant, in consistorio coram Papa, & Cardinalibus, & omni clero gloriosissimè prędicauit.

.i. in malam partem verteretur.

De

De augmento priuilegiorum Prædicatoribus concessorum.

HInc postea factum est, vt ipse Papa &*Cardinales in curia, deuotissimi erga Prædicatoru n ordiné, eum inconsuetis auctoritatibus & priuilegijs exaltarēt. Vnde successoripsius Honorij Papæ, dominus Papa Gregorius, fratri Ioanni, dicto de Argentina, quondam Bosnensi Episcopo, magistro Prædicatorum ordinis facto, cum magna deuotione dixit: Me tibi charissime quasi pro incude Papam orbis constituo, linguam autem tuam pono pro malleo, vt secundum omnia priuilegia, quæ ordini tuo expediunt, vel etiam, quę alijs religiosis quibuscumque vsque in præsens concessa sunt, scribi facias, & bullabo. Nec mora, magister ordinis, & qui cum eo erant fratres, omnibus registris Apostolicorum inspectis, omnia priuilegia, quæ sibi commoda & vtilia pro confirmatione ordinis essent, vel fore possent, consensu fratrum Cardinalium & curiæ, bullata & subscriptionibus insignita solemniter acceperunt. 44. *ms.p.s.2. imp. fratres. Greg. IX.*

Quomodo dictus M. Iordanus mensæ summi Pontificis assederit, & vesperi, absque cena, à paupere hospitio susceptus sit.

HInc ad beatæ memoriæ Iordanum redeamus, & quid fecerit, vel de eo factum sit, videamus. Igitur vbi dies venit, quo, accepta licentia à Cardinalibus, exire curiam † debuit, à domino Papa inuitatus, contra consuetudinem vmquam visam, ad mensam eius in modum lu- 45. *.i. constituit, siue egressurus erat, phrasi Gallica.*

næ

ms. b. co. tria imp. corniculata iuxta solem. o.

næ * corniculatam, ſedere compulſus eſt. & poſt prandium ſic dimiſſus. Et vide quid actum ſit. Extra Romam ad ſex ferè miliaria noctis tenebris deprehenſus, hoſpitium cum ſuis à ſacerdote villæ petijt, nec accepit. Sed cùm receptus fuiſſet à paupere, & præ penuria recipientis, incenatus veſpere remanſiſſet, dixit cum ingenti gaudio fratribus, qui ſecum erant: Benedictus presbyter ille, qui nobis negauit hoſpitium, quia mihi gloriam abſtulit, qua hodie cum ſummo orbis Pontifice, in vna menſa conſedi.

Idem in ægritudine à diabolo in angelum lucis transfigurato tentatur, & illuditur; ſed tandem eius dolos agnouit.

46. HInc per Alpium iuga non longè à montis pede digreſſus, acutam febrem grauiſſimam, labore itineris fatigatus, incurrit. Et vide lector, quàm callidè & huic inſidiatus ſit diabolus ſancto viro. Epiſcopus ciuitatis ad quam declinauit, vt audiuit tanti patris aduentum, hoſpitio recepit infirmum, & violenter in proprium ſui ſecreti thalamum, & in lectum ſibi proprium collocauit. Habebat autem magiſter Priorem ſecum ſui ordinis virum diſcretum, litteratum valde, & prouidum, in moribus probatum, & phyſicum; qui magiſtri ſciens propoſitum etiam in infirmitate duriſſimum, dixit: Oporet vt magiſterio exinanias te, & mihi ſis obediens & ſubiectus. Cui magiſter humiliter: Fiat, inquit. Mox ergo contra conſuetudinem ordinis ſuauiter in plumis ſtratum eſt infirmanti. Primò enim, vt

vidimus,

vidimus, in lectis plumeis iacere fratribus non licebat: ſed quia in multis locis & terris, maximè apud pauperes palearum copia, vel ſtramenta non ſunt, ſtatutum eſt; vt ſicut ſterneretur fratribus iacere liceret. Nocte igitur magiſtro ſolo in thalamo quieſcenti, apparuit diabolus, transfiguratus in angelum lucis, dicens: Eſtne hic magiſter Iordanus, qui fama celebris & virtute, pater tanti ordinis Prędicatorum claret? Dubitare poteram, niſi antè longo tempore te nouiſſem. O quàm vilis & impudens factus es, qui quaſi dominator terræ in lecto plumeo, & ſericis requieſcis! O miſer, quale exemplum ordini tuo & fratribus relinquis? Sed non eſt tui Deus oblitus in finem, qui ad redarguendum te, miſit me. Et tu igitur ſurge, & terræ ſupplex incumbas. Nec mora, diabolo diſparente, territus magiſter, in terram corruit, & ſic iacens, manè à Priore dicto & fratribus inuenitur. Quem Prior ſeuerè valde corripuit, & per obedientiam in lecto iacere coëgit. Sequenti autem nocte ſatan iterauit audaciam; duriùs quàm priùs ſibi inobedientem redarguit, & magiſtro ad terram deſcendere mox præcepit. Quem cùm manè Prior iteratò inueniſſet ad terram, grauiter indignatus, dixit: Miror veſtram, non tantùm, vt ita dicam, ſtultitiam, immo prorſus inſaniam, qui in periculum, non ſolùm corporis; ſed etiam animę, contra obedientiam hoc facere voluiſtis. Et ego teſtor altiſſimum, quòd nollem pro toto mundo ita grauiter contra Deum & ordinem exceſſiſſe. Et hæc dicens, flere cœpit vberrimè. Quod, vt vidit, conlacrymatus eſt & magiſter, & procidens ad pedes eius confeſſus eſt, qualiter ei

2. Cor. 11.

Pſal. 73.

ms.b.c. tert. emp.omit. ms.p. vt inde veriùs cerneret. 2. imp. vt ab eo veriùs cerneretur. Iob 6.

[vt ideo veriùs crederet,] transfiguratus diabolus in angelum lucis, illusisset. Tunc Prior admiratus valde, mitigatus est, & præcepit vt lectum ascenderet,& tempus creticum expectaret. Erat autem debilitatus valde, & indurata materia, vix habebat spiritus ad pausandum. Tertia autem nocte non destitit nequam diabolus triplicare velaniam,& vbi mox ad increpandum verba composuit, preuenit eum vir beatus, & dixit: O nequissime humani generis inimice, quomodo simplicitatem meam, quasi per zelum qualemcumque ad ordinem; illudere voluisti? Et ego quidem, nisi hoc omnipotentis Dei dispensatio permisisset, sapientiùs aduertissem, quòd multò melior est obedientia, quã stultorum victime: & quòd quasi genus ariolandi est, nolle acquiescere. Sed & hinc mihi, ô miserrime, accessit gloria: tibi autem confusio sempiterna. Et statim his dictis in faciem vmbraticam exspuit disparentis. Magister autem, postquam cum alacritate spiritus & sine perturbatione quieuit; circa diem septimum optimè creticauit. Qui infra paucos dies ab ægritudine recreatus, integerrimè conualuit. Quid autem sibi in ipsa sua infirmitate contigerit, ad exemplum posteris affuturum, fratribus enarrauit.

Eccle. 4. 1. Reg. 15.

De mira odoris fragrantia, arte dæmonis, in ore & manibus eius post celebrationem excitata, & signo crucis sublata.

47. HInc & aliud per illusionem dæmonis in Bononia contigit. Celebrauit idem beatus vir missam die quadam, vt solebat ferè quotidie, in secreto. Sensit autem tam mirifici odoris fragrantiam

tiam in susceptione dominici sacramenti, vt nulli dubium esse posset, hanc non esse nisi à Deo, nisi forsitan alicui, qui discretionem spirituum habuisset. Os mirè odoriferum per longum tempus habebat & manus: ita vt vix ei cibus saperet ore sumptus. Palato tamen cordis interiùs discernebat, quia odor ille recreationem spiritui non præstabat. Adijt ergo Dominum deprecari, quid sibi vellet odor ille respersus in vanum, reuelatumque est ei, quia dæmonis arte sit gestum, & facto crucis signaculo mox cessauit.

De fratrum tentationibus sedatis ex sponsione cum dæmone inita per eumdem, de quo reprehensus cùm esset, per orationis vigilantiam depulsa sunt.

EOdem tempore, cùm idem magister Iordanus multos literatos clericos ad ordinem 48.
conuertisset, & in Bononia recepisset, multique ex eis grauissimis dæmonum impulsibus tentarentur, & propter hoc magister mira orationum instantia repugnaret, vna dierum dæmon libera voce locutus est ei: Facias, inquit, cessare fratres tuos à prædicatione & confessionibus hominum audiendis, & ego cessare faciam socios meos ab omnimoda tentatione fratrum & lucta. Consensit mox magister ad tempus, & effectum mox consecutus est sponsionis. Nec multi post hoc dies effluxerant, cùm magistro oranti dictum est ita: Quid est, quod facere voluisti, vt inires pactum *Isa.* 28.
cum morte? Orent fratres pro tempore, & pro tempore studeant proximorum instructionibus & saluti, & proculdubio puræ & vigilantis orationis instantia tentationes dæmonum repellentur.

tur. Nec mora, vbi hoc magister in Capitulo fratribus indicauit, & illi mandatum eius miro spiritus feruore complerent, virtus dæmonum eneruata est, & fratres in communi omnes mira alacritate mentis ab omnibus tentationibus quieuerunt.

Comparatio orationis cum lectione ex Augustino.

49. ET hinc nota lector, quid in hoc articulo dicat gloriosissimus Augustinus: Orationibus mundamur, lectionibus instruimur: vtrumque autem bonum est, si vacat, si verò non, melius est orare, quàm legere. In lectionibus cognoscimus, quid agere debeamus: in orationibus percipimus, quę saluti necessaria postulamus. Orationibus nutritur anima: lectionibus excitatur. Nouit semper oratio sine lectione proficere: sed lectio sine oratione rarissimè. Vnde nec discerni potest de facili, quanti sit periculi & laboris, parùm vel nihil orare, & semper legere, & numquam ad † sapidam scientiam peruenire.

† sapientiā.

De pijs exercitijs Alberti magni.

50. VIdi, & certissimè expertus sum, sicut auditor eius per multum tempus, quòd venerabilis ille frater ordinis Prædicatorum, magister Albertus, cuius superiùs fecimus mentionem, multis annis ferè quotidie, cùm tamen in cathedra * Theologię regeret, tantum de die & nocte orationibus incumbebat, vt psalterium Dauidicum legeret, & interdum dictis horis, & lectionibus & disputationibus terminatis, contem-

p.18.22. & 34 *huius ca. & alibi sæpe. vide c.*51 *p.*11.

ms.p.2, imp. Theologiam legeret.

plationi

plationi diuinæ & meditationibus insudaret. Quid mirum ergo si talis homo super hominem in scientia profecerit, qui tam sanctè, tam integrè in virtute profecit? Certum est ergo, vt in præcedentibus dictum est, orationum instantia virtutem dęmonum eneruari, & non tantùm studium scripturę: verùm etiam omnis virtutis gratiam per orationis vigilantiam augmentari, & in robur perseuerantiæ conseruari. *Hic deficit ms.b.*

Sequentia, vt vocant, seu prosa auctoris de B. Iordano.

De ipso autem piè memorabili, & verè sancto viro, magistro ordinis Prędicatorum, sancto Iordano; quid ad petitionem Fratrum in prosa posuerim, indicetur. 51.

Gaude felix Theutonia,
Tempus instat lætitiæ,
Quondam virtutis gloria
*Surgit * virore gratiæ,* *ms.p.s.in rore.*
Rorem misericordiæ
Spondens in abundantia,
Si vas sit capax veniæ.
Riuum rorantem edidit
Fons aquis indeficiens,
Qui patens idem indidit
Riuis latè scaturiens:
Quem bibens ager sitiens,
Fructum centenum reddidit,
Triplo centenum faciens.
Pater Iordanus effluit,
Vt riuus fonte, gratia:
Quem numquam quis imminuit

Bibens ex indigentia:
Sed stat misericordia
Plenus, qui pressos doluit
Dira mundi miseria.
Allexit ore melleo
Multos vt Christo viuerent,
Spreto cultu phalereo,
Cultum cordis inducerent,
Et verba vitæ spargerent:
Ore flammantes igneo,
Frigus peccati pellerent.
Orbato Sanctus oculo
Fabro lumen restituit,
Et fame presso populo,
Multiplicatum præbuit
Panem turbæ, dum eguit:
Christum sequens miraculo,
Per quem hoc munus habuit.
Prece Sancti conceperat
Vxor viri Bohemiæ,
Prolem Sancto deuouerat
Ob spem maioris gratiæ:
Sed abortiua specie
Nesciuit quid commiserat
Sancti patris custodiæ.
Peractis horis pluribus
Voti memor efficitur,
Inclamat Sanctum precibus,
Et in fletus resoluitur:
Nec mora, vita redditur
Puer, datis vagitibus,
Et sic Iordanus dicitur.
Satan Sanctum aggreditur,
Tentat modis mirificis:

Odor

Odor fuscatus spargitur
Dum sacris instat mysticis:
Sed non valet artificis
Diu dolus, dum proditur
In prece viri supplicis.
Hinc terram sanctam adijt,
Fratres illic inuisere.
Sed cùm per mare redijt,
Mergendo cœpit psallere,
Christumq́; benedicere:
Sicq́; cælum mox subijt,
Vt signis datur credere.
Nec mora mox incanduit
Columna lucis maxima:
Quæ dum de cælo micuit,
Membra lustrans sanctissima,
In quo transisset anima
Videntes scire voluit,
In re manifestißima.
Adiecto Sancto littori
Cæli lampas emicuit,
Quæ ter superstans funeri,
Quartò quoque resplenduit
In hunc quem secum habuit: † *.i. socium eius Geraldū.*
Et sic recursu celeri
Rapta nube non patuit.
Corpus fragrans mirificè
Curatur à fidelibus,
A Græcis dantur vnicè,
Latinis, & Gentilibus
Laudes Christo, cum fletibus:
Et sic verum magnificè
Sub tribus patet testibus.
Hinc in Achon deliciæ

Fertur pater almificus,
Recipitur cum gloria,
Fit mox signo mirificus:
Sanatur paralyticus,
Sicq; virtutum gratia
Propalatur magnificus.
Antiqua tunc prodigia
Iubar nouum recipiunt:
Prece Sancti dæmonia
Victa clamant, & fugiunt,
Et surdi sonos audiunt,
Claudos soluit lætitia,
Cæci lumen recipiunt.
ms.p.e.tria imp. Hac. * *Nunc patris tam eximij*
Sequamur nos vestigia:
Vt digni patris filij,
Patris ditemur gratia:
Sicq; secum in gloria
Sortem sperantes præmij,
Ducamur ad cælestia. Amen.

De loco natiuitatis eius.

52. HIc vir beatæ memoriæ, natione Theutonicus, de Westfalia natus est, qui mira præditus gratia, ordini Prædicatorum præfuit multis annis. † *ferè 15.*

Visiones Arnoldi Prædicatoris & beatæ Lutgardis de S. Iordano.

53. FRater quidam ordinis Prædicatorum electus & bonus, Arnoldus nomine, ex partibus Treuerensibus natus, & Prior fratrum in opido * Wibur-

* Wiburgensi, dictum beatum virum magistrum Iordanum, vt ipsemet retulit mihi, statim defunctum vidit inter choros Apostolorum & Prophetarum, angelorum manibus ferri: & hoc idem, vt ipse ab ea audiui, beata Luytgardis, Aquiriæ monialis, de magistro Iordano in spiritu rapta vidit. ms. p. s. VVriburgẽsi

De prædicto Arnoldo Priore Wirtzburgensi, qui vidit nomen suum scriptum in libro vitæ.

ET quidem, licet parum digrediar, aptè tamen de supradicto fratre Arnoldo Priore Wiburgensi visionem pulcherrimam enarrabo. 54.
Retulit mihi frater pius & bonus, qui hoc ipsum ab illius ore percepit, quòd annis paucissimis ante mortem desiderium magnum habuerat, vt super statu suo, cui, vt proprium est bonarum mentium, non modicè metuebat, à Domino solaretur. Accidit ergo, vt semiuigilanti Dominus Iesus Christus in forma speciosa præ Psal. 44.
filijs hominum, gloriosissimus appareret: quem vt statim intuitu primo cognouit, cogitare cœpit: O vtinam mihi ostenderes Domine, me esse cum saluandis in libro vitæ conscriptum. Et mox Dominus in pectore suo librum vitæ demonstrans, eius cogitationi respondit: Ecce, inquit, liber, reuolue eum, & nomen tuum asscriptum inuenies. Qui gaudio mox cordis exiliens, vertit librum, & legens, litteris aureis scriptum vidit, & in eo reperit nomen suum. Et meritò quidem in libro vitæ pectoris Christi se scriptum vidit, qui vita præelectus & opere, verbum vitæ Christum pectore gerebat & ore, per quod Deo

 gratio-

gratiosus,& hominibus amabilis apparebat. Ipso enim assumpto in socium à domino Hugone presbytero Cardinali, per plures annos fratres sui in Wriborch nullum alium Priorem eligere voluerunt, donec eis redditus remearet.

3. Raymun. III. Generalis. Cui successit magister Raymundus vir litteratus valde, qui in vtroque iure rexerat, ecclesiastico scilicet & ciuili.

De sancta vita Ioannis Theutonici Boßinensis in Hungaria Episcopi, & postea quarti Generalis ordinis Prædicatorum.

55. HVic successit & venerabilis Ioannes de Theutonia natus, qui, cùm multo tempore pœnitentiarius Domini Papæ in Roma fuisset, eum Bosnensi ecclesiæ præfecit Episcopum. Et cùm haberet in Episcopatu plusquam octo milia marcharum in redditibus, in vsus tamen proprios quasi nihil inde expendebat: sed omnia pauperibus erogabat, nec solum quidem equum habuit, sed asellum, qui libros & Episcopales infulas deportabat. Ipse verò pedes cum fratribus incedebat. Hinc postmodum absolutus ab Episcopatu, electus est in magistrum ordinis Prædicatorum, &
12. cum dimidio. his præfuit multis annis. †

Quòd reuelatus ei fuerit ordo Prædicatorum, & quòd futurus esset Episcopus.

56. DE hoc venerabili viro certissima relatione percepimus, quòd ei puero, existenti adhuc in ætate annorum decem, ordo Prædicatorum, qui nondum erat tunc, & quòd Episcopus futurus

futurus esset, & omnis status vitæ suæ à Domino, reuelatus sit & ostensus.

De numismate argenteo per cornicem diuinitus ei allato.

MVlta quoque facta ab eo miracula referuntur, ex quibus vnũ breuiter enarrabo. 57.
Venit ipse in Romaniæ partes, tunc magister ordinis, intrauit in hospitium pauperrimi sacerdotis decubuit super scamnum itinere fatigatus. Et dum anxius cogitaret, vnde pauperrimo hospiti aliquid obueniret, vnde se & fratres reficeret fatigatos, venit auis, quam corniculam dicimus, & de supremo aëre eius pedibus aduolauit. Quæ pedes magistri frequenter rostro concutiens, iterum ad aëra reuolauit. Quo viso, magister surgens, inconsuetæ magnitudinis, spissitudinis, & latitudinis numisma argenteum, quod cornicula ad pedem suum posuerat, mox inuenit, & aduocans sacerdotem, munus corniculæ iussit accipere, & necessaria fratribus ministrare.

Feruor deuotionis, obitus, & eleuatio eius.

HVnc ante Episcopatum à iuuentute cognoui, nec vmquam aduertere potui minùs eum deuotum tunc, minusque sollicitum de propria vel salute aliena, quàm postea cùm Episcopus, vel magister ordinis extitisset. Obijt autem in maximo feruore spiritus apud Argentinam vrbem Theutoniæ: ad cuius tumulum crebra miracula facta narrantur: Eleuatum est autem corpus eius venerabile à Domino Metensi Episcopo, & electo 58. *De eius castitate, præclarum habes suprà exempl. c. 30. p. 43.*

electo Argentinensi, anno ab incarnatione Domini M. CC. LXI. In cuius eleuatione, fratribus Prędicatoribus ad generale capitulum congregatis, illustris regina Hungariæ mandauit per litteras solemnę miraculum, quod subiungo.

Quomodo reginæ Hungariæ apparuerit, multis miraculis per eum factis.

59. Filius suus primogenitus, congregato exercitu maximo, dimicare voluit contra patrem; pro quo regina, mater nimirum, grauissimę conturbata, tota noctę præcedenti, cuius sequenti die futura congressio putabatur, in oratione se & lacrymis dedit: tam pro filio, quam pro viro rege sollicita. Fiducialiùs autem oratione directa ad magistrum Ioannem, quem multùm in vita dilexerat; & fratrem quemdam eiusdem ordinis, quem, iam defunctum, confessorem habuerat, ambo eidem reginę semiuigilanti apparuerunt. Cui magister Ioannes sereno vultu prædixit, inquiens: Quoniam in nostris orationibus, mediante clementia Dei, fiduciam habuisti, ecce prædico tibi, quoniam hodię, antequam comedas, nuncius dicet tibi, quòd pacificati erunt, pater & filius, in bonum omnibus ordinatis. Mandauit & alia dicta illustris regina: quòd scilicet eodem anno per merita dicti Episcopi & magistri Ioannis, suscitatus mortuus fuisset, simul & alia infinita miracula claudorum, cæcorum, surdorum, obsessorum è dæmonibus, & aliarum infirmitatum per eius merita contigissent.

De

De Humberto quinto Generali ordinis Prædicatorum.

HVic succeſsit venerabilis Humbertus, vir generoſus & ſpectabilis genere, de Burgundiæ partibus natus: qui gratia prædicationis inſignis lector fratrum, antequam in magiſtrum præficeretur, enituit. Hic poſtmodum in Tuſciæ partibus Prior Prouincialis fratrum Prædicatorum factus, adeo Romanæ curiæ gratioſus & charus fuit, vt eum plures Cardinales in Papam eligerent eo tempore, quo dominus Innocentius quartus in Apoſtolicum eſt aſſumptus. Qui poſtea Prouincialis Franciȩ factus, magiſter totius ordinis eſt effectus. At quoniam non inutiliter, licet longè à materia digreſſi ſumus, ſpiritualem nequitiam dæmonum proſequamur. 60.

De dæmone, qui in ſpecie nigræ monialis nobili cuidam falsò prædixit, ac promiſit diuturniorem vitam.

ESt & aliud fallendi genus dæmonum; vt homines fallant ſpacio pœnitentiæ, vel vitæ prolixioris promiſſo. Vnde mihi frater ordinis Prædicatorum quiddam valde mirabile recitauit. Erat quidam nobilis in Weſtphaliȩ partibus vir armis ſtrenuus, & præpotens inter ſuos. Hic nocte quadam per ſiluam terribilem tranſiens, audiuit vocem mulieris quaſi in vicinio cantantis & dixit ſuis: Eſtne quis veſtrûm, qui mecum vadat mulierem illam videre cantantem? Omnibus ergo diſsimulantibus, & prohibentibus 61.

illum,

illum, perrexit solus, & inuenit stantem sub arbore quasi nigram monialem, extensis in cælum manibus cantantem. Quam, cùm interrogasset ille quid ageret, respondit: Hîc laudo Deum meum. Credens autem ille aliquem sanctorum esse, rogauit eam, dicens: Dic mihi obsecro, quid futurum est mihi? Et illa: Multa, inquit, mala fecisti, & adhuc facies, deuictis inimicis tuis transmarinam crucem suscipies, transfretabis, & in Christi seruitio morieris. Ad hæc verba gauisus ille, recessit: & ,vt ei prædictum est, facta cæde hominum, inimicos deuicit. Qui cùm præstolaretur crucis signationem vt transfretaret, incidit in acutissimam febrem. Rogantibus ergo & consulentibus physicis & amicis, vt confiteretur peccata & pœniteret, communiretque se ecclesiasticis sacramentis, quia ei periculum imminere videretur, noluit ille, nullo modo se reputans moriturum. Cumque super hoc physici mirarentur, fratrem illius carnalem, magnæ indolis clericum, mandauerunt: cui fratris infirmantis periculum intimantes, super salute animę illius admonendum instantiùs consulebant. Mox ad fratrem ingressus clericus, arguit periculosiùs infirmantem, quòd nequaquam de salute animæ cogitaret. Et frater, vt vidit acriter instantem sibi: Et tu, inquit, vt alij, stultus instas mihi, qui optimè scio, quòd modò nequaquam moriar. Cui clericus cum lacrymis dixit: Et vnde hoc habes frater charissime? Et ille tandem: Sic, & sic dictum est mihi, quòd crucem accepturus sim, & in terra sancta in Christi seruitio moriturus. Ad hæc verba frater eius tactus dolore cordis intrinsecus: Verè, inquit, charissime, antiquus ille hostis diabolus tuo nunc insidiatur

Gen. 3.

calca-

calcaneo, qui mendacio ſuo te nunc nititur decipere moriturum. Age ergo ſalutis cauſam, & pœnitere, & impleas quod rogaris. Nec mora, decumbens petit aduocari presbyterum, poſtulat veniam, crimina confitetur, ſtatuit teſtamentum, recepit corpus Chriſti, inungitur, exhalat ſpiritum, & ſic, vt credimus, ab inſidijs dæmonum liberatur. Nec diu poſtea, defuncti frater clericus, bonitatem Chriſti in fratre mortuo recognoſcens. Prædicatorum ordinem intrans, multa conſtantia ſeculum dereliquit.

Vnde, & qualis poteſtas dæmonum ſuper homines.

Circa finem libri videndum eſt: quæ, & qualis, vbi, & vnde poteſtas dæmonum, qua non ſolùm gentilibus, aut falſis, vel peruerſis Christianis: verùm etiam bonis, ad vexandum eos illabi videantur. Et reſpondemus, quòd illa eſt in malis correptio, vel vindicta: in bonis verò probatio purgatiua. Qualis autem hæc ſit, vel qualiter fiat, breuiter videatur. Certum eſt, quia per energicam operationem. Vbi verò? Haud dubium, quin in corpore, non in anima. Solus enim Deus, non creatura, per inhabitantem gratiam illabitur animabus. Vnde autem poteſtas dæmonum ſit: planiſſimum eſt, quòd à Deo. Et quidem exceſſus quandoque hominum per bonos, ſiue malos angelos puniuntur. Per bonos, vt in Herode Agrippa: per malos, vt in Saul.

61. Act. 12. 1. Reg. 16.

De

De dira punitione illius, qui beato Ludouico regi Franciæ detrahebat, & eum contemptui habebat.

63. HInc nuper ad designandum meritum deuotissimi regis Franciæ Ludouici, quiddam accidit, quod subiungo, illis mihi recitantibus, qui viderunt. Quàm gratum autem Deo ipsius regis Franciæ exemplum altissimæ humilitatis existat, rex omnium Christus tam euidenti miraculo demonstrauit. Nobilissimus in comitibus Germaniæ Comes Gelriæ Ottho, cursorem cum litteris Parisios miserat, cursu propero rediturum. Quem redeuntem Comes interrogans, quæsiuit si regem Franciæ Ludouicum vidisset. At ille, vbi more subsannantis contorsit collum: Vidi, inquit, vidi illum miserum papellardum regem, caputium habentem capitis super scapulam ex aduerso suspensum. Hęc dicens, faciem contorsit ex aduerso, & sic facies contorta remansit.

Contra magistrum quemdam, qui humilitatis exempla in eodem rege reprehendebat, & de simplici habitu aui ipsius Philippi, & Caroli Magni.

64. ERubescebat Theologicę cathedræ vilis ille præsumptor, qui prædicauit, ipsum de quo scripsimus regem non debere communibus vti vestibus, sed semper purpuratum incedere: Nec plures missas audire, quàm vnam. Mortaliter autem peccare dicebat omnes illos (fratres Prædicatores intelligens) qui dictum regem inducerent ad huiusmodi deuotionis & humilitatis exempla.

empla. Minus ſanè, immo velut inſaniſsimus intellexit, quòd ſalutis noſtræ princeps Ieſus ex comparatione culpauit illos, qui in domibus regum mollibus veſtiuntur: cùm nobiliſsimus ille Baptiſta Ioannes ex pilis camelorum indutus, zona pellicea cingeretur. Moderatores orbis & reges frequenter vidimus communis panni laneis veſtibus vti. Non niſi camelini coloris veſtibus auus ipſius regis, glorioſiſsimus Philippus rex indiſcretis anni temporibus vtebatur. Ludouicum autem filium eius, æquè regem glorioſum & bonum, iſtius regis Ludouici patrem, numquam me vidiſſe memini purpuratum. Karolus ille magnus, poſtquam in Roma coronatus eſt Imperator, numquam poſtea voluit, vt de eo ſcribitur, infula pomposi habitus inſigniri.

Mat.11. *Vide Greg. hom.40.in Euang.* *Mat.3.*

Quantum eccleſiæ bonum præſtiterit beatus Lodouicus in protectione ordinum Prædicatorum, & Minorum.

QVantum autem prædicto illi deuotiſsimo Regi Franciæ Ludouico tota vniuerſalis eccleſia teneatur, neminem poſſe arbitror æſtimare, qui ſanè videre voluerit quanta animarum iactura fuiſſet, ſi illa intollerabilis ſuperbia, de qua ſuperiùs in controuerſia clericorum Pariſijs, compendioſo ſtilo digeſsimus, in deſtructionem duorum ordinum, fratrum ſcilicet Prædicatorum atque Minorum, proceſſum aliquatenus habuiſſet. Egit enim dictus rex proſcriptionibus iniquorum, egit & litteris apud Papam beatiſsimum † Alexandrum, & fratres curiæ Cardinales; qui tunc omnes, gratia Dei & ſua, mirè 65.

c. 10. huius libri. *IIII.*

mirè & merè negotio fauorabiles extiterunt, vt finem haberet malitia, & in suo vigore iustitia & innocentia tueretur. Testor Deum, testor sanctos, testor & fideles omnes, quod numquam aliquis regum, numquam aliquis principum, tam necessariò, quantum ad salutem & pacem fidelium protexit ecclesiam, dotauit muneribus, & veris honoribus exaltauit. Quid enim Christo in diuitijs? Quid illi & in honoribus mundi, vel in hominibus principari? Dixit vt
Ioan. 18. veritas, & verè dixit: Regnum meum non est hinc. Applausum enim Pilati, quasi de gente sua, & pontificibus, non curauit: sed constanter perstitit pro populo mori, accelerans passionem, qua
Luc. 1. in supernis efficeret regnum, quod non habet finem. Age ergo nunc superno regi, salutis tuæ principi Christo, age, inquam, ecclesia, age tu præcipuè Prædicator & Minor, agamus & omnes solemniter gratias: qui talem istis temporibus regem dedit; qui in forti manu teneat regnum suum, & nihilominus, pacis, caritatis, humilitatis exempla præbeat vniuersis. Æquè enim gladius incisionibus aptus est, & cùm nudus exeritur, & cùm, retracta manu, conuertitur in vaginam.

De moniali obsessa à dæmone, qui auditis verbis consolatorijs, cœpit canum more latrare.

66. VIdi in Brabantiæ partibus in monasterio Cistercienſi monialem quamdam religiosam valde, & vita puram: quam cùm visitarem, & eam, vt poteram, consolarer, subitò dæmon pessi

pessimus, qui in ea latebat, per horam verba salutis ferre non valens, cœpit latrare vt canis, & hianti ore: & collo contorto, euersisque luminibus blasphemare. Cui dixi: O miserrime, qui Dei laudibus cum bonis angelis insistere noluisti, nunc canum latratus & bestias imitaris.

De alia muliere obsessa, & dæmone ab auctore interrogato, qui respondit, se dirissima ad iudicium vsque velle sustinere supplicia pro reditu ad cælestem patriam.

VIdi & aliam in eadem terra mulierem diuitem & honestam, possessam a dæmone: 67.
quam, cùm rogante religioso presbytero, visitarem inuenimus eam à vexatione dæmonis quiescentem, & sensatè loquentem vt sanam. Tunc occultè, nullo aduertente, versum cantici Moysi in Deuteronomio, secundum quòd à sancto quodam viro audieram, tertiò repetiui, ad prouocandum dæmonium in obsessa: Deum, qui te Deut. 32.
genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. Nec mora, mulier pallere cœpit labijs atque vultu, & duæ venæ in collo eius ad grossitiem pollicis intumescere. Tunc ego: Quare (inquio) pessime vexare feminam præsumpsisti? Et dæmon: Mortuo (inquit) viro suo compassa, in subsidium animæ illius contulit quidquid boni fecerat in hac vita, & ex hoc nacta occasione, vas vacuum mox intraui. Cui ego: Mentiris miserrime: ex hoc enim quòd dedit mediante caritate, cumulatum est bonum eius. Et ille cum cachinno: Mendax, inquit, sum, nec mirum si mentior. Ioan. 8.
Mox ego: Estne illa tam pulchra, vt dicitur, cæle-

cælestis patria, quam perdidisti? Et respondit: In infinitum pulchrior, quàm dicatur. Et ego: Velléſne redire ad illam, ſi poſſes? Et ille: Vellem, inquit, vt poſſem, & me vſque in diem iudicij omnia excogitata ſupplicia pati oporteret. Cui dixi: Et ego promitto tibi in periculum promiſſæ ſalutis meæ, ſi mendax inueniar, illam perditam gloriam recuperare te poſſe, ſi tantùm hoc dixeris: Domine Deus meus peccaui, ignoſce mihi. Et mox ille contorto collo, exclamat horrificè: Domine, Domine. Cumque hoc ſæpius cum clamore valido perſonaret, nec vltra in verbis procederet. (Impoſsibile enim ſciebam illi, vt Deum ſuum Dominum recognoſceret, & ſe peccaſſe fateretur, atque ſibi precaretur ignoſci) tandem ſubiunxit: Domine Deus Margaretæ (ſic enim obſeſſa mulier vocabatur.) Deum recognoſcere ſuum Dominum indignatus. Tunc ego: O infeliciſsime omnium creaturarum, ſuperbia eliſit te, & cęlo depulit: te redire, inexpiabilis ſuperbia non permittit. Nec mora, confuſus obmutuit, & poſt paucos dies, non tamen tunc, feminam dereliquit.

Simile reſponſum eſt in Cæſar. l. 5. c. 10.

Simile ibid. l. 3. 26.

De quodam hæretico, qui ſe obſeſſum ſimulans, vt inquiſitionem deuitaret, à dæmoniaco combuſtus eſt.

63. AVdi & de alio obſeſſo mirum Dei iudicium. Erat circa Cameracum ciuitatem quidam hæreticus, aſtutus valde, qui metuens inquiri & comburi à fratribus Prædicatoribus, qui in dicta ciuitate eo tempore plurimos comburebant, finxit ſe arreptum à dæmone, & ob hoc ad ſanctum Aicadrum in Aſpera, obſeſſos curare poten-

Haſpre inter Cameracum & Valencenas.

potentem, ligatus ab amicis deductus est, vt in eo non hæresim propalatam, sed furiam reputarent. Et, vt audiuit quidam clericus obsessus à dæmone, & ligatus, quòd * Ægidius Boogris (sic enim vocabatur) ligatus poneretur in loco, subsequenti nocte idem obsessus clericus diuino nutu solutus est. Et aggregans mattas & stramina, atque ecclesiæ scamna, super ligatum hęreticum cumulauit. Ludum autem & furiam credens ille, dissimulat quoad vsque clericus ignem de lampade sumens, comburere cumulum cœpit, & tunc hæreticus exclamauit. Ad cuius vocem expergefacti custodes, cùm ignem extinguere niterentur, clericus arrepto gladio, quem casu iuxta lectum inuenit, omnes violenter abegit, & hæreticum in igne combussit. Nec mora, diuino exacto iudicio, clericus à dæmone liberatus, & plenè sospes apparuit. *tria imp. Eligius.*

Conclusio libri, & auctoris sancta & honesta petitio.

AT nunc, quoniam fallacias dæmonum falsas ex magna parte deteximus, per quas vexari frequentiùs Apes fidelium consueuerunt, huic operi nostro finem imponimus; lectores libri huius attentiùs flagitantes, ne dictis detrahant, minus, quàm decuit, bene dictis: sed in exemplum virtutis trahant quidquid inuenerint bene dictum. Petò autem suppliciter, ab his maximè, quorum manus Christi sanguine consecratæ sunt in altari: quatenus pro me specialiter, & pro cunctis fideliũ animabus, vnam missam ce- 69.

lebrent: vel, si sacerdos non est, celebrari faciat lector libri, & rogo, vt si aliquid in hoc labore, vel alijs vmquam meruerim; illum tanquam me, participem faciat Iesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. AMEN.

FINIS.

IN



IN DVOS LIBROS THOMÆ CANTIPRATANI BONI VNIVERSALIS DE APIBVS,

QVI MVLTA CONTINENT MIRACVLA, ET exempla memorabilia sui temporis;

ANNOTATIONES THEOLOGICÆ, Historicæ, & Grammaticæ, in hac editione aucta, & recognita.

Auctore GEORGIO COLVENERIO S. Theologiæ Doctore, & eiusdem regio ac ordinario Professore, necnon Academiæ Duacensis Cancellario.

IN EPISTOLAM AVCTORIS.



HVMBERTVS *ille, cui auctor dedicatoriam scribit epistolam, quintus fuit Generalis M. ordinis Prædicatorum, discipulus quondam Hugonis Carensis, quem secum postea traxit ad ordinem an.* 1226. *De eo agit ipse auctor noster c. vlt.l. 2. p. 60. De eodem præter alios, S. Antoninus in chro.p. 3.tit.23.c.12. & Leander de viris illustribus ordinis Prædicatorum l.1. Vita eiusdem exarata à F.Hieronymo Ioanninio ex Capugnano Bononiensi, ordinis Prædicatorum S. Th. magistro, & Inquisitore Vicentiæ, præfigitur Vitis*

 fratrum

fratrum ord. Prædicatorum, iussu eiusdem conscriptis à Gerardo Lemouicensi, & Duaci editis anno 1619. Et de eo tacito nomine agitur in ijsdem vitis Prædicat. p. 4. c. 10.

Quem ipse multo labore per annos 15) *Itams. p. & duo antiquiora imp. conformiter ipsi auctori in prologo libri de natura rerum, vbi dicit annis ferè 15. Reliqua quatuor habent 14.*

Cùm in quodam Capitulo generali Fratribus demandastis, vt in singulis prouincijs digna memoriæ scriberentur, &c.) *Capitulum hoc celebratum fuit Parisijs anno 1256. vt constat ex præfatione seu epistola dicti Humberti, ad quem loquitur, quam præfixit ipse Humbertus libro de Vitis fratrum Prædicatorum, digesto per dictum fratrem Gerardum de Franchetto, Lemouicensem, tunc Priorem Prouinciæ, idque de mandato eiusdem Humberti, qui ea, quæ ad eum fratres conscripserant, tradidit prædicto Gerardo. Vnde interdum opus illud etiam Humberto tribuitur, vt in epistol. fr. Theodorici de Appoldia, quæ præfigitur vitæ S. Dominici apud Surium. De Gerardo Leander lib. 4. de viris illustribus ord. Præd. ca. antepenultimo, quod est de ijs, qui sunt illustres in historijs.*

IN CAP. I.

P. 1. Suis bonis verisque fidentis.) *Hæc est lectio, quā omnia nostra habent exemplaria hoc loco, & quam in vno libro se reperisse scribit Lipsius in commentario in Senecam, & sibi ait valde placere, cùm ipsius textus, sicut & ille, l. 2. c. 50 p. 12. &*

ille, quo vsi sumus, legat: viribúsque. Unde posset interdum Seneca ex nostro Cantipratano corrigi. Locus est in ipsius editione epist. 59. in qua in fine legit: Hoc ergo cogita, hunc esse sapientiæ effectum, gaudij æqualitatem.

p. 4. Quod nobili & sancto viro Philippo milite de Monte Mirabili, &c.) *De eius pietate ac sanctitate vide auctorem l. 2. c. 38. p. 2. vbi ms. b. c. legit vt hîc tertium imp. de monte Mirali. Alia Gallicum nomen relinquunt de Mommiral.*

Mauritius, cuius mirabilis electio hac parte narratur, in tabulis Antonij Democharis *est 39. Episcopus Cenomannensis, seditq; in ea sede annis 16. diebus 40. factus deinde Rothomagensis Archiepiscopus anno 1231. quod etiam ex nostro constat auctore, infrà capit. 8. p. 2. In horum ordine recensetur 54. in prædictis tabulis.*

IN CAP. II.

Rudes intellectu & mentis stoliditate mutabiles) *In his enim veritatem habet quod ait Ecclesiasticus c. 27. Stultus sicut luna mutatur.*

IN CAP. III.

Parte 4. Qua in hora venerabilis Conrardus Deo dignus Hildemensis episcopus.) *Rectius ms. s.* Quidam hora, qua, &c. *Hic est Conrardus secundus, vt satis euidens est ex l. 2. c. 53. p. 19. Virum sanctum & doctissimũ vocat Tritthemius in chro: Hirsaugiensi anno 1213. De eodem multa laude dignissima scribit Albertus Crantzius in Metrop.*

trop. Hamburg.l. 7.c.38. Fuit autem in numero Hildesheymensium Antistitum 28. & postquam præfuit annis 24. obijt 1245.

p. 5. Consimilis in malitia, vt mihi frater altioris ordinis & vitæ retulit.) *Per abbatem, fratres, aut moniales altioris ordinis, videtur confusè Benedictinos, Cistercienses, aut similes intelligere, qui superioris sunt ordinis respectu Prædicatorum aut Minorum, vel aliorum Mendicantium. Ceterum generali appellatione altioris ordinis, idcirco vtitur, vt eorum consulat honori. Vbicumque enim sic loquitur, mali exempli res gesta refertur. Loca sunt l.1.c.7.p.2. l.2.ca.4.p.3. & c.30.p.20. Præter id quod in margine notaui ad hanc partem, notũ est terribilissimum exemplum de Vdone Archiepiscopo Magdeburgensi, quod cõtigit anno 940. Recitat illud ex quinque, quos nominat, auctoribus Tilmãnus Bredenbachius in collat. sacris l.8.c.15. Præter quos prolixè admodum idem refert Godscalcus Hollen in Præceptorio suo ad 6. præceptum ser. 8. Habet idem Ioannes Buschius lib.2. chron. Windesemensis c. 69. Hartmannus Scedel in chronicis cum figuris. Tritthemius in chron. Hirsaugiensi in abbate 13. vbi dicit contigisse anno 1102. & Speculum exemplo. dist. 9. exempl. 175.*

p. 6. Hoc est in Vicennijs prope Parisios.) *ms. p. s. & tertium imp. Vicenis, ms. b. & fortè rectius, Vicennis, quomodo legit c. Sic enim & locum hunc nominat Gaguinus l.7. de gestis Francorum. Gallicè autem nominatur: le bois de Vincienne, ou Vincennes. Vincentius Beluacensis l.28. speculi historialis ca. 26. nemus Vicenarum. Arx est muni-*

munitissima, & regis palatium.

Ibidem. Iudęorum libri congregati sunt sub mortis pœna, & in maxima multitudine sunt combusti.) *Idem sæpius factum legimus, & nominatim id constat ex Sixto Senensi l. 2. biblioth. sancta, verbo Traditiones, vbi de eorum agit origine, & argumento.*

IN CAP. IV.

In verbis textus. Constat inter auctores, quòd Rex apum nullum habet aculeum, maiestate tantùm armatus.) *Asserit hoc absolutè Seneca l. 1. de clem. c. 19. verbis ab auctore nostro citatis p. 3. huius c. Sed his in primis aduersatur Aristoteles l. 5. de historia animal. ca. 21. vbi sic ait: Aculeum apes possident: fuci eo carent. Reges, ducesq; habent, sed non vtuntur: quocirca eos carere aculeo nonnulli existimant. Hæc ille. Cui conformiter Plinius l. 11. histor. naturalis, ca. 17. ex quo loco verba sua auctor sumpsisse videtur: Non, inquit, constat inter auctores, rex nullúmne solus habeat aculeum, maiestate tantùm armatus: an dederit eum quidem natura, sed vsum eius illi tantùm negauerit. Illud constat imperatorem aculeo non vti. Hæc ibi. Cum his sentit Basilius homil. 8. in hexaëmeron, & ex eo Ambrosius libr. 5. eiusdem argumenti, ca. 21. Verùm ex citatis verbis Aristotelis haberi potest horum conciliatio. Nec dicit Cantipratanus id constare inter omnes auctores, sed solummodo inter auctores: ad cuius propositionis veritatem saluandam, non requiritur, vt omnes ita sentiant. Accepit itaque illud,*

quod suo proposito magis ei videbatur accommodatum: quamuis non minoris, immò certè maioris ex eo potest deduci clementiæ documentum; quòd etsi rex apum habeat aculeum, eo tamen non vtatur. Addit quoque loco citato illud de rege apum Seneca: Regi amplissimum cubile est, medióque ac tutissimo loco.

p. 3. Exemplum hoc magnis regibus ingerens.) *Originale Senecæ legit, exemplar. item, ingens, quomodo posteriorem hanc vocem habet ms. s. estq; verisimilior, vt patet ex ijs, quæ in Seneca sequuntur.*

p. 4. Venerabilis & Deo dignus Guiardus Cameracensis Episcopus.) *De eodem summa laude digna commemorat infrà ca. 19. p. 8. l. 2. ca. 3. p. 5. Meminit eiusdem l. 2. vitæ B. Lutgardis c. 30. Hic ille est, qui in catalogo Cameracensium Episcoporum numero 50. in tabulis Democharis appellatur Guido Laudunensis, seu Wiarlus, quem sequitur Nicolaus III. de Fontanis. Arnoldus Pontacus in sua chronographia Godofredum seu Guiardum nominat, & scriptoribus Theologicis connumerat. Idem facit Ioannes Molanus in Bibliotheca Belgica, necdum typis excusa, his verbis: Guiardus vel Wiardus Episcopus Cameracensis obijt anno 1248. qui alio nomine dictus est Godefridus, Guido, seu Gilo de Landuno. Scripsisse fertur de officijs Ecclesiasticis librum, cuius initium est: Quoniam sæpe me rogasti. De creatione mundi Dialogum, qui inchoatur, Secundum Marcum Tullium. Hactenus Molanus. Sanè librum eius de diuinis officijs citat Ioannes Garetius in libro de vera præsentia corporis Christi in Eucharistia.*

Habeo

Habeo insuper sermones duos satis prolixos de passione Domini, quos descripsi ex antiquo codice ms. monasterij Flinensis iuxta Duacum, quorum prior hunc habet titulum: Sermo dompni Guiardi Episcopi de passione Domini in die nostræ redemptionis. Incipit: Christus passus est pro nobis. Alter incipit: Stabat iuxta crucē Iesu. Quos omnino arbitror esse eiusdem Guiardi. Annus obitus eiusdem suprapositus consentit cum monumentis ecclesiæ Tornacensis, ex quibus constat eum adhuc præfuisse ecclesiæ Cameracensi anno 1247.

IN CAP. V.

Parte 2. *Sermo est de schismate sub Frederico primo, qui dictus est Barbarossa, & Alexandro III. qui sedere cœpit anno 1159.*

IN CAP. VI.

Parte 3. Tanta summa pecuniæ cornuum istorum apicem attigit.) *Non vult taxare hunc abbatem Simoniæ, de qua agit 2. libro, sed cuiusdam ambitionis, & quod sine necessitate tantum pecuniæ erogauerit pro iuribus, quæ accipi solent à Romana curia; quod absque omni vitio Simoniæ fieri potest. Cùm enim Pontifex Romanus multis indigeat, potest aliquid per modum sustentationis accipere. Atque ita iudicandum est de ijs, quæ pro iuribus Episcopatuum vacantium, & similium soluuntur, quæ tamen sæpe solet remittere. Et sanè æquitas postulat, vt quos honorat priuilegijs, honoretur ab ijs temporalibus subsidijs. Taxat igitur abusum illorum abbatum, qui multo pretio & labo-*

bore redimunt sibi pontificalia ornamenta, quem grauiter reprehendit S. Bernardus epistola 42. is verbis: Verùm apertè indicant quidam horum uid cogitent, dum multo labore ac pretio Aposto-cis adeptis priuilegijs, per ipsa sibi vendicant in-gnia pontificalia, vtentes & ipsi more pontifi-um, mitra, annulo, atque sandalijs. Sanè si at-nditur rerum dignitas, hanc monachi abhorret rofessio: Si ministerium, solis liquet congruere ontificibus. Profectò esse desiderant quod videri estiunt, meritoq; non queunt esse subiecti, quibus am ipso se comparant desiderio. Quid si & nomen is conferre priuilegiorum posset auctoritas, quan-o putas auro redimerent, vt appellarentur ponti-ices? Hæc Bernardus. Neque tamen monasterio licui, aut sedi episcopali, aut collegio macula ali-qua est inurenda, quòd in ijs fuerint quidam malæ vitæ, cùm nullum fuerit vnquam sanctius Apo-stolorum collegio, cui Christus praeerat: & tamen fuit ibi Judas fur, & proditor. Et de se prelatus quilibet meritò sentire debet, quod Augustinus e-pistola 137. Quantumlibet vigilet disciplina do-mus meæ, homo sum, & inter homines viuo, nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior sit, quàm arca Noë, vbi inter octo homines reprobus vnus inuentus est.]

IN CAP. VII.

Parte I. In iconia beatissimi patris Augustini scriptura his versibus legebatur.) *Iconia idem quod icō siue imago. εἰκόνιον diminutiuū est ab εἰκών. Voce iconia, pro imagine vtitur Vincent. in specu-lo hist.*

lo hist. l. 31. aliàs 32. c. 66. in titulo. Loquitur ergo vt apparet de aliqua B. Augustini imagine cui versus sequentes subscripti legebantur. Eadem voce vtitur Ioannes diaconus in vita S. Gregorij. lib. 4. c. 83. Duæ, inquit, iconiæ veterrimæ artificialiter depictæ vsque hactenus videntur. Amalarius lib. 1. de eccles. officijs c. 37. Immo & Volusianus epist. 2. apud Augustinum.

Ibidem. ipse quibus præerat septuaginta polos.) *Hæc plurium exemplarium, & verisimilior est lectio. Solum ms. b. & c. legunt poles. Nec credibile videtur Hipponensem Episcopatum subiectas habuisse 70. vrbes, præcipuè muratas, sed 70. polos, id est, pagos aut parochias, in quibus iurisdictio spiritualis exerceretur. Quo sensu in iure Canonico vulgò loquimur, distinguẽtes forum fori. i. exterius, & forum poli, id est, cæli, siue conscientiæ. Hic sensus ex eo confirmatur, quod scribit Theodoretus Cyri episcopus in epist. ad Leonem papam, quæ exstat to. 1. Concil. Binij ante ep. 63. S. Leonis, vbi de se ait Theodoretus: Et vt in octingentis ecclesijs pastor essem mihi sortito obtigit: tot enim parochias habet Cyrus. Sic ille. Si quis tamen velit ciuitates intelligi, mihi non displicet, qui huius rei auctorem habeo Ioannem Mauburnũ Bruxellensem, Canonicum regularem in Roseto exercitiorum spiritualium tit. 19. circa finem, vbi de sancto Augustino loquens sic ait: Quis te fecundior inter omnes patres regulares? Viginti septem tua regulæ ordines habes, qui tamen & subdiuiduntur. Sicut in vita septuaginta sub te ciuitates habebas, quod cunctis seculis inauditum: ita & mortuus non est, qui similis sit tibi.) Vbi hoc addimus fr. Robertum*

bertum Richardinũ in præfatione exegeſeos ſuper regulam S. Auguſtini recenſere triginta ordines ſub hac regula militantes, fr. Proſperum Stellartiũ in Nucleo hiſtorico eiuſdem regulæ ſexaginta.

p. 2. Et tabardum, quem Gallici canem dicunt, id eſt, vlieger, induerat.) Togam talarem Belgicè tabbaert dicimus, quam auctor tabardum appellauit. Per Gallicos, non vno loco huius operis, eos qui Gallicam Brabantiã incolunt, intelligit. Vlieger Belgis eſt veſtis exterior, aperta parte anteriori; atque nunc ferè mulieribus tribuitur, à volando nomen accipiens. Nobis enim volare, vlieghen eſt. Jocosè autem canis dicitur, quia dum hæc veſtis à vento eleuatur, inſtar canis à tergo ſubſequitur. Et adhuc hodie moris eſt in Brabantia, vt, ſi quem, aut quam ſic incedentem cernant: Ecce, inquiunt, talis venit, & canis eum ſequitur. Atque hunc inceſſum, qui leuitatis eſt argumentum, quidam ſolent affectare, vt cernatur totius corporis, aut aliarum veſtium proportio. Hinc in Lateranenſi Concilio ſub Innocentio III. ca. 16. (& habetur extra de vita & honeſtate cleric. c. Clerici) conſtitutum eſt clericis, vt clauſa deferant deſuper indumenta. Sequitur ibidem. Veſtes eius ex ſcarleta forrata vario, duplices, vix genua contingentes.) Mirum in modum variant exemplaria. Poſuimus eam lectionem quæ eſt ms. p. à qua non diſſentit ms. s. niſi quòd pro forrata, legat morata. Duo impr. antiquiora habẽt, ex ſcarlaca morata varia duplices, vix genua contingentes. ms. b.c. ex ſcarleta morata varia duplices erant, vix genua contingentes. Eodem modo & tertium imp. ſed pro morata, moreta in hac legitur. Forrata

ms. b. c. tert. imp. omit. id eſt, vlieger.

vario

vario.j.suffulta varij coloris pellibus,aut alterius materiei. Damnatus fuit quem hîc reprehendit in Prælatis habitus,post auctoris tempora per constitutionem Clementis quinti in Concilio Viennensi, quæ incipit: Quoniam in abiectis: & innouata est in Concilio Trid. sess. 14. c. 6. de refor. In ea nominatim mentio fit ta.)ardi foderati. Extat l. 3. Clementin. tit. de vita & honest. Cleric. c. 2. Ne verò nimis fastuosum habeant famulitium & comitatum,& nimium equorum numerum, nec propinquos ditent,de quo infra c. 18. statuitur in prima synodo prouinc. Cameracensi tit. de monasterijs c. 16. Pro lectione,quæ habet: forrata vario, facit quod scribit Guillelmus Neubrigensis l. 3. de rebus Anglicis ca. 23. in statutis regum in susceptione crucis statutum fuisse, quòd nullus vario,vel griso,vel sabellinis, vel escarletis vtatur. Item quod legitur in testamento Petri de Arceys episcopi Trecensis,qui obijt an. 1395. Vnà cum clochia & malbreto,& mantello de camelino meis, ac caputio de dicto malbreto fourato de minutis varijs. Exstat hoc testamentum in Promptuario sacrarum antiquitatum diœcesis Tricassinæ pag. 223. edito à Nicolao Camuzat 1610.

p. 3. Quantæ enormitatis sit atque peccati cuique religioso habitum deponere vel ad horam.) *De eadem re pulchrum est exemplum apud Cæsarium, dialogorum, siue, vt nunc inscribitur, illustrium miraculorum & historiarum memorabilium l. 11. c. 36.*

p. 5. Hinc Seneca de moderamine vestis insinuat sic: Omnia, inquit, nostra foris populo conueniant,&c.) *Hæc est lectio tertij exemplar. imp.*

Ms.

Ms.b.c. duo imp. insinuat. Sic omnis, inquit, nostra frons populo conueniat. ms. p. insinuat sic. Vestis, inquit, nostra populo foris conueniat. ms.s. Hinc Seneca moderamen vestis insinuat: Habitus, inquit, tuus populo foris conueniat. Originale ita habet: Intus omnia dissimilia sint, frons nostra populo conueniat.

Ibidem. Quis est pauper? qui sibi videtur diues.) *Sic omnia ms. & tertium imp. at duo priora posteriorem partem sic efferunt: qui sibi videtur pauper. or. in libro de moribus solum legit: qui sibi videtur, quod cum hac lectione congruit. Verùm in prouerbijs legitur vt in textu posuimus.*

Ibidem. Quis nimium habet? qui minimũ cupit.) *Sic ms. p. conformiter or. quod legit: Quis plurimum habet? qui minimum cupit. ms.s.b. tert. imp. Quis nummum habet? qui minimè cupit. Duo alia imp. & ms. c. vitiosè legunt. Quis minimum habet? qui minimè cupit.*

p.6. Sed quid faciat indutus vilibus non discerno.) *ms. b. tertium imp. quid faceret coram indutus. ms.c. coram induto. cetera vt in textu.*

p.7. Abbatem Persaniæ.) *Aliàs Perseria & Persinia nominatur, de qua Aubertus Miræus cathedralis ecclesiæ Antuerpiensis Decanus dignissimus in chron. Cisterciensi pag. 176. Abbatia de Persinia, aliàs de Piscinia, vulgò de Persegne, apud Cenomanos fundata & dotata per Guillelmum, Ioannem, & Robertũ Comites Cenomanenses ac Barones de Sonnois, teste Choppino monasticorum lib. 2. tit. 1. §.9.*

IN CAP. VIII.

Parte 1. Antiquam nota lector grammaticam.) *Phrasis illo seculo vsitata, qua, vt apparet, rem significabant notam & vulgarem. Desumpta ex eo, quòd Grammatica triuialis sit scientia. Vel certè grammatica pro dicto, aut doctrina ponitur: quomodo Godscalcus Hollen serm. 1. in 3. praeceptum decalogi; Ista, inquit, est grammatica Eusebij, pro eo quod diceret, sic docet, vel dicit Eusebius.*
p. 2. Istud verò (*nempe pellicium*) mihi loco pennæ sub scortocio meo ponas.) *ms. s. sub sorchocio ponas. ms. b. sub sorcotio dimittas. tert. impr. sub sortorio dimittas, c. sub sorcocio dimittas. Locus obscurus ob dictionum obscuritatem. Pellicium vestis est longa ex solis pellibus confecta, à qua hodie vsitatum ecclesiasticis remanet vocabulum superpellicium, quòd ei superinduatur. De qua voce Guillelmus Durantus in rationali diuin. offic. l. 3. c. 1. num. 11. Dictum est, inquit, superpellicium eò quòd antiquitus super tunicas pelliceas, de pellibus mortuorum animalium factas induebatur, quod adhuc in quibusdam ecclesijs obseruatur, repraesentantes quòd Adam post peccatum talibus vestitus est pellicijs. Hac ille. Vocem pelliceum vsurpat Bernard. in apol. ad Guillelm. abbatem. Scortocium (hanc enim lectionem maximè probamus) idem, ex verbis paulò post sequentibus, videtur esse quod supertunicale, tractum, vt apparet à dictione scortum, quae propriè corium significat, & omnia ex pellibus facta, scortea dicuntur; qua voce vtitur in Fastis Ouidius, &* Gen. 3.

Mar-

Martialis penulam scorteam dixit, id est, coria-
ceam. Legendum autem pennæ, vt in textu reli-
qui, & omnia habent exemplaria, probatur ex
Bartholomæo Cassanæo in Catalogo gloriæ mundi,
p.4.consid.47. vbi dicit canonicos habere ornamē-
tum ex grisea pelle seu pēna. A scortocio diuersum
videtur sarraciū siue scorliciū, Gallicè sarro: quo-
modo vocatur superpellicium absque manicis, quod
in hyeme gestant canonici sub cappis suis. Hoc e-
nim indumentum lineum est, de quo Ioannes Bus-
chius in chron. Windesemensi lib. 1. ca. 23. Habi-
tus canonicorum regularium est vestis linea, quam
Romani roketum Romanum, Germani subtile, sar-
racium siue scorlicium appellant.] Qui paulò post
refert inter sarracium & scorlicium quosdam ex
forma nonnihil distinguere. Robertus Richardinus
in reg. S. Augustini, vbi de vestitu agitur: Ro-
cheta, inquit, signat mundiciam ac vitæ purita-
tem. & infrà: Secundum aliquos dicitur syndon si-
ue superpellicium scerrotium seu scorticium, subti-
le secundum Germanorum vsum, &c. Quibus ver-
bis videtur hæc omnia inter se confundere.

IN CAP. IX.

p. 2. De hoc B. & insigni viro Conrardo, de quo
toto hoc ferè cap. agit & I. Molanus in Nat. SS.
Belgij die 30. Iunij, & Arnoldus Wion lib. 1. li-
gni vitæ c. 44. pag. 68. Villaria autem siue Vil-
larium, vel, vt scribunt mediæ ætatis scriptores,
Vilarium, Belgicè Vilcer, monasterium est ordini
Cisterciensis, cuius in his libris mentio est frequen
tissima, situm in Brabantia ad Diliæ scaturigin

int

inter Niuellam & Gemblacum. Quod autem p. 4. refertur, idem habet Vincentius in specul. hist. lib. 30. c. 68. sed id refert accidisse Bononiæ. Ibidem ait hunc Conrardum legatum, Episcopum fuisse Portuensem. Idem habet vita S. Dominici, l. 6. ca. 7. apud Surium, quæ est scripta per frat. Theodoricum de Apoldia Dominicanum. De eodem præclara refert Autbertus Miræus in chron. Cistercienſi ann. 1147.

p. 3. *Idem legitur de facie & manibus Idæ de Niuella cap. 22. vitæ ipsius, quæ exstat ms.*

p. 5. *De nomine Prædicatorum paulò latiùs frater Nicolaus Ianssenius in vita S. Dominici lib. 1. c. 6.*

p. 7. Dominum Honorium tertium.) *Restitui tertium, pro quo omnia exemplaria legebant quartum, sed tertium habet auctor in fine lib. 3. de vita B. Mariæ Ogniacensis.*

p. 8. *Quæ hac parte habentur eadem habet auctor eodem lib. 3. de vita eiusdem B. Mariæ c. 17.*

IN CAP. X.

Parte 2. Quidam cenent tecum quia digni sunt, quidam vt sint.) *Sic locum restitui ex orig. & hunc sensum requirit subsequens sententia. Exemplaria mirum in modum variabant. ms. b. c. & tert. imp. Quosdam tenes tecum, qui digni sunt, quosdam vt sint. Similiter & ms. s. sed pro, qui, habet quia. Ms. p. & duo imp. Quosdam tenens tecum qui digni sunt, quosdam qui nec digni sunt.*

Ibidem. Non potest quisquam bene regere, qui se tantùm intuetur.) *Ms. b. c. s. & or. legunt beatè*

degere, tertium imp. bene dirigere.

IN CAP. XI.

Parte 3. Noui ſecretiùs.) *Hoc eſt ex confeſſione. Qua phraſi in hoc opere frequenter vtitur.*

IN CAP. XII.

P. 1. Sic Dauid, Iudam, ceteroſque reges, Duces, ac Iudices Iſrael bella populi prælian-tes.) *Per Iudam intelligit Iudam Machabeum ſummum ſacerdotem & belli ducem, quem alij ſacerdotes orationibus adiuuabant.*

IN CAP. XIII.

Parte 2. Abbas monaſterij S. Matthiæ Treuerenſis.) *Huius infrà lib. 2. cap. 1 par. 2. fit quoque mentio. Eſt ordinis S. Benedicti reformationis Binſſeldenſis, inchoatum (vt ſcribit Gaſpar Bruſchius in Chronologia monaſteriorum Germaniæ) annum Chriſti circiter ſeptuageſimum, dictumq; antiquitus S. Eucharij cella à S. Euchario primo Treuirorum doctore & epiſcopo, qui ex 72. diſcipulis vnus, à S. Petro, cum alijs duobus Materno & Valerio Treuirim miſſus eſt.*

IN CAP. XIV.

P. 2. Atque alijs intentis aliàs.) *Duo imp. intentis ad aleas, conformiter ms. p. quod legit, atque alijs intentis aleis. ms. b. c. Aliáſque ceteris inten-*

intentis. tert. imp. alijsq́, ceteris intentis. Sed veram lectionem postea in ms. s. deprehendi, quam nunc in textu posui, hanc videlicet: Atque alijs intentis aliàs: j. alijs negotijs occupatis. Quo loquendi modo sæpius auctor vtitur, ac nominatim l. 2. c. 29. p. 6. & 9. & bis cap. 36. par. 2. Abbate cum suis aliàs occupato c. 53. p. 32. Aliàs impeditus. Ibidem p. 34. Intentum aliàs socium itineris præstolarer. Sic Auctarium Aquicinctinum ad chron. Sigeb. 1180. Alijs verò aliàs intentis. Item vita B. Gosuini lib. 3. nu. 12. Eodem sensu Ioannes Gillemans hîc legit in vita auctoris: Atque alijs intentis alijs.

Ibidem. Imitandus emicuit.) *Verior est lectio, quæ in margine notatur, (enituit) quomodo legitur lib. 2. c. 1. p. 18. & cap. vlt. p. 60. Sic Petrus Damianus ser. 3. de Nat. B. Mariæ: Sicut lilium inter spinas, sic beatissima Virgo Maria enituit inter filias.*

IN CAP. XV.

Non enim secundùm discretissimum Augustinum putandus est otiosus, qui verbo Dei studet.) *In margine notaui locum ex glossa ord. ad versum Psal. 118. Defecerunt oculi mei. ex Augustino; ex qua idem citat S. Th. 2. 2. quæs. 187. ar. 3. Item opus. 17. c. vlt. & opus. 19. c. 11. & vbique addit exclusiuam: Tantùm studet, quomodo & in ipsa glossa legitur.*

Ibidem. Vnde modernus nostri temporis ille Poëta in persona Alexandri regis dixisse legitur.

Si quando dixero forti

I prior, i, sed in arma veni, præcedere nisus,
Tunc demum socios sum dignus habere sequaces.) Hæc est meliorum exemplarium nostrorum lectio. Ita enim legunt ms. p. s. & duo impressa, sed coniungunt has voces, i priori. Verùm ms. b. & tertium imp. Non prior, sed ms. c. Non priori, sed, &c. Auctor ex quo citatur, nempe Waltherus de Castellione lib. 4. Alexandreidos in fine, ex editione Lugdunensi anno 1558. sic habet:

Si numquam dixero forti.
I prior, i, sed in arma veni, præcedere visus.
Tunc demum socios sum dignus habere sequentes.

Illud autem significatur quod Ioannes Niderus lib. 1. formicarij cap. 3. docet, bonos prælatos dicere debere: Venite, & non solùm ite: hoc est, eos exemplo præcedere in eo, ad quod hortantur.

p. 2. Magistro Waltero de Mareuis Tornacensi Episcopo.) *Sic ms. s. & ms. c. Maruis quæ utraque lectio sincera est, cui concordat Meyerus in annal. Flandriæ vocans Valterũ Maruisiensem. Cetera malè, vt ms. p. Marnis, ms. b. ter. imp. de Marcijs, duo imp. de Magnio. Vocari solet communiter à Tornacensibus Walterus de Maruisio. Nomen habet à riuulo quodam Tornacensi: Vnde est ibidem porta de Maruis, & platea de Maruis, & hospitale de Maruis. Patria enim fuit Tornacensis, filius sutoris veterani. De quo à domino Michaële Nauæo archidiacono Tornacensi hoc mihi narratum est: Dum puer scholas visitaret, contigit inundatione fluuium seu riuulum Maruis metas suas excessisse: vnde puerum pater studiosè comitari solitus, aliquando per aquas transferri iussit, vt matutinas adire posset.*

Hinc

Hinc piſtor quidam æmulus, & tantum ſtudium admiratus, dixit ei: Cur tanta diligentia filium tuum ad templum deducis, viſne eum facere epiſcopum Tornacenſem? Fortaſſe fiet, inquiebat pater. Tum piſtor, credens id numquam futurum: Ego, inquit, panem omnem dabo pro epulo, quod in eius conſecratione exhibebitur, ſi id cōtingat: quod & poſtea fecit. Is eſt, qui Goſſuino ſucceſſit anno 1218. Porrò laudabiliter admodum ac frugaliter epiſcopatum adminiſtrauit, multáque Tornaci fundauit. Cui rei fidem facit epitaphium in æs inciſum ad leuam ſiue Septentrionalem partem chori, his verſibus;

Walteri meritum commendat ſobria vita,
Mens humilis, ſimplex oculus, deuotio pura,
Larga manus, doctrina frequens, afflictio iugis,
Vota crucis, paſtoris opus, legatio plena.
Ipſe bonos pueros, Moniales, ac Seniores
Fundat presbyteros, Beghinas, atque Minores,
Et Comminenſes ad ſe vocat, ac Aënenſes.
Obijt anno 1251. 16. Februarij.

IN CAP. XVI.

Parte 2. Hic, ſicut de Iulio Cæſare legitur, Omnia Cæſar erat.) *Locum reſtitui. Omnia enim exemplaria legebant: ſicut de Auguſto legitur, cùm tamen Iulius, (de quo Lucanus loquitur) Auguſti proximus prædeceſſor, Auguſti nomen non obtinuerit, quamuis omnes eius ſucceſſores illud quaſi hæreditarint.*

IN CAP. XVII.

Parte 4. Quia vt dicit Philoſophus: Pueri non tantùm monendi ſunt ſed etiam arctandi.) *Philoſophi nomine toto hoc opere Senecam intelligit, quod tamen in ijs, quæ illius extant operibus non legitur: Veriſimile eſt addendum verberibus, vt in margine annotaui ex Speculo exemplorum.*

IN CAP. XVIII.

Parte 1. Vulgò dicitur: Miles in obſequio famulum, clericus ſocium, monachus habet dominum.) *Hoc non ineleganter quidam hoc diſticho comprehendit:*

Seruos ſeruiles habet omni tempore miles,
Presbyter æquales, ſed monachus imperiales.

IN CAP. XIX.

Parte 3. In partibus Theutoniæ, in opido magno quod Mons Martis dicitur.) *Aliquoties meminit huius opidi, vt hoc cap. & l. 2, c. 43. p. 4. videtur autem intelligere Marpurgum Haſſiæ præcipuum oppidum, quod Germanicè Matpurg & Marsburg dicitur, quod Martis ciuitatem ſonat, & à Marte ei nomen putatur inditum, alijs à Marcomiro. Auctoris tempore fortè Marsberch pronunciabatur, quod Martis montem ſignificat. Alium noui montem Martis vitiferum iuxta Treuerim, ſed in quo nulla ciuitas.*

p. 5. Volo vt quicunque hæc legerit, ſciat me an-

no ab

no ab incarnatione Domini M. CC. XXXVIII. fuisse Parisijs, &c.) *De hac disputatione agit etiam Jacobus Meyerus in annalibus Flandriæ ad hunc annum: & eadem habet quæ hac parte 5. & sequenti continentur ad annũ M. CCXXVIII. cui, inquit, anno alij attribuunt. Verùm si hunc nostrũ legisset auctorem, de eo non dubitasset: simulq́; cognouisset bis esse factam de ea re digladiationem, non tamen decennio, sed solùm triennio interiecto. Eiusdem definitionis factæ ad annum 1238. meminerunt Wernerus Roleuinck in fasciculo tẽporum, Demochares in catalogo Episcoporum Parisiensium, Arnoldus Pontacus in chronographia, & alij.*

Sequitur ibidem. Vbi venerabilis Guillelmus Parisiensis Episcopus.) *Hic est ille, cuius egregia & docta extant opera, Patria fuit Aruernus, & non tantùm eruditionis, sed & bonæ conuersationis laudem insignem ei scriptores attribuunt. Memorabile de eo refert exemplum auctor noster lib. 2. c. 55. p. vlt. In tabulis Democharis est ordine 75.*

Ibidem. Hoc frater Guerricus, & frater Gaufridus eiusdem ordinis.) *De vtroque agit Gerardus Lemouicensis in vitis Prædicatorum. Et de Priore quidem, qui ortus est ex oppido S. Quintini, parte siue l. 4. cap. 11. & p. 5. c. 4. vbi memorabilia de eo commemorat. De altero, quem vocat Gaufridum de Bleuallo, patria Burgundum, agit cap. vlt. partis quintæ. Vterque fuit doctor S. Theologiæ, vt constat ex c. vltimo iam citato, & ex hoc loco Cantipratani. Priorem quoque beatis Confessoribus adnumerat Stephanus de Sampayo in stemmate ordinis Prædicatorũ, & vtrumque primis*

mis huius ordinis Professoribus S. Theologiæ in Vniuersitate Parisiensi.

p. 6. Quid autem de isto Philippo contigerit, audiamus.) *Idem refert Albertus magnus lib de sacramentis, & ex eo Ioannes Raulin S. Theologiæ Doctor & Professor ordinis Cluniacensis in doctrinali mortis tract. 3. c. 7.*

Ibidem. Experiri se velle dicens, vtrum esset damnabile, beneficia plura tenere.) *Post tantorum virorum sententias, & ipsius Concilij Lateranensis, ac pontificis Alexandri III. extra. de Præbendis, cap. Quia in tantum, nequaquam dubitare poterat. Ibi enim dicitur, quòd multitudo præbendarum canonibus inimica sit, dissolutionis & euagationis materiam inducat, certúmque continet periculum animarum. De hac materia præter infinitos alios extat insignis tractatus Guillelmi Parisiensis Episcopi de pluralitate Ecclesiasticorum beneficiorum, post tract. eiusdem de collatione beneficiorum, qui ambo desunt in operibus eius etiam nouissimè Venetijs excusis anno 1591. Sed extant in 4. excusi Argentorati 1507. Item de eadem re extat Dialogus Canonici & patroni auctore Dionys. Carthusiano. Verba Alex. III. extra de præbendis & dignitatibus, c. Quia in tantum. ex Concilio Lateran. sic habent: Multitudo præbendarũ canonibus inimica, quæ dissolutionis materiam & euagationis inducit, certúmque continet periculum animarum. Ioannes XXII. in extrauagante, quæ incipit, Execrabilis, decem incommoda recenset ex hac pluralitate promanantia. Denique eamdem pluralitatem prohibet Synod. Trid. sess. 24. cap. 17.*

p. 8. Ro-

p. 8. Robertum de Chorton, Romani apicis Cardinalem morientem ante primam Damiatæ obsidionem.) *Ea facta est, Meyero teste, anno* 1218. *sequente verò anno capta est præclarissima hæc Ægypti ciuitas: sed anno* 1221. *Sultano reddita. Secunda eius obsessio & expugnatio per sanctum Ludouicum Franciæ regem facta est anno* 1249. *Profectus erat eò, teste Vincentio in Speculo hist. Christiano Massæo, & Martino Polono in chronicis, anno* 1248. *Et hæc nota ad maiorem lucem eorum, quæ referuntur l.* 2. *c.* 54. *p.* 14. *Dictum autem Robertum Chorton Iacobus de Vitriaco histor. Occidentalis c.* 9. *recenset inter veros & excellentes illius temporis prædicatores & doctores.*

Ibidem Hoc idem magister Petrus cantor sanctę Mariæ Parisiensis, & dixit, & scripsit.) *Hæc est lectio ms. b. c. & tertij impr. quibus accedunt alia duo ms. quæ habent: Magister Petrus sanctæ memoriæ Cantor Parisiensis. Sed in ms. p. super lineas dictioni (Petrus) adiectum est Comestor: fortè ex antiquioribus imp. quæ ambo legunt, sed perperam: Hoc idem magister Petrus Comestor sanctæ Mariæ Cantor Parisiensis dixit & scripsit. Certè qui addunt Comestor, duos diuersos auctores conflant in vnum. Neque enim apparet Petrum Comestorem (qui teste Tritthemio presbyter fuit ecclesię Trecensis) Cantorem fuisse sanctæ Mariæ Parisiensis. Est etiam, eodem Tritthemio auctore, Petrus Cantor posterior Comestore annis ferè* 40. *Floruit enim Comestor anno* 1160. *Cantor obijt, teste Vincentio in speculo, & Antonino in chronicis anno* 1197. *Eadem lectionis varietas est l.* 2. *c.* 1. *p.* 19.

19. vbi duo imp. addunt nomen Comestoris. Verùm non rectè id fieri, etiam ex eo probatur, quia Cantipratanus vix videtur potuisse videre discipulum Petri Comestoris: & quòd omnia ms. cum tertio imp. ibidem nullum habeant huius lectionis vestigium: cap. verò 30. p. 12. sine vlla diuersitate legunt omnia, Petrus Cantor Parisiensis. Porrò eximiè laudat hūc Petrum Cantorem Parisiensem Iacobus Vitriacus c. 8. hist. Occident. Eiusdem quoque honorabilis fit mentio in Cæsario libro 12. c. 48.

P. 9. Quantò ergo numerosior extiteris in præbendis. &c.) Verissimè dictum à quodam: Qui fuerit pluralis in beneficijs, erit etiam pluralis in tormentis. Quod post alios refert Iacobus Guytrode in libro cui titulus: Lauacrum conscientiæ sacerdotum cap. 8. vbi de hac quoque materia latè disserit.

IN CAP. XX.

Parte 2. Idem quod hac parte refert auctor lib. 4. de Natura rerum cap. de lincisco, & dicit M. Ioannem de Oignies, quem hîc vocat magistrum Joannem de Leodio in periculo mortis prælatum, seu (vt ibi vocat) presbyterum illum audiuisse, scilicet in confessione.

p. 4. Simile narrat exemplum Robertus Halkot lect. 164. in lib. Sapientiæ, Philippus Diez in summa prædicantium, verbo ambitio, de Gaufredo Clareuallensi Priore, electo in episcopum Tornacensem, quem vehementissimè vrgebant Eugenius

Papa,

Papa, & S. Bernardus, vt onus episcopale susciperet.

Ibidem. Ex tunc timui, & nunc scio, quòd si episcopatus cathedram ascendissem, perpetuæ damnationis periculum incidissem.) *Huic consentit quod scribit Adelagus Bremensis archiepiscopus in epistola consolatoria ad Flodoardum, (quam historiæ Remensi eiusdem Flodoardi præposui) in hęc verba: Horreo notare quod dixit sanctus, audiuit sanctus, rescripsit sanctus: Nunc essem de numero damnatorum, si fuissem de numero episcoporum.*

p. 5. Sed & venerabilis Hugo Cameracensis ecclesiæ decanus.) *De hoc Hugone Iulianus de Ligne presbyter Cameracensis in litteris ad me datis ita scripsit: Iste Hugo decanus vocatur Hugo de Villa, cuius obitus annuatim celebratur die 16. Septembris. Is fundauit ecclesiam parochialem S. Gengulphi martyris, quæ est sub claustro sinistro ecclesiæ Cameracensis, quam Gerardus II. episcopus penultima Decembris dedicauit. Verùm potèrius istud ab alio Hugone decano ecclesiæ Cameracensis factum videtur, qui fuit religiosus Aquicinctensis, & ibidem sepultus. In eius enim lapide sepulchrali, vt est in auctario ms. chronici Sigeberti eiusdem monasterij facta ab aliquo eiusdem cœnobij monacho sic legitur. Hîc est sepultum corpus Hugonis decani S. Mariæ Cameracensis ecclesiæ, qui construxit claustrum cum porticu eiusdem ecclesiæ, capellámque S. Gingulfi. Insuper vt cetera taceamus, multis annis à carne abstinuit, super plumam non iacuit, nisi fortè in hoc monasterio iussu abbatis, &c. Obijt anno Domini 1093. vj. idus*

idus Nouembris. Sic dictum auctarium ad annum Christi 1181.

De alio Hugone clerico Cameracensi, ex contubernali episcopi Burchardi, qui anno 1118. adiunxit se S. Nortberto, & qui postmodum ab eodem creatus est secundus abbas Præmonstratensis, agit Miræus in chron. Præmonstratensi anno 1116. & 1129.

Ibidem. Monasterium Cisterciensis ordinis in Vaucellis prope Cameracum ingredi cogitauit.) *Restitui prope Cameracum pro eo quod ms. p. & duo imp. habebant prope Tornacum. Reliqua exemplaria hæc bina verba omittebant. Sic autem legendum vt restitui, constat ex lib. 2. c. 26. p. 2. & nota nobis experientia. Eamdem abbatiam S. Bernardus ep. 186. vocat Valcellas, quod nomen integrè exprimit Molanus in Natt. SS. Belgij 20. Augusti, Valliscellam nominans, Gallicè Vaucelle. Duobus distat Cameraco miliaribus.*

Ibidem sequitur. Cumque proposito declarato, accipitrem decem mutonum peroptimum quem habebat, multi nobiles peterent.) *Sic ms. p. & duo imp. reliqua, (mutationum). Legendum fortè buteonum. Nam quid muto significet præter virile membrum, ignoro. Accipitrum verò genera hæc lego in nomenclatore Adriani Iunij: Æsalo, Buteo, Fringillarius, palumbarius, & tinnunculus. Aristoteles genera decem agnoscit, lib. 9. de hist. animal. c. 36. vbi & illud habet: Accipitrum genus præcipuum buteo est. Plin. lib. 10. histor. nat. cap. 8. sedecim inueniri testatur. Vero simile est buteonum primò mutatum in butonum, ex quo, voce dictantis non plenè ad aures excipientis perlata, fa-*

Cap. de auibus.

ta, factum est mutonum, vt interdum alea scribi solet pro area, vel contra. Hæc vbi annotassem, & postea cùm viro literatissimo de ea re contulissem, alium suggessit intellectum non minus probabilem, videlicet, vt monetæ nomen sit muto, cuius habetur mentio in historia Venerabilis Sacramenti, Bruxellæ etiamnum hodie miraculis coruscantis, quæ contigit anno 1369. Narratur enim ibidem cap. 1. Jonatham Iudæum conduxisse M. Joannem Louaniensem, baptizatum quidem, sed natione Iudæum, eiq; promisisse sexaginta mottones rosarum (roeskens mottoenen) pro traditione venerabilis Sacramenti. Et infrà cap. siue artic. 10. promisisse cuidam Catherinæ, vt idem venerabile Sacramentum deferret Coloniam, viginti Wenceslai mottones. Erat is Wenceslaus eo tempore Dux Brabantiæ. De his à me consultus per litteras vir probus & eruditus magister Petrus magnus, Magister fabricæ ecclesiæ B. Gudilæ Bruxellensis, scripsit apud se extare adhuc tria eiusmodi numismata aurea, quæ verisimile sit nomen ab agno, aut veruece sumpsisse, quem Gallicè, mouton, nominamus. Habent enim ab vno latere agnum insculptum, cum hac inscriptione: Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Ex altero latere crux est in extremitatibus foliata, cum hac inscriptione: Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat. Ea autem, quæ extant apud virum prædictum, rosulam habent in crucis meditullio, ex quo conijcit ex illis esse, quæ rosarum mottones appellantur. De ijsdem Lipsius in suo Louanio lib. 2. cap. 6. loquens de Wenceslao Brabantiæ Duce anno 1362. & citans veterum annaliū verba: Eidem, inquit,

inquit, ex ærario triginta quinque millia aureorum, quos verneces vocant donata. Item Robertus Gaguinus lib. 9. hist. Francorum, narrans ea, quæ facta sunt sub Ioanne rege Franciæ filio Philippi Valesij, hoc est circa annum 1360: *Per hos duos, inquit, monetæ pretium mutatum est. Nam mutonus (id enim monetæ aureæ nomen erat, quod arietis effigiem, quem mutonem Franci dicunt sculptam haberet) solidis triginta æstimatus est. Et lib.* 10. *Trimolus quatuor muttonum aureorum millibus persolutis carcere liberatur. Certè apud veteres pecuniam figuris pecudum signari solere notum est. Hinc Plinius lib.* 33. *hist. nat. ca.* 3. *Signatum est æs nota pecudis, vnde & pecunia appellata. Sic ille. Idipsum testatur Columella l.* 6. *in præfatione; & Plutarchus in Publicola. Ut ex sacra scriptura aliquid addamus, pro eo quod legitur Genes.* 33. *Iacob emisse partem agri à filijs Hemor patris Sichem centum agnis, S. Stephanus Act.* 7. *emisse dicit pretio argenti; quia agnus ibi nummum significat agni figura notatum. Vnde Augustinus Eugubinus in dictum caput Genesi vertendum esse vult verbum Hebræum centum denarijs, vel centum nummis. Denique intelligo in quibusdam monasteriorum reditibus mentionem fieri certi numeri mutonum quotannis exoluendorum, vbi pro huiusmodi nummis, vel pro ipsis vervecibus vsurpatur. An autem ea lectio, quæ (mutationum) legit, verisimilitudinem habeat, melius, quàm ego, iudicabit accipitrarius. Ceterùm nota dist.* 34. *cap. Episcopum, & extra de Clerico venatore, prohiberi episcopis, presbyteris, & diaconis ne habeant accipitres aut canes ad venandũ*

p.6

p.6. *Exempla eorum, quibus aues & alia bestia mansueta fuerunt, vide plurima ex diuersis auctoribus à Marco Marulo collecta l. 4. c. 5.*

p.8. *Simile exemplum refertur sub finem libri, qui Stella clericorum nuncupatur, factum in Burgundia, Aliud item in libro cui titulus, Virga directionis ecclesiasticorum fol. 7. ex Vincentij speculo historiali, in quo habetur lib. 25. aliàs 26. c. 89. & ex eodem Vincentio Speculum exemplorum distinct. 4. exemplo 56.*

p. 9. Si quis verò indignè dicta verba tulerit, notabilem se reddet in dictis, & veritatis planissimæ detractorem.) *Imitatur Iacobum de Vitriaco, qui caput 75. hist. Orientalis ita concludit: Si aliquis igitur propter hæc prædicta mihi irascitur, de seipso, quod huiuscemodi sit, videbitur confiteri.*

p. 10. Septem enim episcopatus illius abbati subiacent.) *De potentia & amplitudine abbatis montis Cassini amplè tractat Arnoldus* wion *lib. 1. ligni vitæ c. 2. & l. tertio ad diem 21. Martij. Sed vtrobique non nisi quatuor episcopatus ei narrat subesse, Principatus duos, ducatus duos, Comitatus 20. Ciuitates 36. Castella 250. &c. quorum nomina ferè omnia sigillatim recenset.*

IN CAP. XXI.

Parte 2. Quærentem vbi honestissimè & mitissimè viuat.) *Sic ms. p. conformiter or. quo ad partem priorem, nam posteriorem sic effert: Non vbi tutissimè viuat, quo modo legit etiam ms. s. nisi quod mitissimè legat pro tutissimè. Verùm solet*

solet interdum auctor noster quædam immutare quando citat Senecam, vt suo adaptet proposito. Ms. b. c. tria imp. Quare hoc? nisi vt honestissimè & mitissimè viuat, sed ms. b. c. cum tert. imp. legunt viuamus.

Ibidem. Magni animi est placidum esse tranquillumque, & iniurias atque offensiones supremè despicere.) *ms. p. summè, s. superbè, or. semper despicere. Eadem ferè varietas est lib. 2. ca. 18. p. 5. vbi eamdem ex Seneca citat sententiam. Nam & ibi ms. s. legit superbè, cetera supremè.*

p. 3. Pacem retribuam proximis, etsi persequantur: quamdiu vicem reddimus nihil est in exemplari.) *Hæc est lectio ms. p. nisi quod vitiosè scriptum erat, quam dum, pro quamdiu. Duo imp. in posteriori parte legunt: tamen vicem non reddamus. Ms. b. c. & tertium impr. quam diu vicem reddimus; ms. s. quam vicem reddimus creatori. Locus obscurior est, ideoq; variè commutatus. Veræ lectionis hic videtur esse sensus: Pacem retribuam proximis, etsi nos persequantur: quam diu vicem reddimus, persequentes videlicet eos, qui nos persequuntur, nihil est in exemplari, id est, nullius damus virtutis exemplar.*

p. 4. Vbi gloriosissimi Augustini corpus, cum Boëtio nobili philosopho & martyre Christiano conditum iacet.) *Papia de qua loquitur, alio nomine Ticinum dicitur. Boëtium philosophum Sanctum esse, & martyrem constat ex Baronio, & ijs, quæ allegat tom. 7. annalium anno 526. vbi & egregium de eo recenset miraculum, quòd videlicet caput sublatum ipse in templum detulerit. Quin etiam eumdem Boëtium canonizatum esse sub nomine*

mine S. Seuerini testis est Arnoldus Wion in prologomenis ligni vitæ in tract. de stirpe Austriaca, in gradu Aniciano 20. Et certè inter alia prænomina illud ei tribuitur. Vocatur enim in titulo operum suorum Anicius, Manlius, Torquatus, Seuerinus Boëtius.

IN CAP. XXII.

P. 1. Qualiter autẽ obediendum sit Pharao in Genesi Iosepho figuraliter repromittẽs, &c.) *Hîc correxi lapsum memoriæ auctoris, quem habebant omnia exemplaria. Hoc enim modo legebatur: Qualiter autem obediendum sit, Dominus in Exodo Moysi & Aaron figuraliter repromittens; dicit: Absque tuo imperio, &c. Et post verba scripturæ citata legebatur: Moyses & Aaron figuram tenent, &c. Ibidem & alium memoriæ lapsum emendaui, substituendo librum Iosue, pro Iudicum. Sic & alias scripturas restitui malè citatas in omnibus exempl. vt l. 2. c. 10. p. 2. ad Thessalonicenses, pro eo quod legebatur ad Collossenses c. 13. p. 2. tertium librum Regum, pro quarto. c. 16. p. 2. & c. 50. p. 3. Prouerbia, pro Ecclesiastico. c. 30. p. 2. c. 16. Ezech pro 19.*

Ibidem. Hæc obedientia in quibusdam religionibus, vt in ordine Prædicatorum & Minorum, &c.) *Hoc esse discrimen intelligo inter religiosos, qui Abbates habent, & eos, qui non habent; vt præter nominatos ordines, Carmelitæ, Carthusiani, &c. In his enim obedientia perdurat vsque ad mortem: Qui autem abbates habent, quotiescumque creatus est nouus, noua vouetur à singulis ei*

ſubeſſe volentibus obedientia.

p.2. *De hoc Fulcone, patria quidem Gandauenſi, ſed canonico Inſulenſi, agit Iacobus Meyerus in Flandriæ annalibus ad annum M.CC. X. eamdem hiſtoriam breuiter attingens. Cognomen erat ei Vtenhoue, Condidit Gandaui domum hoſpitalem, cui nomen eſt Biloka, vt teſtis ibidem Meyerus, quæ inchoata eſt anno iam dicto. Seruiunt in ea moniales ord. Ciſtercienſis, de quibus Miræus in chron. Ciſter. ad eumdem annum.*

IN CAP. XXIII.

Parte 1. Nobile vincendi genus eſt patientia, &c.) *Idem diſtichō citat Godſcalcus Hollen in 8. præceptum Decalogi ſer. 3. omittens quoque nomen auctoris.*

Parte 2. Loricam ferream portabat ad carnem, & ſuper loricam ex ſetis pilorum cilicium, quo per medium loricæ acriùs pungebatur.) *Per loricam, non thorax ille ferreus, ex ſolido ferro conſtans, iam militibus vſitatus intelligitur; ſed induſium ferreum ex annulis ferreis conſertum, quod Belg. dicimus een panſier, Gallicè halecret, ou cotte de maille, cuius iam rarior vſus eſt.*

IN CAP. XXIV.

Parte 2. *Idem quod hac parte, refertur à Leandro in vita B. Iordani, & ex alio, vt ſatis patet, auctore, videlicet ex vitis Prædicat. p. 3. c. 41. vbi ſanata refertur ad inuocationem beati Iordani poſt ipſius obitum.*

IN

IN CAP. XXV.

Parte 3. De hoc & in libro de natura rerum figuratè, &c. *Et infrà.* In loco, qui Strophades dicitur iuxta mare Ionicum.) *Ex libro illo de natura rerum (cuius exemplaria duo ms. post priorem editionem nactus sum) in quo strapedes legitur, emendaui Strophades, cùm exemplaria nostra ferè habeant Stragophales, alia Stragopales, aut Stragopoles. Accedit tamen ad veram lectionem, quod omnia exemplaria præter ms. s. ante vocem* (figuratè) *interponant dictionem (Stophados) quam nunc sustulimus, quia sensum turbat. Sunt autem Strophades duæ insulæ in mari Ionio, alio nomine Plotæ appellatæ, Harpyiarum habitaculum, vt describitur à Virgilio 3. Æneidos.*

p. 4. Magna res est, & diu discenda cùm hora, &c.) *Variabant omnia penè exempl. locum restitui ex or. expuncta negatione. ms. p. sic legebat: Magna res est & non diu discenda, cùm, &c. duo imp. magna res est & non diu dicenda. ms. s. Magna res est & non diu distendam, cùm, &c. ms. b. c. & tert impres. omissa secunda parte: Magna res est, cùm hora, &c.*


p. 6. Sed & de fratre Voluando Priore ordinis fratrum Prædicat. in Argentina ciuitate Theutoniç.) *Leander, Antonius Senensis, & Stephanus de Sampayo scribunt Volandus, quo nomine Tritthemius in chronico Hirsangiensi semper vocat abbatem 27. illius monasterij. Lemouicensis p. 5. c. 9.* Willionandus, *& obiter meminit de cruceossea. Vnde satis apparet quòd Cantipratanum*

num non legerit, alioqui uberiùs de ea re scriptu-
rus, nec illos sanctos Prædicatores omissurus, quos
infrà habet Cantipratanus lib.2.cap.1. Obijt au-
tem Voluandus teste Senensi anno 1237. S. Anto-
ninus par. 3 hist. tit. 23. cap. 10. §. 5. de quodam
Conrado narrat idem quòd hic de Voluando re-
fertur, nisi fallatur in nomine. Porrò Argentina
urbs est, quæ & Argentoratum, Germanicè
Straesbourg, siue Strasburg, quod nomen habet
ab Attila Hunnorum rege, qui ea direpta, &
mœnibus dirutis Polyodopolim edixit appellari,
quòd multis vijs accessibilis esset: hoc enim sonat
Strasburg. Testis Munsterus in Cosmogr. lib.4.
vbi agit de Vngaria. Simile ei, quod hac parte
refert auctor Dietæ salutis ex societate Iesu parte
1. c. 2. §. 4. his verbis: B. Clara de monte Falco-
nis adeo crucifixi doloribus vulnerata est, eiúsque
amore accensa, vt eiusdem Christi in cruce pen-
dentis simulacrum eius corde expressum adhuc vi-
deatur. Cuius rei multi possunt esse oculati testes,
vt & ego. Sic ille.


p.8. Ex his, quæ hac parte, & suprà p. 6. refe-
runtur potest aliquam probabilitatem accipere,
quod refertur de nomine Iesu scripto in corde san-
cti Ignatij martyris. Cuius rei meminerunt Mar-
cus Michael, presbyter Cortonensis in libro de vi-
ris illustribus in Ignatio. Verba citat Sympho-
rianus Champerius in prologo ante epistolas san-
cti Ignatij à se editas: Sunt, inquit, qui ferant
illustrem Ignatium in tormentis & supplicijs po-
situm ab innocatione nominis Iesu Christi num-
quam cessasse. Quem cùm tortores inquirerent, cur
hoc nomen totiens replicaret? Respondit hoc no-
me[n]

men cordi meo inſcriptum habeo: ideo ab eius inuocatione non ceſſo. Poſt cuius exceſſum hi, qui huiuſmodi verba perceperant, volentes quod dixerat curioſiùs experiri, cor ab eius corpore euulſerunt, quod aureis litteris inſcriptum habens nomen Ieſu repererunt: ſicq́; factum, vt quod ille verbis protulerat, ipſi operibus certiùs comprobarent. Sic ibi. Idem habet S. Thomas opuſculo 7. ſuper orationis Dominicæ primam petitionem, Vincent. in ſpeculo hiſtoriali lib. 11. c. 57 Legenda, quæ non rectè aurea dicitur, leg. 36. Iacobi de Vorag. Henricus Suſo epiſt. 12. Sequentia de nomine Ieſu, & hymnus primus, ſeu proſa de Sanctiſſimo nomine Ieſu apud R. P. Antonium de Balinghem in ſuo Parnaſſo ſeu monte Caluariæ ex miſſali Sarisburienſi, Traiectenſi, Pariſienſi, Leodienſi, Nouiomenſi, Ambianenſi, Itinerantium, & ex Romano antiquo. Petrus de Natal. libro tertio cap. 64. Martinus Polonus in chro. in Traiano, Ioannes Baptiſta Mantuanus in vita Ignatij, Thomas à Kempis concione 1. de incarnatione Chriſti num. 28. S. Antoninus p. 1. hiſt. tit. 7. c 1. §. 11. Quia tamen id ex antiquitate nullum habet teſtimonium, rectè docetur à Ioanne Molano lib. 3. de pict. cap. 7. id ſolidum non eſſe. Unde autem illud profluxerit, ibidem ſatis ſubtiliter coniecit. Quod ei ſimile profert Cantipratenſis hac parte maiorem haberet auctoritatem, ſi locus nominaretur, vel proferretur teſtis oculatus, vt in ea re, quam narrat p. 6. & alijs pleriſq;. Verumtamẽ nonnullos alios & alias, qui nomen Ieſu cordi inſcriptum habuiſſe leguntur refert Franciſcus Arnoldus canonicus Rienſis in Prouincia in libro Gallico, cui

titulus, Secretum aperiendi portã cœli in morte c. 80. vt Henricum Susonem, & Eustochium in vrbe Patauiensi, quæ obijt anno 1469. vt ex Bernardino Scardeonio refert Nicolaus Harpfeldius dialogo tertio cap. penultimo, apud Alanum Copum, & Margaritam ex ciuitate Italiæ, cui nomen Castellum, ex Ludouico Granatensi concio. 3. de Nat. Domini. B. Clara in monte Falconis agri Spoletani ordinis Eremitarum virgo deuotissima fuit; in cuius corde imago crucifixi Domini concreuit, apertéque cerni potuit ex illo die, quo extractum corpori cor, diuisum scilicet per medium. Tres quoque ibi lapilli sunt reperti eiusdem ponderis. Ita Albertus Crantzius in sua Metropoli lib. 8. c. 55. Qui ibidem subiungit, quod hic legitur de Ignatio. Idem scribit ex Philippo Ferrario Miræus libro tertio Originum monasticarum cap. 17. & tres illos cordis globulos tantum ponderis habere, quantum habent singuli.



In librum secundum.



IBRO *secundo illud imprimis admonemus ms. p. & duo impr. caput primum inchoare, vbi nos, secuti reliqua exemplaria, incipimus secundum. Vnde fit, vt in numero cap. semper vnitate excedamus ad finem vsque.*

IN

IN CAP. I.

Parte 2. Et ab illecebris carnis, alijs impeditos arceret.) *Hæc est lectio ms. s. cui accedit ms. p. & duo imp. quæ legunt; Alijsq; vitijs impeditos arceret. ms. b. c. & tert. imp. Alijsq; vitijs arceret, omissa voce, impeditos.*

p. 3. *Quæ deinceps de B. Ioanne, & fratre Petro in Hispania vsque ad num. 11. inclusiuè consequuntur, habentur in solo ms. s. quæ non dubium, quin ab auctore scripta sint, ideóque nunc suis locis restituimus, mutatis in margine numeris. Idem fecimus c. 29. De hoc B. Ioanne Vicentino siue Vincentino præter Leandrum, & Anton. Senensem, quos in margine adnotaui, meminerunt Baptista Fulgosius libro primo factorum, dictorúmque memorabilium cap. 1. ex Guidone Bonato, Carolus Sigonius in descriptione Italiæ. Stephanus de Sampayo in stemmate ordinis Prædicatorum, Gerardus Lemouicensis in vitis fratrum Prædicatorum p. 3. c. 45. vbi dicit, quòd Bononiæ prædicans fructum mirabilem fecit, & totam ferè Lombardiam miraculorum & prædicationis gratia commouit, & ad se videndum & audiendum traxit: & narrat ibidem quomodo Bononienses legatos miserint ad magistrum Iordanum cum suis in generali Capitulo congregatum, rogantes ex parte totius communitatis ne inde auocaretur. Theodorus de Apoldia lib. 7. vitæ S. Dominici, quæ est apud Surium, vbi refertur eum decem mortuos suscitasse. Cantipratanus hac parte septem. Sed facilis est conciliatio, si dicamus eum postquam hæc scri-*

pta sunt, adhuc tres suscitasse. Nam vita illa per Theodoricum posterius scripta est: & post omnes latissimè Abrahamus Bzouius to. 13. Annal. anno præsertim 1218. 1232. & 1233.

p. 9. Eleuatio & translatio corporis S. Dominici, de qua hac parte, facta est die 24. Maij, vt notatur in Martyrologio Romano Petri Galesinij, & in suis notationibus notat de ea scripsisse Iordanum ord. Dominicani magistrum, uti & Abrahamus Bzouius to. 13. Annalium anno 1233.

p. 10. De ventre comedentis pica diebus pluri-mis loquebatur.) Vix aliquid mirabilius in toto opere legitur: quod cùm ex D. M. N. Guillelmo Estio referrem videri mihi propè incredibile, vti & in argumento seu summario huius partis scripsi. Respondit ipse sibi hoc valde credibile videri: quia seruus picam occiderat, & comederat in odium illius sancti viri, quem per hoc miraculum Deus honorare voluit, & seruum illum punire. Vt autem de eo non dubitetur adfero aliud simile miraculum de hirco, qui balatum edebat de ventre eius, qui eum furatus erat & comederat: idq; ex vita S. Patricij per Iocelinum conscripta, in qua cap. 148. sic legitur: Habebat hircum beatus Patricius aqua sibi baiulandæ ministerio deputatum, siue artificio, seu potius miraculo huic operi deputatum. Hunc quidam vir ventricula de Oneach furto surripuit, sublatum mactauit, & manducauit. Auctor furti siue fautor inuestigatur. Quidam suspicioni patens euidentibus aliquantis indicijs innititur, sed facinus non inficiatur solùm: verùm etiam furto periurium accumulans, iuramento ab obiecto reatu se eximere conatur. Mirum effatu, sed mira-

mirabilius apparuit actu. Hircus comestus in ventre furis, turpisono balatu, latrocinium in auribus astantium prodidit, & clamore miraculoso meritum S. Patricij prædicandum propalauit. Ad huius etiam miraculi augmentum accedit, quod imprecante Patricio, immo sententiante, tota hominis illius successio barbam hircinam producere consueuit. Sic ibi.

p. 11. De quodam fratre Petro ordinis Prædicatorum in Hispania.) *Quisnam hic Petrus in Hispania Prædicatorij ordinis, incertum habeo: Anne Petrus Gonsalinus, an Petrus Scēdre Cathalanus: quorum vtrumque plurimis miraculis ibidem coruscasse auctor est Leander lib. 5. qui & ibidem meminit Petri Madini à B. Dominico in Hispaniam transmissi. Quæ autem de Petro Sendre (sic alij scribunt) habet Leander & Antonius Senensis, sumpta sunt ex Lemouicensi de vitis fratrū Prædicat. p. 4. cap. vlt. Quæ de Petro Godsalno ex p. 5. c. 9.*

p. 15. *Et hoc exemplum de B. Dodone omissum erat, restituimus autem ex prædicto ms. s. Occasio omissionis huius exempli ea fuit, quia immediatè in ms. p. & s. sequitur de Odone. Similitudo enim nominum fallere solet scribentis oculos, vt omisso priori transeat ad posterius. Quod veritatem habere in omnibus ferè locis huius libri, in quibus aliquid est prætermissum, qui volet, animaduertet. In reliquis exemplaribus exemplum de Guillelmo de Militona præponitur. Ceterum B. Dodonis siue Dadonis Frisij vitam audio esse ms. Coloniæ in Charthusia. Sed illa est Dodonis Frisij Eremitæ, non Prædicatoris. Retulit enim mihi vir doctissimus*

mus Leo Frisius sacerdos, duos esse Dodones Frisios, vnum eremitam, alterum ordinis Prædicatorum.

p.16. *De Guillelmo de Militona habet Henricus Willot in bibliotheca Franciscanorum aliud miraculum littera g. meminerunt eiusdem vitæ fratrum Prædic. p.5. c. 4.*

p. 17. Alium etiam vidi fratrem ordinis Prædicatorum, Odonem nomine, in iure regentem, virum sanctum, &c.) *ms. b. c. & tertium imp. omittunt præpositionem (in) quam tamen habent reliqua, quia fortè id videbatur inconueniens; cùm religiosis sub pœna excommunicationis interdicatur studium legum: extra. Ne clerici vel monachi, c. Non magnopere. Quod ibidem c. Super specula, etiam ad seculares clericos aliquam in ecclesia dignitatem obtinentes, & ad presbyteros extenditur. De quibus capitulis Caiet. in summula, verbo excommunicatio c. 50. & Nauar. in Enchirid. c. 27. num. 116. Verùm, vt de Iure ciuili auctor noster loqueretur, & intelligeret post religionis ingressum, nullum adhuc sequitur inconueniens. Nemo enim prædictam incurrit excommunicationem, quòd leges ciuiles aut medicinam doceat, iuxta Nauar. loco citato, qui citat Innocentium & Panormitanum: Nam prædictæ Decretales apertè loquuntur de audientibus. Hæc vbi annotaueram, legi in Leandro lib. 5. de viris illustribus ordinis Prædicatorum, Odonem hunc Ius ciuile docuisse antequam sacrum Prædicatorij ordinis habitum suscepisset, & sic omnis difficultas tollitur.*

De omnibus beatis viris ex ordine Prædicatorum, quorum hoc capitulo fit mentio (sunt autem in vni-

vniuersum decem numero) agit idem Leander l. citato, excepto Dodone, & fortè Petro: sed vix habet aliquid, quod non ex Cantipratano sumpserit, quamuis id rarò profiteatur.

B. Helgerum de quo parte 21. Vsuardi Martyrologio ad diem 8. Augusti adiecit Coloniensis additio facta 1521. his verbis: Item beatæ memoriæ Hilgeri confessoris ordinis Prædicatorum filij Comitis. Quo anno obierit tacent Leander & Senensis.

p. 24. Diabolum legimus vitæ auctori insidiatum 40. diebus & 40. noctibus etiam ieiunanti, & nihilominus, secundum quasdam scripturas, in cruce morienti.) *Ms. b. c. tertium imp. quia, vt apparet, is qui illis præfuit, & plura sæpe aliter scripsit, quàm habeant antiquiora exemplaria tam ms. quàm impressa, id non putabat haberi in sacra scriptura, eius loco quod habemus, secundum quasdam scripturas, scripsit, secundum quosdam, obnitentibus concorditer reliquis quatuor exemplaribus. Notaui itaque ad marginem loca scripturæ sacræ Psal. 21. & Matth. 27. ex quibus id satis probatur. Potest eodem referri locus Luc. 4. vbi dicitur: Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo vsque ad tempus. Quæ Lucæ verba exponens Euthymius in c. 4. Matth. Quod additur, inquit, vsque ad tempus, significat vsque ad Iudæorum insidias. Tunc enim rursum oppugnabit, non per seipsum, sed per Iudæos, tanquam per organa quædam. Hæc ille. Et Theophylactus ad eadem verba: Recessit, inquit, vsque ad tempus crucis, tunc illum per aduersa & dura tentaturus.] Tentauit autem per eos ad impatientiam & desperationem.*

rationem. Ante hos eodem modo verba Lucæ ex-
3.sent.d.26. posuit August. concio. 1. in Psal. 30. Fortè tamen
§.b 2. sent. auctor noster non intellexit scripturas canonicas,
d.1.§.1 d.9. vnde nec addit dictionem, sacras, sed scripta san-
§.8. ctorum Patrum, quæ etiam à Magistro sententia-
rum, & ab Innocentio III. extra de celeb. missa.
c. Cùm Marthæ, & alijs quibusdam eius ætatis
scriptoribus, extensiuè scripturæ sacræ nominan-
tur, sicut & Berengosius abbas, qui floruit anno
1112. libro de inuentione & laude sanctæ crucis ca-
pite 2. Martyrologium vocat scripturam diui-
nam. Si ergo hoc pacto scripturæ nomen accipiat,
propter citata loca Euthymij & Theophyl. habe-
tur id in beato Gregorio hom. 39. in Euangelia,
vbi sic ait: Curandum nobis est, & cum magnis
quotidie fletibus cogitandum, quàm rabidus, quàm
terribilis, sua in nobis opera requirens, in die no-
stri exitus princeps huius mundi veniat, si etiam
ad Deum carne morientem venit, & in illo aliquid
quæsiuit, in quo suũ inuenire nihil potuit. Hæc ibi.
Sic ipsa S. Gregorij scripta in vita S. Panacij, ter-
tij Cenomanensis episcopi c. 3. nomine scripturæ
indigetantur, cùm dicitur: In ista enim vita, si
seruitium Dei delectat, diuitias terrenas debetis
contemnere, & spiritales appetere, dicente scri-
ptura: Si verè fratres diuites esse cupitis, veras di-
uitias amate, & ad cælestem patriam quantocius
properate.] Exstat hæc vita in bibliotheca Flo-
riacensi, edita à Joanne à Boscho Cælestino Lug-
dunensi Parisijs 1605. Plura eiusmodi videre est
in libro Iohannis Niuicellensis abbatis, cui titulus:
Concordantiæ bibliæ & canonum, in fine.

IN

IN CAP. II.

Parte 3. Venit in Brabantiam ad sanctissimam quamdam tunc temporis monialem.) *Vastatio de qua loquitur facta est anno 1242. vt constat ex Vincentio in speculo hist. & auctore nostro lib. 3. de vita S. Lutgardis cap. 6. Ex eodem capite constat monialem, de qua loquitur, fuisse S. Lutgardem, & eum, qui ad ipsam venit, fuisse Bernardum Dominicanum pontificis maximi Pœnitentiarium, cuius meminit libro 1. cap. 19. p. 8. huius operis.*

p. 4. Antequam in walatria sub rege willelmo moderatore Romanorum, &c.) *Vsitatiùs walachria, Belgicè walcheren, quæ pars est Zelandiæ. Cædes hæc funesta Flandris, accidit, Meyero teste in suis Flandriæ annalibus, ad westcappellam, quarto nonas Iulias, anno 1253. vbi eam latè describit.*

p. 5. Quia terreno domino obedire, nullo malignandi animo processerunt.) *Hæc est lectio ms. b. c. & tert. imp. sed ms. c. pro domino habet dominio. Quibus consentit ms. s. ita legens: Quia terreno obedire dominio, & nullo processerunt animo malignandi. Ms. p. & alia duo imp. nunc legunt: Quia terreno domino obedire in bonis iustum est. ms. p. tamen habebat etiam eam lectionem, quam retinuimus, sed deletis his verbis: nullo processerunt animo malignandi, eorum loco scripsit aliquis: in bonis iustum est, corrigere volens id quod rectè scriptum erat, idq; vt apparet ex alijs locis nonnullis, ad primum exemplar imp. Nam certis mihi constat argumentis, primum il-*

lud exemplar esse antiquius ms. p. Lectio autem, quam in textu posuimus visa est sincerior, quia conformior ijs, quæ sequuntur, & dicta sunt p. 4. præcedente: ex quibus bellum videtur fuisse iniustum ex opinione illius militis, de quo hîc refertur miraculum; vel certè erat dubiæ iustitiæ ex parte Flandrorum. Neque vllum habet dubium, iustum esse obedire domino terreno in bonis: Aliquid amplius itaque docere voluit auctor: nimirum, quòd subditi accedentes rectâ intentione ad bellum de cuius iustitia dubitatur, à suo principe coacti, cælestem gloriam non amittant. Ita docet Caietanus in summula, verbo Bellum. Ioannes Molanus tract. 2. compendij Theolog. c. 13. num. 9. & alij. Probantur hæc ex Augustino lib. 22. contra Faustum Manichæum cap. 75. vbi sic habet: Vir iustus, si fortè sub rege homine etiam sacrilego militet, rectè potest illo iubente bellare ciuicæ pacis ordinem seruans: cui, quod iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit certum non est, ita vt fortasse reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi. Hæc ille. Bellum autem hoc dubiæ fuisse iustitiæ declarant historiæ, nominatim Meyerus anno 1252. & sequenti.

IN CAP. III.

Parte 5. *Idem quod hac parte contra eos, qui negant in Papam cadere posse Simoniam, docet S. Thomas 2.2, q. 100. ar. 1. ad 7.*

p. 9. Sed & crux à multis populis, cùm in diuersis partibus prædicaretur, visa fuit manifestè.)

Diuer-

Diuersas crucis apparitiones refert Vincentius in speculo hist. l. 30. cap. 83. Martinus Polonus in chron. c. 190. in Innocentio IV. & Fasciculus temporum circa annum 1200.

Ibidem. Prima crux nostri temporis contra terram Albigensium prædicata est.) *Anno videlicet 1210. Quo tempore & reliquę crucis prædicationes & expeditiones susceptæ sint, quæ hîc recensentur, ex annalibus Meyeri, & aliunde, ita accipe lector. Secunda 1217. Tertia 1226. Quarta 1233. Quinta & sexta 1248. quo anno S. Ludouicus cruce signatus primam suam profectionem transmarinam suscepit, rediit autem 1254.*

Ibidem. Quarta contra Stadingos, quos in Theutonia Henricus dux Brabantiæ cum suis strauit.) *Is est Henricus II. cognomento Magnanimus. Stadingi populi in Archiepiscopatu Bremensi. Quas autem & quales hæreses habuerint, videatur Albertus Crātzius in metropoli Hamburgensi lib. 7. c. 47. & Ioannes Molanus in militia sacra Ducum Brabantiæ c. 60. vbi recitat verba Crantzij, & cap. præcedenti citat codicem Parcensem, ex quo constat victoriam contra Stadingos obtentam anno 1234. VI. Kalendas Julij, vt habet Krantzius, id est, 26. Iunij, quo die eam commemorat idem Molanus in Nat. SS. Belgij. De ijsdem Tritthemius in chron. Hirsaug. & Spanhem. ad annum iam dictum 1234. & ex Petro Diuæo Miræus in chron. anno iam dicto. Albigenses noti sunt, in Gallia Narbonensi sub Tolosatibus populi. Aquenses hoc loco sunt Aquisgranenses, idque patet ex Meyero anno 1248. non Galliæ populi Arelatensibus vicini. Vtrorumque ciuitas Gallicè* Stedingen.

Aix

Aix nominatur. Sic etiam vsurpat Tritthemius in chron. Hirsaug. citato anno 1277. De Hezelino siue Etzelino, qui valde turbauit Italiam sub Alexandro quarto Pontifice, vide appendicem specnli historialis Vincentij c. 1. & latissimè c. 6. Antoninum in chron. p. 3. tit. 19. c. 7. §. 6. Platinam in Gregor. IX. & Alex. IV. vbi & meminit prædicationis crucis contra eum indictæ.

p. 11. *Reprehendit abusum, quo pro re modica redimebantur plenariæ indulgentiæ, cùm iuxta communem Scholasticorum sententiam in 4. sent. dist. 20. in indulgentijs requiratur causa proportionabilis quantitati indulgentiæ concessæ. Eadem autem quæ hac parte & sequenti habet auctor lib. 5. de natura rerum in cap. de gluti ane.*

p. 12. Quid inquam dicam de talibus? Si non etiam cum his, vel supra hos, &c.) *Ne tristentur religiosi quòd indulgentias cruciatæ lucrari non possint, videant sibi consolationem in B. Thoma super 4. dist. 20. ar. 5. q. 2. ad 2. vel in suppl. p. 3. q. 27. ar. 2. ad 2. vbi docet eos magis mereri religionem suam seruando, quantum ad præmium vitæ æternæ, quàm indulgentias exquirendo: quamuis minus, quantum ad dimissionem pœnæ, quod est minus bonum. Videri etiam potest Cæsarius lib. 1. Dialog. c. 6.*

p. 14. *De pueris cruce signatis Vincent. in specul hist. l. 30. c. 5. & ex eo Antoninus in chron. Martinus Polonus cap. 101. in Frederico 2. Fasciculus temporum ante annum 1214. Christianus Massæus in chron. anno 1210. qui ait fuisse plusquam viginti millia. Idem ante eum habet Ioannes La-Ziardus in hist. vniuersalis epitoma cap. 223. D[e] ijsde[m]*

iisdem Tritthemius in chron. Hirsaug. ad annum 1212.

p. 15. *De Pastorellis, quomodo se vocari voluerunt, agit Antoninus p.3.chro.tit. 19.c.9.§.1. Robertus Gaguinus l.7. de gestis Francorum, Fasciculus temporum vbi suprà, qui dicit eos ex Hispania venisse. Ioannes Laziardus, c. 228. Massæus & Meyerus ad annum 1251. Ioan. Nauclerus generat. 42. & alij, vt Ioannes Herold in continuatione belli sacri lib. 4. c. 9. vbi citat de tempore quo sunt extincti hoc distichon.*

M. semel & bis C. LI. coniungere disce,
Duxit Pastorum sæua Megera chorum.

IN CAP. IV.

Parte 1. Et hoc tam apud seculares, & potiùs quàm apud claustrales, obseruatur.) *Sic ms.c. & tert. imp. nisi quòd hoc omittit voculam (&.) Quæ exemplaria dictionem (potiùs) hoc modo transposuisse videntur, vt clariùs significetur eam referendam ad seculares: quò referri debere indicant verba sequentia, ideóque eam lectionem retinuimus, quamuis verisimilius sit primogeniam auctoris scripturam esse, quam habent ms. p. & duo imp. Et hoc tam apud seculares, quàm apud claustrales, potiùs obseruatur. Hoc ordine legit & ms. s. sed tam, mutatum esse in, tantùm, litura indicat. Similiter & ms. b. Et hoc tam apud seculares, & potiùs apud claustrales obseruatur.*

p.2. *Posui quinque odia, sicut habet ms. p. quamuis reliqua habeant tantùm quatuor, quibus addatur quintũ. Omittũt enim illud inter canem & catum.*

IN CAP. V.

Parte 1. Nec velint clericis æquiparari: sed discant tantum ordinem reuereri.) *Scilicet laici Conuersi in monasterijs, à quibus nunc ferè exulant, ob dissidia quibusdam locis excitata inter Conuersos & monachos: de quibus videatur Iacobus de Vitriaco in historia Occidentali c.19.*

IN CAP. VI.

Has primas expellunt in opere, tardantes & sine clementia necant.) *Vtrumque exemplar libri de natura rerum omittit (&) ms. b. & tertium imp. legit & tardantes; ideoque vt ex textu probatur faciendum est coma ante vocem tardantes.*

p. 3. Quod ei ad modum camelorum calli in genibus accreuissent.) *Idem de sancto Iacobo primo Hierosolymorum episcopo scribit sanctus Hieronymus in libro de scriptor. ecclesiasticis. Dolendum huius sancti viri nomen non extare.*

IN CAP. VII.

Parte 3. Et propter hoc Seneca talibus consulit, dicens: Ne des seruo, aut filio imperium super te.) *Hæc in Seneca non inueni, sed habet ea Ecclesiasticus c. 33. his verbis: Filio & mulieri, fratri & amico non des potestatem super te in vita tua: & non dederis alij possessionem tuam: ne fortè pœniteat te, & depreceris pro illis, dum adhuc superes & aspiras, non immutabit te omnis caro.*

Melius

Melius est enim, vt filij tui te rogent, quàm te respicere in manus filiorum. Quod consilium Spiritus sancti si parentes sequerentur, non tam frequenter egestatem paterentur. Quæ autem in eumdem sensum in auctore sequuntur, Senecæ sunt, loco à me in margine notato.

IN CAP. VIII.

Parte 1. Charitas enim non tantùm est virtus, sed potiùs forma omnium virtutum.) *Non essentialis, sed perfectiua, quia per charitatem ordinãtur actus omnium aliarum virtutum ad vltimum finem, vt docet S. Tho. 2. 2. q. 23. ar. 8.*

IN CAP. IX.

Parte 1. Noueris eis, vel egestatis, vel iniquitatis periculum imminere.) *Vtrumque enim caussatur segnities: Multam enim malitiam docuit otiositas. Ecclesiastici 33.*

IN CAP. X.

Parte 1. Vnde & Salomon iterum dicit: In lapide luteo, &c.) *Scriptura hæc habetur Ecclesiastici 22. cuius libri auctor non est Salomon, sed Iesus filius Sirach, vt habetur in ipso libro cap. 50. vt non sit opus ad hoc probandum aliunde citare testimonia. Infrà rursum c. 30. p. 42. & c. 42. p. 1. eumdem librum citat nomine Salomonis. Ipse tamen auctor noster clarissimè significat se librum Ecclesiastici non habere pro libro Salomonis c. 46.*

p. 1. Sciendum ergo id ab auctore factum esse ex communi Patrum consuetudine, vt Cypriani, Clementis Alex. Basilij, Gregorij magni, & aliorum, quos citat nominatim Robertus Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 14. & nota corp. Canonici ad cap. Eorum 11. q. 3. Salomoni autem idcirco tribuitur, quia plurimas sententias, quæ originaliter Salomonis sunt, hoc libro collegit Iesus filius Sirach. Nam ex priorum sapientum sententijs hoc opus esse collectum satis in prologo innuitur, & in fine cap. 24. & principio 39.

Ibidem. Deinde consequenter quasi idem inculcat, dicens: De stercore boum, &c.) *Pro eo quod omnia exemplaria habebant (post pauca) posui (consequenter.) Nam immediatè hæc subsequuntur in Ecclesiastico, tam in Græco, quàm Latino textu.*

p. 3. Inde venerunt in Gallias ad Fonij claustrum ordinis Cisterciensis.) *Huius quoque infrà fit mentio cap. 29. p. 28. vbi omnia legunt Fonij ms.s. vtrobique Foni, quomodo & hoc loco legunt reliqua præter tert. impr. quod habet Foisin. Abbatia est ex primis vna, quam S. Bernardus ædificauit (vt est libro primo vitæ eius per Guillelmum abbatem c. 12.) in Episcopatu Laudunensi, secundo lapide Veruino distans, Gallicè Fougny, vel Foisny, Latinè Fusniacum & Foniacum. Est autem quarta filia immediatè subiecta Claraualli. Quod hîc refertur de Alexandro & Mechtilde breuiter habet Baptista Fulgosius lib. 4. factorum dictorúmque memorabilium c. 4. & ex eo Andreas Eborensis in suis exemplis, titulo de paupertate.*

p. 5.

p. 5. Vir enim nobilissimus, dominus Hugo de Rumenni.) *Ita ms. s. cui accedunt duo imp. antiqua Kirmenni, & ms. p. Rumennia. ms. c. Kirmennio. ms. b. & tertium imp. & Speculum exemplorum Birmennio. Varietas orta est ex affinitate primæ literæ. Prima lectio sincera videtur. Vnde & in Annal. Hannoniæ Iacobi Guisij vol. 3. aliquoties mentio est Nicolai de Rumegny nobilis ac potentis equitis. Et Carolus Blandecq cap. 20. in miraculis B. Mariæ Suessionensis translatis ex Hugone Farsito cap. 22. vbi ait: Quædam mulier de pago Laudunensi, & de castro, quod dicitur Ruminiacus. Gallicè vertit: Vne femme du pays de Laonois, d'vne bourgade nommée Rumigny.*

p. 7. Cur ipsi, sicut & Paulus, prædicatione primus, manuum se laboribus non exercent?) *De labore manuali quo ad religiosos duas habet prolixas quæstiones B. Thomas quodlib. 7. art. 17. & 18. vbi docet eos, qui spiritualia opera exercent, & possunt aliàs licitè viuere quàm de labore manuum, non teneri manibus laborare. Idem docet in Summa 2. 2. q. 187. ar. 3. & 4. & opusc. 17. contrà retrahentes à religionis ingressu c. vlt. & opuscul. 19. contra impugnantes religionem capite quinto. De eadem re inter alios, Alphonsus à Castro aduersus hæreses in dictione Labor, hæresi 2. & Sixtus Senensis bibl. sanctæ l. 6. annot. 317.*

p. 8. Nobilissimam Aleydem.) *ms. b. c. tert. imp. Heleidem. ms. s. Helvvidem. De monasterio Vallis-ducis, quod duobus distat Louanio miliaribus, cui hæc prima præfuit abbatissa, agit Miræus in chro. Cistercienſi anno 1227.*

p. 10. Vt est ad nudum in Prædicatoribus durus
super lumbos funiculus.) *Habent hoc Dominica-
ni ex ordine suo, vt à me consulti responderunt.
Cui conforme est quod adnotat Henricus Sedulius
in commentario ad cap. 12. vitæ S. Francisci, (id-
que ex libro cui titulus, Speculum vitæ S. Fran-
cisci c. 42.) S. Dominicum à sancto Francisco pe-
tijsse chordam, qua cinctus fuerat, & licet diffi-
culter, obtinuisse tamen, & eadem sub interiori tu-
nica cinxisse se, ac deinceps deuotè gestasse.*

p. 12. Seneca, qui Pauli doctoris gentium mul-
tis epistolis commendatur.) *Extant hæ epistolæ
plerumque vnà cum operibus Senecæ: item apud
Sixtum Senensem l. 2. bibliothecæ sanctæ in Pau-
lo: & libro 13. commentariorum Jacobi Fabri
Stapulensis in omnes epistolas Pauli. Quamuis a-*
Hieron. de script. eccl. in Seneca. *liquam habeat veri speciem, ex Hieronymo, & a-
lijs, quos citat Senensis dicto loco, illas epistolas
esse Pauli, quod adeo fortiter Ioannes Sarisbe-
riensis in Policratico libro 8. c. 13. asserit, vt dicat:
Mihi desipere videntur, qui non venerantur eum,
quem & Apostoli familiaritatem meruisse con-
stat, & à doctissimo patre Hieronymo in Sanctorũ
catalogo positum. Eius tamen reuera non esse, re-
ctè docet Erasmus in censura, quæ est in operibus
Senecæ. Cui sententiæ accedit doctissimus nostri
seculi historiographus Cæsar Baronius to. 1. anna-
lium eccles. anno 66, vbi simul aperit eas originem
sumpsisse ex actis quibusdam passionis B. Pauli,
Lini nomine consignatis. Sed & ante eum Ludo-
uicus Viues in cap. 10. lib. 6. Augustini de ciuit.
Dei scribit se non credere illas epistolas à Paulo
& Seneca scriptas esse. Et post eum Lipsius in dia-*

triba de vita & ſcriptis L. Annæi Senecæ capite 10. de ijſdem loquens, ait: Quæ nunc ſunt, non ſunt tanti, immo certum eſt eiuſdem auctoris, & Pauli & Senecæ, illas eſſe, & compoſitas à ſemidocto in ludibrium noſtrum. Tentat Latinè loqui, quiſquis auctor fuit. Et mox infrà, obiecta auctoritate Hieronymi, Auguſtini, Lini pontificis, & Ioannis Sariſberienſis, ſubiungit: Itaque reijcere hoc totum & calcare non auſim: fuerunt aliquæ, ſed aliæ: ſi iſtæ, requiro iudicium optimorum Patrum. Sic ille.

Ibidem. Pecunia ex quo in honore eſſe cœpit, verus rerum honor cecidit.) *Sic reſtitui ex or. ms. s. legit virtutes rerum honor occidit. Cetera, virtus rerum honori cedit.*

Ibidem. Ergo aut incredibile, bonum Deo deeſſe: aut hoc ipſum, &c.) *Fortè legendum: Credibile. Sed exemplar Senecæ habet eodem ſenſu: Ergo aut incredibile eſt, bona Deo deeſſe: aut hoc, &c. Quod exemplar Senecæ Lugduni Batauorum excuſum 1619. cum commentarijs Iuſti Lipſij clariùs habet: Ergo aut, quod incredibile eſt, bona Deo deſunt, aut hoc ipſum, &c.*

p. 17. *Similem omnino viſionem in Longobardia exhibitam cuidam ſolitariæ mulieri narratur in vitis fratrum Prædicatorum conſcriptis per fratrem Geraldum Lemouicenſem par. 1. c. 5. quam etiam refert Anton. in chron. p. 3. tit. 23. cap. 3. §. 1. Quo loco tradit etiam, initio, Prædicatores dictos fuiſſe Fratres virginis Mariæ, & eodem c. ante primum §. refert ſimilem viſionem B. Dominico demonſtratam.*

p. 19. *De inſtitutione & cauſis cantandi Salue*

Regina post Completorium latiùs Vitæ Prædic. p. 1. c. 6. & Stephanus de Sampayo in stemmate ordinis Prædicatorum pag. 229. Item Nicolaus Janssenius in commentario ad c. 12. lib. 2. vitæ S. Dominici à se conscriptæ.

p. 21. Qui etiam a quodã sanctissimo viro, &c.) *Hanc periodum suppleui ex ms. s. Cui simile est quod scribit B. Gregorius lib. 4. Dial. cap. 30. de Theodorico rege Ariano, qui à solitario quodam visus est inter Ioannem Papam & Symmachum Patricium, quos iniustè occiderat, deduci, & in ollam Vulcani præcipitari.*

ms b.c. tert. imp. omit. (&) p. 22. Cum iuramento dixerunt, sibi * & Prælatorum & clericorum secularium possessiones & redditus vsurpasse. si dictos, &c.) *Sensus iste videtur esse: Iurarunt se vsurpaturos possessiones ecclesiæ, vt sit vsurpasse, pro vsurpaturos fuisse. Sæpissimè enim, phrasi Græca & Gallica, vtitur infinitiuo præsenti, aut præterito, pro futuro.*

p. 23. Sed & fratris Bonauenturæ generalis Ministri ordinis fratrum Minorum.) *S. Bonauenturæ de hoc argumento scripta præcipua sunt tria, to. 7. par. 4. opusculorum eius, Libellus apologeticus in eos, qui ordini fratrum Minorum aduersantur, de paupertate Christi contra magistrum Gullielmum, & apologia pauperum. Quod tertium scriptum est aduersus Gyraldum de Abbatis villa Parisiensem doctorem, & regulæ S. Francisci calumniatorem, qui paralysi dissolutus & lepra percussus interijt. Has turbas intercessione S. virginis Mariæ sedatas fuisse videre est in vitis Prædicat. par. 1. c. 5. & de ijsdem agitur p. 4. c. 25. & in appendice ms. exemplaris cap. vlt.*

Ibidem.

Ibidem. Donec iurauerunt, mandato Domini Papæ coacti, reuocare Parisijs, &c.) *ms. p. s. duo imp. Donec * iurauerunt mandatum Papæ, & reuocare Parisijs, &c.*

ms p.s. iurauerint.

p. 24. Quidam, dictus magister Willelmus, cum suis complicibus.) *Hic est Guillelmus de sancto Amore, doctor Parisiensis vnus ex quatuor præcipuis ordinum Mendicantium aduersarijs: qui ex hoc tantum, scilicet, laudis promeruit, vt numeretur in hæreticorum catalogo à Prateolo, Alphonso Castrensi, & alijs. Facta sunt autem hęc initio Pontificatus Alexandri quarti, qui coronatus est anno 1254. ipso die natalis Domini, magistro ordinis Prædicatorum existente Humberto. Videatur chron. S. Antonini p. 3. tit. 19. cap. 7. in principio, & tit. 23. c. 5. §. 1. & c. 12. Item Platina in Alexandro quarto, qui Pontifex prædictum Guillelmum erroris condemnauit, & librum eius, de quo auctor noster parte præcedenti, flammis exurendum tradidit. Contra hunc librum scripsit Thomas Aquinas opuscul. 17. quod est contra retrahentes à religionis ingressu, 18. & maximè 19. contra impugnantes religionem. Docebat damnatus hic liber, Religiosos omnes absque discrimine ad opus manuum astringi, paupertatem habitualem licitam esse, non autem actualem, & in summa, statum Mendicantium reprobum esse, nec posse homines in eo saluari. De his turbis latè Antonius Senensis in chro. Prædic. in decade inchoata ab anno 1250. inter communia.*

p. 25. Comiti de Otheughem.) *Hæc est lectio correctissimi exemplaris s. quam in 3. editione restitui. Cui accedit ms. p. quod legit de Otheuhen,*

duo

duo priora imp. de Otheahim, ex quo reliqua fecerunt Comiti Otheaënensi, fortè legēdum Otthenheim. Locus ex circumstantijs videtur esse in Bauaria.

p. 27. Gratia autem Dei, vnus ex dictis quatuor magistris, &c.) *Cùm præcipuorum aduersariorum très hoc capite nominentur, quartus omnino fuisse videtur Desiderius Longobardus, quem in chron. Arnoldi Pontaci, & alibi, lego multis scriptis impugnasse ordines Mendicantium. Hunc nominatim expressit S. Thomas in opusculo contra impugnantes religionem, c. 6. nec omisit Prateolus, aut Castrensis scribentes de hæresibus. Videatur Castrensis verbo Paupertas. hęres. 3. His in argumento opusc. 19. additur Sigerius.*

p. 32. Domino Alberto Apostolicæ sedis legato, audiuimus ab eo in Gallijs constituto.) *Hæc est lectio ms. b. c. à qua discrepat tert. imp. quod malè præponat pręposítionem (à) dictioni, Domino. Reliqua quatuor exemplaria paulò aliter, si tota simul periodus consideretur: Audiuimus à domino Alberto Apostolicæ sedis legato in Gallias constituto. In eo autem diuersitas attendenda non est, quòd quædam habent in Gallijs, alia in Gallias, quoniam sæpe vtitur præpositione (in) cum accusatiuo, vbi ablatiuo vtendum esset.*

p. 36. Hic contra fratres ordinis Prædicatorum in omni ferè publica statione & sermone Parisijs latrabat.) *Editi sunt Brixiæ anno 1600. sermones 330. super psalterium, huius (vt ex Tritthemio apparet) Philippi de Greue Cancellarij Parisiensis.*

IN

IN CAP. XI.

Parte 3. Qui cùm in ordine cognatum haberet.) *Quod hîc refertur, illi cognato accidit, non ipsi, qui hoc auctori narrauit.*

IN CAP. XII.

Parte 6. Virtus nihil vacare patitur loci, totum &c.) *Sic restitueram ex or. cùm ambo ms. quibus ante vsus eram, & duo imp. iocis legerent, tert. locis. ms. c. etiam iocis. Verùm, quod in multis alijs similibus annotationibus (quas propterea omisi) hoc & hîc accidit, vt eam lectionem, quam restitueram inuenirem in ms. s. quod omnium, quibus vsus sum emendatissimum est. Addit tamen illud hoc loco dictionem (ocio.) Ita enim habet: Virtus nihil vacare patitur loci ocio, totum &c. Ibidem sub finem.* Ad id se deduxisse, quod nulla fortunæ iniquitas possit.) *or. Ad id se reduxisse, quod eripere nulla fortunæ iniquitas possit.*

p. 7. Canonicum regularem sancti Ioannis in vineis ciuitatis Suessionis, Watinianensem, postea & Blesensem abbatem.) *Iacobus de Vitriaco historiæ Occidentalis c. 21. inter monasteria Canonicorum regularium commendat hæc quatuor B. Mariæ Blesense, S. Ioannis in vineis Suessionense, S. Nicolai de Oegnies, & S. Oberti Cameracense, quorum omnium in his duobus libris est mentio, excepto postremo.*

IN

IN CAP. XIII.

Parte 3. Arcesilaus philosophus, &c.) *Restitui Arcesilaus. Nam omnia exemplaria variabant, & barbarum aliquod nomen & incognitum supponebant, ms. p. Argifelamus, antiquius imp. Argifelanus, secundò imp. Argifelaus, tert. imp. & ms. c. Argiphelaus, ms b. Archiphelaus. ms. s. Argyphelaus. Dolendum præclarum hunc locum in operibus Senecę iam non extare.*

Ibidem. Solon philosophus, cum alijs loquentibus taceret, &c.) *Sic ms. p. reliqua vitiosè habent: Salomon cum alijs loquentibus omisso nomine philosophi. Citat hoc, vt Solonis dictum, Domitius Brusonius lib. 3. Facetiarum & exemplorum c. 25. & Conradus Lycost. in apophth. tit. de lingua & garrulitate.*

p. 4. Quòd infra sexdecim annos ab ore eius nec vna verbi syllaba per tantum temporis audiretur.) *Sermo est de Radulpho Tacente monacho abbatiæ Affligemiensis, quæ vno distat milliario ab vrbe Alostana, in via, quæ ducit Bruxellam versus, Belg. Affelghem, & Affleghem, quam commendat auctor noster lib. 1. c. 4. p. 4. l. 2. vita B. Lutgardis c. 20. vbi dicit, Affliginiensi cœnobio nullum illius instituti rectiùs esse aut religiosius constitutum. Commendat idem cœnobium Iacobus Vitriacus hist. Occident. cap. 20. At, proh dolor, à Geusijs in fauillas & cineres redactum, nunc aliqualiter est reparatum, & abbatis titulo attributo Mechliniensi Archiepiscopo, regitur à Præposito ibidem constituto. De hoc Radulpho Ioannes Molanus*

lanus in Nat. SS. Belgij die 30. Aprilis, ex hoc auctoris nostri loco, & l. obituum idm dicti monasterij, qui meminit solummodo silentij septem annorum. Suspicatur itaque ibidem Molanus hoc loco Cãtipratanum lapsum esse, aut mendosum esse codicem vtriusque editionis. Certè omnia nostra exemplaria legunt sexdecim.

p. 5. Et hæc est illa, de qua Paulus ait: Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum. Super quo dicit beatus Augustinus: Si pax Dei omnem sensum exuperat, ergo & sensum Angelorum. Et est argumentum à minori.) *Sanè non video hîc formam argumenti à minori: sed est argumentum à genere distributo ad speciem, quod vocare solemus in scholis Aristotelicis à toto in quantitate ad partem. Fortè attendit auctor, quia minus est verosimile, quòd angelorum sensum siue intellectum superet, quàm hominum; ideo dixit esse à minori, quia est ad id quod est minus. Sensus autem impropriè in nostra vulgata editione accipitur pro mente aut intellectu (in Græco νοῦς est) quomodo & Augustinus legit loco quem in margine annotaui. Ita enim habet: Meliùs accipitur quod scriptum est, Pax Dei, quæ præcellit omnem intellectum: vt in eo quod dicit omnem, nec ipse intellectus sanctorum angelorum esse possit exemptus, sed Dei solius. Quibus habet similia lib. 22. de ciuit. Dei cap. 29. Ambrosius lib. 2. de Iacob & vita beata cap. 6. & in præsentem locum commentarius titulo Ambrosij, legit: Et pax, quæ exuperat omnem mentem. Bernardus epist. 64. Pax Dei, quæ exuperat omnem intellectum.*

p. 6. Magna & generosa res est, &c.) *Restitui ex*

or.

or. generosa, pro gloriosa.

IN CAP. XIV.

Parte 2. Propter quod Iob consulit, dicens: Acquiesce illi, & sic habeto pacem.) *Sunt verba Eliphaz Themannitæ Iob 22. Tertium impressum pro sic, legit, semper, biblia neutrum habent.*

IN CAP. XV.

Parte 1. In scriptura verò consuetum est florum nomine spem fructuum sumi, virtutumque dignitatem designari.) *Ita ms. b. c. & tertium imp. Sic & ms. p. sed pro tribus vltimis verbis legit: In quo potest virtutis dignitas designari. Reliqua magis variant, ms. s. florum nomine, qui in spe fructuum sunt, virtutis dignitatem designari. Primum imp. florum nomine spem fructuum siue virtutum dignitas designari. A quo secundum non differt, nisi quod plurali numero legat dignitates. Sensus autem idem est. Loca scriptura ad marginem adnotaui. In flore rectè dicitur virtutis dignitas designari, quia flos res est pulchra, & perquam egregia, & quæ magno in honore habetur. Quomodo autem diuersarum virtutum exempla Sancti nobis reliquerunt, quod hac parte docet auctor, admodum puchrè tradit Gregorius, præfatione in expositionem libri Iob c. 6. aliàs 10.*

p. 3. Ne quem ante se videat, quàm se.) *ms. b. c. & tertium imp. malè omittunt, quàm se, or. habet quàm ne alium post se: quamquam in Seneca alia lectio habeat: Ne se post alium.*

IN

IN CAP. XVI.

Parte 7. Contigit ergo magiſtrum mori, & tertio die aut quarto.) *ſcilicet poſt, vt in margine notaui. Quam phraſim video apud doctos ſatis vſitatam eſſe, vt illa particula ſubaudiatur. Ita legimus in Breuiario Romano in feſto ſancti Ioannis Chryſoſtomi: Quatriduo Auguſta ceſſit è vita. Eudoxia videlicet, poſt mortem S. Chryſoſtomi.*

IN CAP. XVII.

De omiſſo correptionis Zelo, de quo hoc capitulo, notiſſimum eſt exemplum Heli ſacerdotis & iudicis 1. Reg. 2. & 4. quod ſuprà attulit auctor c. 12. p. 3.

IN CAP. XVIII.

Parte 3. *Simile exemplum refert Cæſarius lib. 8. dial. cap. 21. & aliud de S. Ioanne Gualberto fundatore ord. Vallis vmbroſæ Arnoldus Wion l. 1. ligni vitæ cap. 33. Aliud item Speculum exemplorum diſt. 1. exemplo 105. ex Petro Damiano.*
p. 5. Quàm impium eſt nocuiſſe, quòd oderis, lædere.) *Omnia exemplaria legebant meminiſſe, pro nocuiſſe, ſed id vix commodum habebat ſenſum. Itaque reſtitui eius loco ex originali (nocuiſſe.) Originale enim ita legit: Quàm inimicum eſt nocuiſſe, quia oderis lædere. Verùm ad marginem in Seneca eſt annotatum, vetus exem-*

plau

plar legere (iniquum) pro quo auctor noster habet impium. Cui lectioni conformiter sequitur vtrobique: Quantò inquius est odisse quia laseris. Vbi & illud scito ms. b. s. & duo imp. non habere notam interrogationis, quam nec habet orig.

IN CAP. XIX.

Parte 2. Iuuenes vno tempore tam paruæ litteraturæ ad ordinem recepit Parisijs.) *Idem significatur in vitis fratrum Prædic. par. 3. c. 12.*

IN CAP. XX.

Parte 1. Quæ quid consecutura sit, spectat.) *Ita restitui ex or. cùm omnia nostra exemplaria habeant: Non quidquid consecutura sit, spectat.*

IN CAP. XXI.

Parte 2. Qua solet ab Alkimistis aurum fieri sophisticatum: sed hac aqua Deus noluit dicti viri innocentiam maculari.) *Significatur aurum illud non esse verum. Vnde & eodem nomine: nempe aurum per alchimiam sophisticatum vocat S. Thom. 2. 2. q. 77. artic. 2. ad 1. & post vtriusque Thomæ tempora Ioannes XXII. in Extrauagantibus communibus tit. de crimine falsi cap. vnico, sub grauibus pœnis prohibet Alchimiam. Cap. incipit: Spondent, quas non exhibent diuitias pauperes Alchimistæ. Videntur quoque non inutiliter facturi reges & principes, si libros de hac materia conscriptos, tanquam inutilis argumenti prohiberent.*

I

IN CAP. XXII.

Parte 3. Cùm Diogeni à capite de nocte fur sacculum cum nummis trahere conaretur, & ille sentiret: Trahe, inquit, infelix, vt facias vtrumque dormire.) *Id ex Seneca desumpsisse videtur, cuius sunt præcedentia & sequentia, in quo tamen iam non legitur. Intelligitur autem Diogenes Cynicus, qui insignis diuitiarum contemptor extitit.*

IN CAP. XXIII.

Parte 2. Virtutem materia non mutat, nec peiorem facit dura & difficilis: nec melior est hilaris & læta.) *Sic ex or. Exemplaria nostra variabant plurimum. ms. b. c. tert. imp. habebat: Virtutem materia non incitat, nec peiorem facit dura vel difficilis, nec melior est hilaris † an læta. Duo* ms. b. ant. *impressa priora pro (incitat) legunt (intrat) & pro (vel difficilis) (nec facilis) ms. p. s. priorem partem legit vt tert. imp. alteram ita effert: Nec peiorem facit dura nec difficilis, nec meliorem hilaris aut læta. Quæ lectio optima est.*

Ibidem. Sapiens nihil se minoris vitæ conqueritur, quàm quod virtutes eius spatio breuiore clauduntur.) *ms. p. s. omittunt (vitæ) & pro (conqueritur) legunt (æstimat) conformiter or. quod sic habet: Sapiens nihilo se minoris æstimat, quòd virtutes eius, &c. Verùm auctor noster in Senecæ verbis nonnihil aliquando permutat.*

p. 3. Seuerus ac serenus, hilaris, non aspernans.) *Originale: Seuerus non sæuus, sed hilarem non aspernans.*

p. 4. Non eligit domum nec censum.) *Restitui domum ex or. Variabant exemplaria, ms. s. Dominum nec sensum. ms. p. duo imp. dominium nec sensum, ms. b. c. dominum nec censum, tertium imp. dominum nec seruum.*

p. 5. Qui cum illa annis sexaginta conuersati fuerunt.) *Ioannes Gillemans in vita auctoris contra omnia nostra exemplaria legit quadraginta.*

IN CAP. XXIV.

Parte 1. Struere dicuntur, qui monasticis institutis prouident in structuris, vt præposit.) *Præpositos vocat, qui hodie dispensatores & procuratores dicuntur in monasterijs.*

IN CAP. XXV.

Parte 1. In suo mobili esse teneatur.) *Sic ms. s. nisi quod legat, nobili. Duo imp. legunt mobili omittentes voculam, esse. ms. p. mobili sic teneatur. ms. b. c. tert. imp. in suo stabili teneatur.*

p. 2. Bartholomæus Indiam citeriorem.) *Sic ms. s. quomodo etiam legit Romanum Breuiarium, ms. p. & duo imp. minorem, reliqua exteriorem. At placuit lectio prima, quia correctissimi exemplaris, & quia non solùm ita legit Rom. Breuiarium, sed eodem modo ex Eusebio lib. 3. hist. cap. 1. citat Georgius* Wicelius *in libro de Sanctis Ecclesiæ in Bartholomæo. Versio tamen Ruffini, quam ego habeo veterem, legit in Indiam interiorem. Versio autem Ioannis Christophorsoni nihil habet de Bartholomæo. Adde quod Socrates lib. 1.*

cap.

cap. 15. dicat Bartholomæum prædicasse in India, quæ Æthiopiæ finitima est, interiorem autem Indiam, quæ vlterior est, sub Constantino demum Euangelij lumine illustratam fuisse. Item Baronius tom. 1. annalium anno 44. Bartholomæum dicit citeriorem Indiam penetrasse, idq́; testari dicit Origenem lib. 3. in Genes. Socratem, vbi suprà, & alios. Inde eum in maiorem Armeniam profectum esse testantur omnes, & in ea martyrium subijsse in ciuitate Albanopoli, testis Sophronius in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum apud Hieronymum.

p. 3. In libro de natura rerum, cuius Plinius auctor est, dicitur, quòd gallina à serpente non potest infici ea die qua ouum ediderit.) *Respicit, vt opinor, ad cap. 4. lib. 29. hist. Nat. vbi tamen id non dicitur, sed verba Plinij sic habẽt; Argumento quòd dicunt gallinas quo die id ederint, non interfici ab aspide. Vbi relatiuum (id) refert animal cimicem. Lapsus ex eo prouenit, quòd locum non inspexerit, vel non satis diligenter, & pro, id ederint, legit ediderint. Eodem tamen modo, quo hîc legit auctor l. 5. de natura rerum cap. de Gallina.*

p. 5. Curia erat cœnobio Villariensi in Lossensi comitatu Hasbaniæ, quę Hex * dicebatur.) *Hæc est, eáque sincera lectio præstantiorum exemplarium; ms. p. & s. nisi quod ms. p. scribat Losensi & Heix. Duo priora imp. in Locensi vel Laucensi comitatu Salbadiæ, quæ Heyx dicebatur, quamuis secundum imp. habeat Heyr, legens r. pro x, quæ literæ in antiqua impressura admodum similes sunt. ms. b. c. tert. imp. in Locensi comitatu Sabandiæ, quæ Herx dicebatur. ms. b. tamen Sabbadia* ms. s. dicitur.

dia legit, & vix constat, an Herx legat (quomodo legit Speculum exemplorum) an Heix. ms.c. item Sabbadia & Heix. Est autem comitatus Lossensis siue Loënsis (cuius & infrà fiet mentio) in diœcesi Leodiensi, dictus Belgicè, d'lant van Loën. Si quis à me requirat vbinam præcisè curia illa, hoc est villa aut chors sita est, in qua tantum miraculum contigit (quod vix fidem apud me inuenisset, nisi ita particulariter describeretur) illum ad Patres Villarienses remitto. Respondit mihi abbas Villariensis, itémque procurator eiusdem monasterij villam istam Hex vocari, & esse apud ciuitatem Tungrensem. Postmodum etiam à quodam non procul ab Hex oriundo idem intellexi, & Villarienses eam cum canonicis Leodiensibus commutasse. Dictæ lectioni conformiter in catalogo scriptorum Eccles. Ioannis Tritthemij, & in epitome Conradi Gesneri legitur Gosuinus de Hex, patria Brabantinus. Exemplũ autẽ hoc de boue suscitato refert Iulius Fulcus in libro de bono eleëmosynæ, & vitiosè legit in Losensi comitatu, qui Heyr dicitur.

p.7. Simile ei, quod hoc loco refertur extat exemplum in B. Gregorio lib. 1. dial. cap. 9. & in Prato spirituali c.28. de reperto frumento, cùm antea nihil superesset. Et ei quod infrà refertur p. 12. simile est ibidem in eodem Gregorio. Item de farina inuenta postquam nihil fuisset reliquum, Nicasius Baxius in vita B. Thomæ Villanouani archiepiscopi Valentini c.1.

Ibidem. Nec defuit annona sitarcijs.) Ita restitui pro, cistarcijs. Legitur ea dictio in scriptura sacra l. 1. Reg. c. 9. vbi sitarcijs legunt biblia Romana edita à Clemente VIII. Regia habent sistarcijs.

startijs. Parisiensia Io. Benedicti sitarchijs. Louaniensia cistarcijs. Vox Græca ἡ σιταρχία annonam militarem significat, & vas siue saccum, aut peram, in qua cibus poni consueuit, deriuata à σῖτος ἀρκέω, id est, annonam sufficio. Varietas in biblijs orta videtur ex simili pronunciatione c & s. Eadem dictione sitarcia bis vtitur August. tomo 9. in tract. de Cantico nouo cap. 2. Hieronymus in vita Malchi sub finem, in prooemio super Matthaeum, & super epist. ad Titum cap. 3. & Apuleius Milesia 2.

p. 11. Prior eorum frater Guinandus.) *Ms. b. c. & tertium imp. Guiardus, duo imp. vtrumque sic ponunt: Guiardus vel Guinardus. Sed lectio sincerior est Guinandus, quomodo legunt reliqua ms. & sub hoc nomine, agit de eo Leander lib. 5. de viris illustribus ord. Prædicatorum. Est autem omnino verisimile hac parte Traiectum ad Mosam intelligi. Belg. Maestricht, quod & Traiectum superius, à situ loci, (sicut Germania dicitur superior & inferior) non Traiectum ad Rhenum, quod alio nomine Vltraiectum, & Traiectum inferius, Belg. Vtrecht, nuncupatur. Habet eum inter SS. Belgij ordinis Prædicatorum Hyachintus Choquetius S. Theol. doctor c. 12.*

p. 12. Et ferè præ pauore defecit.) *Sic ms. p. s. cui accedit lectio duorum imp. sed vitiosa, præ amore. ms. b. c. tert. imp. præ admiratione.*

p. 15. *Simile ei, quod hac parte refertur, narrat exemplum S. Gregor. hom. 39. in Euangelia de Christo sublato in specie leprosi à Martyrio monacho.*

IN CAP. XXVI.

Parte 6. Inter quos Walterum quemdam vidimus dictum de Traiecto.) *De hoc Miraus lib. 5. Originum monasticarum cap. 15. V. Walterus Traiectensis, abbas X. Villariensis, prophetiæ spiritu clarus, & orationi deditissimus. De SS. huius monasterij ad marginem notaui Molanum in Nat. SS. Belgij die 30. Iunij. At multò plures habet Miraus in chron. Cisterciensi ad annum 11-[illegible]. quando illa famosissima abbatia sumpsit exordium.*

p. 7. Quasi hoc istis modò sub nouo testamento facere liceat, quod olim fieri sub veteri testamento licebat.) *Cùm omne mendacium sit ex se, & intrinsecè malum ac vituperabile (vt docet etiam Aristoteles l. Ethic. c. 7.) vtpote veritati oppositum, nullo vmquam tempore licitum fuit mentiri: & reuera Abraham, Sara, & Isaac, qui in patrocinium mendacij allegantur, mentiti non sunt, vt declarat ipsa scriptura Gen. 20. v. 12. Patriarcham Iacob multi etiam sunt, qui à mendacio defendunt, inter quos Augustinus lib. contra Mendac. c. 10. Et quamuis hic ita loqui videatur Cantipratanus, quasi licitum fuerit mentiri in veteri testamento (quod sumpsisse videtur ex collat. Germani abbatis apud Cassianum collat. 17. c. 18. & Grat. 22. q. 2. c. 18. Quod autem) protinus tamen subdit, id nulla occasione licere, & in fine cap. huius commendat lectionem librorum Augustini de mendacio, & contra mendacium: in quibus ex professo docetur, id nullo casu esse licitum, quamuis ante Au-*

te Augustini tempora communis fuerit opinio in contrarium. Penè omnibus (inquit q. 68. in Leuit.) videtur, quòd vbi nemo læditur, pro salute mentiendum est. Cum Augustino docent omnes ferè Latini, qui eum sunt secuti, & cum M. sententiarum libro 3. dist. 38. tota posterior Doctorum schola. Videantur Scholastici in hanc dist. Idem docet S. Thomas 2. 2. quæs. 110. art. 3. Adrianus quodlib. 1. arg. 3. vbi docet Cassianum & Gratianum hac in parte non esse sequendum. Ioan. Hessel. in cap. 5. Mat. ad illud: Sit sermo vester est, est, non, non. Idem Henricus Cuyckius, vir doctissimus, quondam Academiæ Louaniensis Cancellarius, & libror. Censor, postea ecclesiæ Ruremundensis R. Episcopus in censorijs notis ad 17. collat. Cassiani. Idem Ioan. Molanus l. 1. de fide hereticis seruanda cap. 5. 6. & 7. Nec quispiam, nisi qui errare voluerit, sequatur contrarium,

p. 9. Non est huius animus in recto, cuius actus discordant à verbo.) *Ita ms. p. conformiter orig. quod habet, cuius dictis acta discordant. Reliqua nostra exemplaria omittunt (à verbo) ex eo verisimiliter, quia sequitur rursum: A verbis turpibus &c.*

IN CAP. XXVII.

Parte 2. Veridica enim Domini sententia in talibus, frequenter experta est: nihil opertū &c.) *Hoc est experientia frequenter docuit veram esse illam Domini sententiam.*

IN CAP. XXVIII.

Parte 7. Hic nondum ætatem septennem impleuerat. *Et infrà*. Sed cùm hoc propter generalis Concilij vetitum, ne in ætate tali puero conferretur, sacerdos facere non auderet.) *Videtur omnino respicere ad Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. 21. & habetur extra de pœnit. & remiss. c. Omnis, vbi dicitur. Omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, &c. Alia verba prohibitionem aliquam innuentia ibi non inuenio: Ceterum Concilij verba habere virtutem prohibendi intellexit Guido de monte Rocherij in enchiridio Pastorum, qui liber antiquo nomine, Manipulus Curatorum inscribitur cap. 9. de Eucharistia. Sic enim scribit. Istud etiam Sacramentum non debet sumi nisi ab illo, qui habet vsum rationis. Vnde non debet dari pueris antequam perueniant ad annos discretionis, vt habetur in cap. Omnis vtriusque sexus, extra de pœnit. & remiss. quia ante istud tempus nesciunt discernere inter cibum istum, & cibum corporalem, & sic ipsi non exhiberent reuerentiam debitam tanto Sacramento. Hactenus ille.*

p. 11. Hic filius Comitis de Flankenberch.) *Sic quinque exemplaria, quæ priùs videram, & Speculum exemplorum, sed ms. s. Blanckenberch. Septimum, quod est ms. e. vt priora. Fortè Valkenberch, quod Germani superiores pronunciant Falkenberch. Certè Leander lib. 5. vbi vitam eius texit ex hoc nostro auctore, vocat Albertũ Falchenbergensem. Similiter & Antonius Senensis in chro.*

Pradi-

Prædicatorum, sed vt verosimile est, ex Leandro. Est locus dictus Franckenberch iuxta Marpurgum in Hassia.

p.12. Consobrinum verò dilectum Euangelistam Ioannem &c.) *Quod dicit Joannem fuisse Christi consobrinum, ea recentiorum est opinatio, & vulgò concionatorum, dum euangelium explicant de petitione filiorum Zebedæi, frequenter vsurpata. Verùm ex antiquitate & sacris litteris, quæ nullam dant huius rei significationem, id haberi non potest, immo magis contrarium; filios videlicet Zebedæi non fuisse Domino consanguinitate iunctos. In euangelijs enim, quatuor solummodo legimus fratres, id est, cognatos Domini, Iacobum minorem cum tribus fratribus suis, Iuda, Simone, & Ioseph. Et Iacobus Alphæi, qui & minor, appellatur frater Domini ad distinctionem Iacobi Zebedæi. Itaque Ioannes Hesselius in c. 20. Matthæi, ait, apud nullum probatum auctorem id legi. Videatur & Iansenius cap. 104. suæ concordiæ, & Ioannes Molanus lib. 3. de pict. c. 28. Habet id quidem Theophylacti præfatio in Ioannem, sed apocrypho & falso nititur fundamento, nempe Iosephum ex priore vxore septem habuisse proles, inter quas fuerit Salome, mater Ioannis & Iacobi. Item Radulphus Ardens serm. in festo S. Iacobi, vocat matrem Iacobi & Ioannis materteram Christi: ex quo sequeretur eos consobrinos esse Christi. Sed apud Augustinum, Hieronymum, & illius ætatis Patres, nulla huius rei mentio: neque id auctor noster hîc asserit, sed verba sunt adolescentis rebus Theologicis necdum imbuti.*

IN CAP. XXIX.

Parte 3. Sed & Ioannem Apostolum & Euangelistam, qui de nuptijs specialiter vocatur à Domino.) *Multò minorem, immo nullam habet probabilitatem, quod hîc dicitur, quamuis id plures habeat auctores. Cuius apertam refutationem vide in Ioanne Molano lib. 4. de pict. cap. 20. & Cæsare Baronio tomo 1. annalium Ecclef. ad annum Christi 31. Multis imposuit hac in re præfatio Augustini titulo, tractatuum in Ioannem. Tanti est cognouisse veros librorum auctores.*

p.5. *Quisnam ille sit, cuius verba hac parte citantur, me quidem latet, sed eiusdem rei meminerunt Thomas in 3. sent. dist. 3. q. 1. ad 4. Bonau. eadem dist. par. 1. art. 2. q. 3. in corp. Alexander Halensis par. 3. q. 9. membro 3. vbi auctori nostro conformiter, addit hoc fuisse donum supernaturale. Forma enim naturalis id præstare non poterat. Similiter gratiæ id tribuit S. Thomas loco citato. Ante hos omnes S. Ambrosius lib. de Instit. virginis c. 7. Tanta, inquit, Mariæ fuit gratia, vt non solùm in se virginitatis gratiam reseruaret, sed etiam his, quos viseret integritatis insigne conferret. Post prædictos idem tradunt Ioannes Gerson in serm. de conceptione Virginis, vbi id declarat per 4. considerationes. Henricus de Hassia apud Dionysium Carthusianum tomo 1. opusculorum lib. 2. de laudibus gloriosæ Virginis Mariæ ar. 2. Maria, inquit, gratia plena, gratia optimæ compaginis naturalis, singularissimæ pulchritudinis corporalis, decentissimæ habitudinis moralis:*

lis: quoniam omnium artifex Deus ad ipsius formationem in vtero supernaturaliter concurrens, filio suo dignum habitaculum fabricaturus, eam intrinsecùs omnium gratificantium charismatum & dignificantium habituum plenitudine adornauit, vt etiam in exteriore effigie gratia diuina tam copiosè efficacitérque luceret, quod eius aspectus carnalium æstus extingueret, peccatorum corda compūgeret, mundanorum hominum desideria ad cælestia eleuaret. Quibus habet similia Pelbartus Themenswar. in Stellario coronæ B. Virginis libro 1. par. 6. art 3. c. 1. q. 3. ita scribens: *Fuit etiam ex abundanti gratia in Maria Virgine, quæ (vt dicit Alex. de Ales; & Bonauentura in 3. dist. 3,) quamuis esset pulcherrima, à nullo tamen viro potuit concupisci. Nec eius aspectus vrebat aut inflammabat ad concupiscendum: sed potiùs omnem concupiscentiam, etiam in alijs aspicientibus extinguebat, tanquam si quidam virgineus ros per oculos eius efflueret, & corda omnium ad castitatem moueret.* Sic ille. Eademq́; repetit lib. 5. par. 2. ar. 2. cap. 3. vbi & causas adijcit. *Quod si quæras, inquit, quare, vel qualiter id fieri potuit? Respondetur secundum sanctos, præcipuè Bernardum, quòd Mariæ pulchritudo non fuit cōcupiscibilis carnaliter ratione quadruplici. Primò propter gratiæ abundationem. 2. Propter occultationem. 3. Propter conuersationem. 4. Propter irradiationem.*] Quæ sigillatim ibidem declarat. S. Bonauenturæ verba loco citato, hæc sunt: *Quidam Iudæi asserunt hoc mirum fuisse in Virgine Maria, quòd cum esset pulcherrima, tamen à nullo vmquam viro fuerit concupita.*] & addit:

Nec

Nec vilipendendum est illud infidelium testimonium: oportet enim testimonium habere ab his, qui foris sunt.] *Quæ priora Bonauenturæ verba citans, sequitur Gabriel in 3. dist. 3. ar. 3. dubio 1. & inter recentiores Antonius Spinellus in libro cui titulum dedit: Maria Deipara, thronus Dei cap. 5. num. 60. Idem ex eodem Bonauentura docet Ioan. Viguerius in Institutionibus ad Theologiam c. 20. §. 9.*

p. 6. Tres thecas in tunica sua inueni, vnam anteriorem, & duas laterales, ostendens.) *Varietatem nostrorum exemplarium in margine notaui. In Alano de rupe rediuiuo parte 5. cap. 55. legitur tres plicas. Sed si ipsum Alanum viuum vt scripsit, haberemus, ex eo de vera lectione indicare possemus. Refert enim ibidem omnia, quæ hac parte à Cantipratano narrantur, etsi eum non citet. Pro lectione quæ legit togas facit, quod auctor infrà cap. 53. p. 17. meminit togæ lateralis.*

p. 7. Et totius Trinitatis nobile triclinium.) *Citat hos versiculos S. Thomas opusc. 8. quod est de Salutatione Angelica, exponens illud Dominus tecum: Familiarior, inquit, cum Deo est B. Virgo quàm Angelus, quia cum ipsa Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus, scilicet tota Trinitas, vnde cantatur de ea: Totius Trinitatis nobile triclinium. Auctorē huius deuotæ prosæ siue sequentiæ prodit hac parte Cantipratanus. S. Bonauentura ad illius imitationem in opusculo, quod inscribitur Laus B. Virginis Mariæ (extat parte secunda opuscul.) vocat eam bis terve, Deitatis triclinium.*

p. 8. Vnum de peccatis erat, pro quo damnandus eram,

eram, quia decimas de bonis & agris meis ſacerdoti ſubtraxeram.) *Quàm grauiter hoc peccatum à Deo puniatur, duo extant memorabilia exempla, vnum de Carolo Martello in vita S. Eucherij epiſcopi Aurelianenſis, quod adiectum eſt in edit. Greg. 13. ſcholijs decreti Gratiani 16. q. 1. c. Quia. Alterum habet Tritthemius in chronico Sponheimenſi ad annum 1212.*

p. 9. *Præter exemplum in margine notatum ex Matthæi Raderi Viridario, & habetur quoque in appendice Speculi exemplorum exemp. 124. aliud adfert Miræus in auctario chron. Ciſtercienſis de Guillelmo quondam Montiſpeſſulani domino, in Grandiſilua monacho Conuerſo, his verbis: Guillelmus quondam Montis Peſſulani dominus, in Grandiſilua monachus ibidem Conuerſus, ille, quem Willelmus de Balada Angliæ abbas, & hiſtoriæ dicunt, nihil Latinitatis, præter illa duo vocabula: Aue Maria, ſciuiſſe: ex cuius ore fertur, corpore iam tumulato, lilium prodijſſe, & litteris aureis, Aue Maria vbique decoratum. Idem Miræus lib. 5. Originum monaſticarum c. 15. Ioannem vocat. In Alano vbi ſuprà c. 57. idem exemplum de lilio refertur, & dicitur militem fuiſſe à S. Bernardo receptum, nomine tamen non expreſſo. Idem refert ex magno Mariali Pelbartus Themeſwar in Stellario coronæ B. Virginis lib. 12. parte vltima cap. 6. Aliud item lib. 1. par. 5. art. 1. ex Anſelmi libro miraculorum c. 17. de peregrino à latronibus occiſo, & baculo ſuper corpus eius in terram defixo, qui in arborem excreuit, in cuius folijs ſcriptum erat Aue Maria gratia plena, Dominus tecum. Rurſum aliud exemplum de*

rosa egrediente ex ore sepulti militis, in Speculo hist. Vincentij Beluacensis par. 1. lib. 7. aliàs 8. c. 102 & 103. militis, inquam, qui à puella violatione à parentibus sibi oblatæ, Mariæ nomine, eius deuoti in sabbato abstinuit. Ex Vincentio idem habetur in Speculo exemplorum distinct. 4. exemplo 8.

p. 11. Tempore beatæ memoriæ magistri Petri quondam Cantoris Parisiensis &c.) Quæ hac parte & quinque sequentibus continentur ex ms s. suo loco restituimus, quæ in prima editione inter notas ponebantur. Notandum verò imprimis ad hanc vndecimam partem non rectè eos facere, qui carnali quadam deuotione student vnum sanctum præ alio extollere: quod meritò reprehendit Ioannes Hesselius in explicatione Decalogi cap. 88. & Thomas à Kempis lib. 3. de imitatione Christi capite 63. aliàs 58. vbi docet non esse inquirendum, nec disputandum de meritis Sanctorum, quis alio sit sanctior & maior in regno cælorum, conformiter ijs, quæ hîc habentur. Similis contentio ei, quæ hoc loco de præeminentia S. Ioannis Baptistę & Euangelistæ refertur in legenda nomine aurea, nu 80. de duobus doctoribus, quibus est responsum: Bene concordes sumus in cælis, de nobis non disputetis in terris. Idipsum in Guil. Durando legitur libr 7. Rationalis diu. offic. c. 42. Quod autem tanto pere extollit Cantipratanus auctoritatem B. Augustini, ad probandum Dei genitricem in anima assumptam & corpore, & demiretur B. Hieronymum (vt arbitratur) de ea re dubitanter pro qui, ea pondus haberent, si verè Augustini fo tractatus ille, qui to. 9. extat de assumptione D

pa

paræ, estq; idem cum ser. 35. de Sanctis, eiusdem Augustini titulo, de quo viri docti non sine ratione dubitant. Ioannes Hesselius in censura historiarum c. 8. illius esse non existimat. Consentit Baronius to. 1. Annal. anno 48. & in notis ad Rom. Martyrol. 15. Augusti, & res ipsa declarat. Tractatus eiusdem argumenti apud Hieron. titulum etiam Hieronymi mendaciter vsurpat. Sunt qui credant esse Sophronij. Baronius loco citato ablegat inter apocrypha; & neutrius esse demonstrat. Nec solùm ab Erasmo, sed & à Mariano inter adulterina in tom. 9. reiectus est. Ceterum sententia, quæ B. V. Mariã vnà cum carne in cælum assumptam asserit, adeo communi Theologorum auctoritate, & fidelium consensu est recepta, vt temerarius habendus sit ille, qui id pernegaret. Vide Baronium id latissimè comprobantem in suis Annalibus ad annum suprà citatum, & quæ scripsimus in Kalendario B. Mariæ Virginis ad 15. Augusti.

p. 12. *Historiam de reparato cilicio S. Thomæ Cantuariensis per B. Virginem Mariam, & de presbytero relaxato ad celebrandum perpetuò missam de B. Maria refert S. Antoninus in Summa Theologiæ par. 4. tit. 15. c. 2. §. 2. Item breuiter ex historia S. Thomæ Cantuariensis refert Speculum exemplorum dist. 8. exemplo 77. Vide annot. infrà ad c. 53. p. 14. & nota simile prorsus exemplum de presbytero Carnotensi nullam aliam missam celebrante, quàm de B. Maria, in Sebast. Rouillart in sua parthenia c. 9. nu. 30.*

p. 13. Erubescat Iudæus infelix, qui dicit Christũ ex Ioseph semine esse natum.) *Est pars Respon-*

sorij

sorij de B. Mariæ in horis eiusdem ad vsum Leodiensem & multarum aliarum ecclesiarum, quod incipit: Gaude Maria virgo cunctas hæreses sola interemisti, quæ Gabrielis Archangeli dictis credidisti. Cantatur etiam in sabbatis in ecclesia nostra collegiata sancti Petri Duacensis, ad Salue (quod vocant) canonicorum. Simile prorsus exemplum refert Pelbartus in Stellario lib. 12. p. vlt. cap. 1.

p. 14. Exemplum de cæco illuminato, cùm responsorium caneret: Gaude Maria virgo latiùs habet Speculum exemplorum dist. 8. exemp. 58. Porrò de iudicio B. Mariæ in Iulianum apostatam, agit Helladius in vita S. Basilij, quæ quidē hodie non extat, sed citatur à Damasceno lib. 1. de imaginibus: item vita eiusdem falsò asscripta Amphilochio, Vincentius in speculo hist. lib. 15. cap. 43. & ex prioribus alij, vt Pelbartus vbi suprà, & Speculum exemplorum dist. 8. exemplo 81. Refertur autem in prædicta vita, ad preces D. Basilij coram imagine Dei genitricis effusas, Imperatorem Iulianum apostatam, mandato beatæ Virginis, per S. Mercurium martyrem hasta fuisse traiectum: tametsi de executore non omnes scriptores consentiant. Diuersorum de hac re sententias videre est tomo 7. Annalium Baronij anno 363. Quod autem hîc notari vult auctor: omnia miracula gloriosæ Virginis misericordiam sonare præter illud, quod in Iuliano contigit, verum est in plerisque omnibus: alioqui & alia leguntur in quibus blasphemos & contumeliosos puniuit, vt tempore Mauricij Imperatoris de gentilibus quibusdam. Vide Nicephorum Callist. lib. 18. histor. ecclesi

ecclesiastica c. 33. vbi tamen per parenthesim interserit hæc verba: Quamuis præter naturam suam sit, vt quemquam puniat. Et notissimum est exemplum de Vdone Magdeburgensi archiepiscopo, de quo in notat. suprà ad cap. 3. l. 1. p. 5.

p. 15. *Hoc miraculũ adeò simile est ei, quod accidit in B. Ioscione, religioso celeberrimi monasterij S. Bertini apud S. Audomarũ in Flandria, vt Cantipratanus loquitur cap. 1. huius libri p. 14. vel, vt distinctiùs loquamur in Arthesia, vt dubitauerim, anne ab eo esset diuersum. Extat illud apud Vincent. Bellouacensem lib. 8. speculi hist. c. 116. & ex eo desumptum in chron. ms. Bertiniano Ioannis Iperij c. 43. & in tabella dependente in ecclesia prædicti monasterij ordinis S. Benedicti. Item in Nat. SS. Belgij die 30. Nouembris, & alibi, vt in Pelbarto l. 6. vbi suprà in fine. Item in Spec. exemplorum dist. 9. exemp. 119. ex l. exemplorum B. Virginis, vbi in editione Argentinensi anni 1487. vocatur Iarvertus. Pro quo non rectè in noua edit. Duacensi, substitutum est nomen Ioscio, & annus 1163. pro 1186. & omissum illud in Dolo monasterio, positumq́; episcopo, pro archiepiscopo. Est autem Dolense monasterium in archiepiscopatu Bituricensi ab Elbone Toparcha, Carolo non Caluo, vt quibusdam visum est, sed Simplice regnante, ijsdem ferè quibus Cluniacense temporibus conditum, vt scribit in suis notis Iacobus Sirmondus ad epistolam 6. lib. 4. Goffredi abbatis Vindocinensis. Loquitur enim auctor Speculi exemplorum de eo, quod Cantipratanus refert. Verùm dissimilitudo est in anno, diœcesi, inscriptione monasterij, & alijs quibusdam, nec solet auctor no-*

ſter referre tam remota à ſua ætate (ſcribitur e-
nim accidiſſe anno 1163.) Iſto anno de Ioſcione agit
Meyerus in annalibus Flandriæ, dicitq́; ſepultum
ab Andrea epiſcopo Atrebatium. De eodem Io-
ſcione Auctarium Aquicinctinum ad chron. Si-
geberti anno iam dicto 1163. Venerabilis Ioſcio
cognomento Roſeus, monaſterij S. Bertini, in Ar-
teſia monachus, Virgini matri deuotiſſimus, in
Domino obdormiuit. Nec vllam cauſam video,
quã fieri potuerit, vt ſcribens in Belgio, locum il-
Lib. 2. c. 1. lum ignoraret, cuius aliàs meminit in hoc opere.
Nihil autem vetat ſimile prorſus miraculum, aut
ſpecie idem, in diuerſis locis contigiſſe. Exactio-
rem huius rei inueſtigationem ac diſcuſſionem Re-
ligioſis patribus Bertinianis detuli: qui ſimile qui-
dem, ſed tamen diuerſum eſſe arbitrantur, quod
& circumſtantiarum diuerſitas arguit. Ceterùm
de Ioſcione ex Iperio eadem quæ ſuprà tradit quo-
que Ferreolus Locrius in chronico Belgico ad an-
num 1164. Inter eos, qui eoſdem quinque pſalmos
legerunt in honorem B. Mariæ, recenſetur beatus
Iordanus ſecundus Magiſter ordinis Prædicato-
rum, vt eſt in vitis fratrum Prædicatorum par. 3.
c. 24. & in vita ipſius ſcripta per Leandrum Al-
bertum, quæ extat apud Surium tomo 7. die 13. Fe-
bruarij. Sed fallitur Franciſcus Lamata S. Theo-
logiæ doctor, dum in argumento opuſc. S. Bona-
uenturæ, cui titulus: Corona B. Mariæ Virginis
(quod habetur tomo 6. operum ipſius p. 2.) ſcribit
hunc ritum ſalutandi B. Mariam per quinque
pſalmos, iuxta quinque litteras nominis ipſius, à S.
Iordano excogitatum. Id enim ex eo manifeſtè re-
fellitur, quòd Joſcio, & Iosbertus octoginta ann
prior

priores sunt B. Iordano. Neque in vita B. Iordani, quam citat, habetur ipsum modum illum inuenisse, sed eo vsum esse. Locus est cap. 17.

p. 19. In partibus Lombardiæ in domo quadam fratrum Prædicatorum apud Turinum.) *ms. p. Turnum legebat, ms. b. c. & tert. imp. Thranum, ms. s. Tranum, duo imp. antiq. Granum. Est autem Turinum siue Taurinum, vrbs Pedemontana, & regionis illius metropolis, Italicè Turino.*

p. 20. Venit ad monasterium, quod Parcus dominarum dicitur, &c.) *Sic locum restitui: ms. p. habebat: Parcum dominarum dicitur. ms. s. Parchum, duo imp. Pratum, ms. b. c. Partus dominarum. tert. imp. Parcus leucam dominarum dicitur. Appellatur autem Parcus dominarum ad distinctionem à Parco religiosorum virorum Præmonstratensium nominatissimo monasterio, quod adhuc vicinius Louanio, extra portam, quę ab eo Parcensis dicitur, situm est, ex eo nomen habens; quòd Godofridus Barbatus dux Brabantiæ & Lotharingiæ suum septum ferarum, quod Gallicè Parcus dicitur, anno 1129. in prædictum monasterium conuerterit.*

Ibidem. Sanctoque habitu ordinis induit baptizatam.) *Sic præstantiora exemplaria, ms. p. s. Alia statimque habitu, &c. Sed prior lectio probatur ex c. 35. p. 2. vbi eadem phrasi vtitur.*

p. 21. Manifesta autem facta sunt ista Archiepiscopo Coloniensi domino Conrado.) *Is est Conradus de Hoënstedin, qui vbi sedisset annis 23. obijt 1261. Ita Tritthemius in chro. Hirsaug. Petrus verò Cratepolius scribit obijsse eodem anno, sed sedisse 34. & ponit eum quinquagesimum quar-*

tum in numero episcorum Colonienſium.
Ibidem. Annus ſecundus, M. ſcilicet CC. LXV. eo tempore voluebatur.) *Hæc eſt lectio ms. c. & tert. imp. exemplaris, ms. p. pro dictione (ſecundus) legit (Domini) ms. s. eiuſdem loco ponit voculam (quoque) Reliqua vt tert. imp. in quo tamen ſolo. & ms. c. adiecta eſt dictio (ſcilicet.)*
p. 22. Anno præſenti ab incarnatione Domini M. CC. LXXI. factum eſt in villa Theutoniæ, Pfortzheim nomine.) *Quamuis hanc lectionem, vt in margine annotaui, præcedentia videantur requirere, vbi conformiter ab omnibus exemplaribus legitur annus M. CC. LXV. viſo tamen ms. s. quod conformiter ms. p. & duobus imp. legit M. CC. LXI. eo item conſiderato, quòd de B. Lodouico rege Franciæ, vbique tanquam de viuente adhuc, & tunc regnante loquatur, etiam vlt. c. huius operis: qui tamen obijt 1270. ſincerior ea videtur lectio, quam in margine poſuimus, quæ legit M. CC. LXI. Vide annotat. ad cap. vlt. p. 60. More autem Germanico hîc nomen ciuitatis ſcripſimus, cùm omnia exemplaria legerent Forchem, dempto tert. imp. in quo Fortchen legebatur: forſitan ab auctore ſcriptum Fortheym: & accipitur villa pro opido.*
p. 24. Sed & in ſcriptis cuiuſdam fratris ordinis Prædicatorum in Beluaco legiſſe me memini.) *Is veriſimiliter eſt Vincentius Bellouacenſis, qui Speculum hiſtoriale abſoluit anno 1244. & iuxta Maſſæum obijt 1256. Huic autem exemplum ſimile præter illud quod in margine ex Cæſar. notaui, refert ex S. Anſelmo Alexius de Salo Capucinus cap. 8. libelli ex Italico in Gallicum ſermonem*

nem translati, cui titulus: Methodus admirabilis ad amandam, colendam, & honorandam gloriosam Virginem Mariam aduocatam nostram. Idipsum recenset ex eodem Anselmo in libro Miraculorum, qui nunc non extat, & ex libro, qui intitulatur Scala cæli, Pelbartus in Pomerio serm. de B. Virgine, siue in stellario corona eiusdem Virginis lib. 12. p. 2. ar. 1. & ibidem citat aliud exemplum à se descriptum lib. 9. p. 2. ar. 3. §. penultimo & aliud lib. 3. p. 1. ar. 3. in fine. Item ibidem videlicet lib. 12. p. 2. ar. 1. duo alia, quorum vnum se dicit vidisse. Aliud item ibidem ar. 2. de predone ex Promptuario exemplorum, & aliud parte vlt. cap. 7. ex eodem Promptuario, & magistro Ioanne Gritch ord. Minorum.

p. 25. Nota ergo lector, me non credere, necessariam super hoc esse regulam, & in dictis ferijs ieiunantibus efficacem.) *Sic ms. b. c. & tria imp. Eodem sensu reliqua ms. legunt: me non credere regulam esse necessariam semper, & in dictis ieiunijs efficacem. Regula de qua loquitur hæc est: quòd quicumque quartam feriam aut sabbatum in honorem gloriosæ virginis Mariæ ieiunauerit, veram confessionem, antequam ab hac vita decedet, matris Christi precibus obtinebit. Similia quædam de alijs sanctis, & nominatim de B. Barbara virgine leguntur: nempe quòd quicumque eam coluerit sacramentorum Confessionis & Eucharistiæ particeps efficietur antequam ex hac vita demigret; quod & constat in multis euenisse. Extat ea de re egregium miraculum Gorcomij in Hollandia factum anno 1448. apud Theodoricum Loër, post miracula de venerabili sacramento Bruxellensi:*

lensi: & ex eo apud Tilman. Bredenbachium in sacris collat. lib. 4. cap. 1. in chronicis item Hollandiæ, & in tom. Surij 4. Decemb. Hinc est quòd in Francia, & locis adiacentibus S. Barbaram matrem confessionis appellant, adijciantq; laici penè omnes in generali confessione, quæ præmittitur sacramentali, hac verba: Et dominæ S. Barbaræ, matri confessionis. Verùm rectè docet Cantipratanus tales traditiones non esse perpetuas aut infallibiles, ne se hac ratione decipiant illi, qui interim sceleratè viuūt. De hac re agens prima Synodus prouincialis Cameracensis celebrata sub 1. Archiepiscopo Maximiliano de Bergis an. 1565. statuit, abominandam esse eorum vanitatem ac superstitionem, qui certò pollicentur, non ex hac vita migraturos sine pœnitentia & sacramentis eos, qui hunc illúmve ex Diuis coluerint.

Cap. 6. de Sanctis.

p. 26. Simile prorsus cum eo quod hac parte refertur, miraculum fecit B. Dominicus Prædicatorij ordinis Patriarcha, vt est lib. 4. vitę ipsius c. 1. Simile item B. Raymundus tertius eiusdem ordinis Generalis, vt est in chronico Prædicatorum edito per Antonium Senensem in decade inchoata ab anno 1270. & in appendice Petri Venerabilis, editi Duaci anno 1595. Item S. Hyacinthus & B. Ioannes Agni Gandensis, de quibus Choquetius in Sanctis Belgij ord. Prædic. c. 8.

p. 29. Est frater ordinis Prædicatorum Walterus nomine de Meseburgo.) Sic ms. b. rectiùs c. de Mesenburgo, tert. imp. de Luisenburgo, sed omnino improbabiliter, & dissentaneè à reliquis exemplaribus. Duo antiqua imp. Wolterus nomine de Meysenborch, n. s. p. Walterus de Missemborch nomine

nomine: sed optimè omnium ms. s. Walterus de Meisenborch. Eadem est varietas infrà c. 51. p. 8. vbi conformiter alijs habet tert. imp. Gualterus de Meseburgo, ms. b. c. Mesemburgo. ms. p. s. walterus de Mesenborch. Duo impressa vt suprà, nisi quòd Walterus scribant, & Meysenborch.

Ibidem statim sequitur mentio vrbis Magdeburgensis, vel vt ms. p. s. c. Madeburgensis, vbi duo imp. vitiosè legunt Meydenburgensem. Sebastianus Müsterus in Cosmographia fol. 745. meminit Burggrauij Meidenburgensis; sed ex circumstantijs situs loci non potest colligi. Leander libro 5. pag. 187. vocat Gualterum Merseburgensem, sed pag. 247. rectiùs scribitur Waltherus de Meyssemburg. Malè eum locat Antonius Senensis in chro. Prædicatorum in decade, quæ inchoatur anno 1340. cùm sit centum annis prior: Chartta Germaniæ in ditione Mekelbergensi habet ciuitatem Meyenburg: sed non videtur hæc esse.

p. 32. Quæ hîc de vnicorni ex libro suo de natura rerum producit auctor de ferocitate eius, & modo, quo capiatur, desumpta sunt ex sancto Gregorio lib. 31. Moralium cap. 10. aliàs 13. Quæ eadem habet Isidorus lib. 12. Originum siue etymologiarum cap. 2. & latiùs Rabanus Maurus lib. 8. de Vniuerso cap. 1. Eadem Michaël Glycas parte 1. annalium, describens ea animalia, quæ die sexta sunt creata, & , vt auctor part. seq. ea Christo & B. Virgini applicat. Verba sic habent: Vnicornu animal est valde ferum, quod neque per venatores, neque modo quodam alio capi potest. Nihilominus fera tam immanis ad feminam virginem, quæ splendidis induta sit vestibus, & orna-

 tu va-

tu vario exculta, non tantùm accedit: sed etiam ipsius ad genua procumbens, quiescit. Idem cùm in diuinitate illa inadspectabili, & incomprehensibili, tum vera soláque virgine videre est. Nisi enim templum hoc repertum esset purissimum, Deus in terris non conspectus, nec cum hominibus versatus fuisset. Sic ille. Pertinent huc, & ad ea, quæ parte sequenti scribuntur, imagines illæ satis frequentes, in quibus B. Virgo Maria astante angelo Christi incarnationem nunciante, pingitur fouens vnicornem in sinu suo, quod fortè à paucis aduertitur. Nec mirum cùm Christus ratione suę fortitudinis huic animali comparetur. Psal. 28. Dilectus quemadmodum filius vnicornium. Et Num. 23. dicitur: Deus, cuius fortitudo similis est rhinocerotis. Qui enim Latinè vnicornis, Græcè rhinoceros dicitur, eò quòd cornu vnicum in nare habeat, & monoceros, id est, vnicornis. Quod autem scribit auctor se vidisse huius animalis cornu in ecclesia Brugensi septem pedum, debuit hoc vnum fuisse ex maioribus. Nam Isidorus ei tantùm quatuor pedum longitudinem tribuit, sicut & Solinus. Plinius cubitorum duorum, cubiti vnius Ctesias in Indicis apud Photium sesqui cubiti, Ælianus lib. 4. c. 52. de asinis Indicis, vt in suis notis ad Isidorum notat Iacobus du Breul.

p. 33. Quæ hac parte recitat auctor ex libro suo de Natura rerum, ea habet Iacobus de Vitriaco c. 88. hist. Orient. ex quo est verisimile eum desumpsisse, cùm etiam verbis ferè consentiant; & in epistola dedicatoria, (vbi se librum illum compilasse fatetur ex diuersis auctoribus) etiam illum inter ceteros annumerat. Eadem citat Bartholomæus

maus Anglicus lib. 18. de proprietatibus rerum c. 88. ex Isidoro lib. 12. Vidi postea locum in libro de Nat. rerum, & inueni me rectè diuinasse. Citat enim Iacobum & Isidorum Cõradus Gesnerus in hist. animal. de quadrup. viuiparis eadẽ citat ex Ioan. Tzetzes. Eadem Christo & B. Virgini applicat Pelbartus libro 7. p. 2. ar. 3. cap. 5. & libro 8. p. 1. ar. 3. c. 10.

p. 35. & 36. *Ijs quæ hisce duabus partibus ab auctore nostro traduntur, inter alios casuum conscientiæ Doctores, conformia docent Vldericus apud Siluestrum, verbo Virginitas, num. 4. Caietanus in summula v. Virginum consecratio: puellas videlicet, integras quidem carne, mente autem & complacentia libidinis corruptas (de viris idem est iudicium) irreparabiliter amittere virginitatis virtutem, & aureola spoliari. Hæc enim virtus, vt omnes consentiunt, & nominatim docet Thom. 2.2. q. 152. ar. 1. in mente consistit, estq́; propositum perpetuò abstinendi à delectatione Venerea: carnis autem integritas per accidens se habet ad virginitatem, vt ibidem Thomas asserit. Cum Cantipratano, Alberto magno, & duobus iam citatis auctoribus, & ego ipse sentio, & mecum Dominicus Soto in 4. d. 49. q. 5. art. 2. Rectè nihilominus tales consecrantur vt virgines, quemadmodum docet hic Cantipratanus, & prædicto loco Caietanus, & alij, quoniam virgines sunt secundum statum, quia carne sunt integræ, licet non secundum virtutem. Nauarrus tamen enchir. cap. 26. num. 4. eam, quæ se voluntariè polluit, non arbitratur, nisi praua dispensatione saltem episcopali, aut alia honesta cautela consecrari posse, idq́; col-*

colligitur, inquit, ex S. Thoma loco citato in responsione ad 4. De eadem re latè Alphonsius Viualdus in Candelabro aureo p. 3. c. 5. num. 20. & sequentibus.

p. 37. Quod à nobili puella, Maria de Gonnelieu prope Cameracum accepi, vtpote quæ personam &c.) *Sic ms. s. Eodem accedunt ms. p. & duo imp. nisi quòd omit. voces has (puella Maria) sed duo impr. legunt (qui) pro (quæ) ms. b. c. tert. imp. solùm habet. Quod à nobili persona accepi, vtpote qui &c. sed ms. c. habet quæ. Ortographiam loci restitui. ms. p. Gonnelin, duo imp. Gomelin constanter legebant. ms. s. Gonelin.*

p. 40. Filiam Ludouici regis Francorum, sororem scilicet deuotissimi regis Ludouici, qui felicissimè regnat ad præsens.) *Posterior hic est S. Ludouicus, cuius festum celebratur vigesimo quinto Augusti: Sorori eius nomen erat Isabella, teste Hieronymo Plato lib. 2. de bono status religiosi c. 27. vbi sic habet: Quin etiam Isabella Francorum regis filia S. Ludouici soror, mundo contempto, Christi crucem in hoc eodem ordine sustulit tanto ardore, vt etiam miraculis claruerit. Hæc ille.*

IN CAP. XXX.

Apes nullo inter se concubitu miscentur: nec in libidinem resoluuntur.) *De hac re non solùm prophani auctores testantur, sed & sacri. Aristoteles lib. 5. hist. animalium cap. 21. diuersas adfert opiniones. Sic enim ait: De generatione apum varia sententia est. Alij enim eas parere & coire negant, sed deportare fœturam existimant. Nec vnde portent, constat inter omnes: sed alij ex flore*

Corin-

cerinthi, alij ex flore arundinis, alij ex flore oleæ aiunt, argumentúmque adferunt, quòd cùm oliuarum prouentus fit largior, tunc plura examina prodeant. Sunt qui fucorum quidem fœturam comportari ab aliquo ex ijs, quæ modò dixi, arbitrentur: sed apum generi ortum præstari à ducibus. Sic ibi. At pro negatiua parte euidentiùs loquitur lib. 3. de generatione animalium cap. 10. Apes, inquit, sine coitu generare argumento illud etiam est, quod fœtus exiguus admodum in cellulis faui cernitur, cùm insecta, quæ per coitum oriuntur, coëant diu, pariant breui, magnitudine ad speciem vermis. Pro eadem parte euidentissimè Virgilius lib. 4. Georgicon dicens:

Illum adeo placuisse apibus mirabere morem,
Quòd nec cōcubitu indulgēt, nec corpora segnes
In Venerem soluunt, aut fœtus nixibus edunt:
Verùm ipsæ è folijs natos, & suauibus herbis
Ore legunt.

Plinius lib. 11. hist. Nat. cap. 16. etsi in vtramque disputet partem, fatetur tamen apum coitum numquam visum esse. Ex sacris auctoribus clarè asserit S. Augustinus lib. 15. de ciuitate Dei cap. 27. in apibus nihil esse maris & feminæ. Et lib. de bono coniugali capite 2. dicit Deum apibus prolem sine concubitu dare. Et apud Augustinum lib. 4. Hypognosticon (qui libri ferè ex sententijs Augustini sunt decerpti) dicitur: Deus, *qui sine concubitu apes fœtare creauit. Item apes sine concubitu generare docet Rupertus abbas Tuitiensis lib. 3. de diuinis officijs cap. 25. agens de festo Purificationis S. Mariæ: his verbis: Bene autem consecrati cercoli, id quod visibile erat Christi, nobis signifi-*

gnificant. Nam sicut apis ceram cum melle, virginali producit opere: sic Maria Virgo Christum Deum & hominem, salua vteri sui genuit integritate. Apes namque neque vllo concubitu miscentur, neque libidine soluuntur, nullis partus doloribus concutiuntur: & subitò magnum filiorum examen emittunt, de folijs & herbis ore suo prolem legentes. Sic ille. Consentit eiusdem temporis B. Iuo Carnotensis in serm. de eadem festiuitate, dicens: Sicut enim caro Christi de mundissimo & bono odore virtutum referta carne processit, & nec in concipiendo, nec in egrediendo matris integritatem violauit: sic cera, quæ hodie gestatur fidelium manibus, de mundis & odoriferis floribus collecta, fructus est apis, virginis videlicet animantis, cuius sicut legitur, sexum nec masculi violant, nec fœtus quassant. Hæc ibi. Ante hos omnes Ruffinus Aquileiensis in expositione Symboli Apostolorum exemplum apum allegat contra infideles ad probandam B. Mariæ virginitatem in conceptione & partu. Apes certè, inquit, nescire coniugia, nec fœtus nixibus edere, omnibus palam est. Denique vt & hoc addamus, propter apum virginitatem ecclesia omni tempore vtitur cereis in diuino sacrificio & officio, non candelis ex seuo boum & ouium, quæ per concubitum generantur, confectis.*

p. 1. Quod fex dici potest omnium peccatorum.) *Sic ms. p. at ms. s. & 2. imp. fel. ms. b. c. tert. impres. Quod ferè dici potest de omnibus peccatis. Prima lectio vera videtur, & sensus est, peccatum illud esse omnium sordidissimum & vilissimum. Sic fecem populi aut ciuitatis dicimus, homines omnium*

mnium vilissimos & abiectissimos. Tertiam non dubito esse spuriam, & à vera auctoris scriptura transmutatam.

p. 3. Quædam mulier cum maximo mœrore & pudore confessa &c.) *Iure neminem debet offendere, quòd quædam hac parte & sequenti referantur in confessione audita. Nam id licere, in genere referendo, & tacito personæ nomine ac qualitate, & vbi nullum subest periculum quòd in notitiam ventura sit persona, docent Casuistę. Idem colligi potest ex can. 21. Concilij Lateranensis sub Innocentio III. (& habetur extra de pœnit. & remiss. c. Omnis) vbi dicitur: Quòd si sacerdos prudẽtiorum consilio indiguerit, id absque vlla expressione personæ, causa cuius eo eget, cautè requirat. Idémque patet eodem tit. c. officij. Omnino etiam credendum est, auctorem hæc scripsisse multis annis postquam facta fuerunt, (quamuis & secretum confessionis post mortem obliget) ita vt nullum subesset periculum. Verùm, quia non tantùm à malo, sed etiam ab omni specie mali est abstinendum, nollem ego talia scribere aut dicere, expresso nomine ciuitatis, aut loci vbi facta sunt: & rectè docent casuum conscientiæ scriptores, propter mali speciem à talibus esse cauendum. Ita docet beatus Antoninus in suo confessionali p. 3. c. 29. ex Petro Paludano in 4. d. 21. q. 3. & ex Umberto: quo citante, posterior ait: Numquam etiam debet dicere: quod in illa abbatia, vel castro, vel villa, vel ciuitate, in quibus audiui confessiones, fiunt multa peccata, & huiusmodi: quia propter hoc credunt simplices, quòd hoc sit reuelare confessionem, quamuis non reueletur per talia verba secundum Petrum,*

trum, nisi ex huiusmodi locutione posset peccatum alicuius deprehendi. Hæc ibi. Idem per omnia Adrianus in 4. vbi de sigillo confes. Siluester verbo Confessor 3. num. 1. & 2. Nauarrus enchir. c. 8. n. 12. & 16. Quibus scribit conformia Viualdus in Cand. aureo par. 1. tit. de confessione n. 59. Quòd verò talia quædam exempla ponat auctor, qui casus ferè reseruatos audiebat, quæ fortè laicorum nonnullos offendere possent, (quamuis nihil hîc sit quod non à Casuistis clariùs exprimatur) nouerit lector seculum illud, etiam in personis ecclesiasticis fuisse corruptissimum, & lasciuijs abundantissimum, vt videre est apud Iacobum de Vitriaco hist. Occid. c. 5. Nunc ferè, si qui vel quæ ecclesiastici ordinis carni suæ succubuerunt (quod dolendum est) ad thalamos malè blandos, à Sectarijs inuitati palam confugerunt, vt hac ratione propudijs istis ecclesiæ area purgata sit. Nota quoque est reg. Iuris in 6. n. 76. quæ sumpta est ex Gregorii lib. 11. epist. 50. Delictum personæ non debet in detrimentum ecclesiæ redundare. Atque hîc meminisse oportet eius, quod ex August. ep. 137. citauimus ad c. 6. lib. 1. p. 3.

p. 6. Venerabilis Bonifacius quondam Lausanensis episcopus, nunc rector in Theologia Parisijs.) *Eiusdem meminit infrà c. 51. p. 4. & c. vlt. p. 32. Patria fuit Bruxellensis, & auctoris tempore celebris sanctitate in Camera B. Mariæ monasterio virginum Cistercienis ordinis iuxta Bruxellam, vt habet de eo Molanus in chro. SS. Belgij c. 27. vbi eum inter beatos recenset, sicut & in Natalibus, & in additio. ad Martyrologium Vsuardi. 19. Februarij. Diem clausit extremum in dict*

in dicto monasterio, in quo sacra eius ossa de terra eleuata sunt, anno 1600. ab abbate Camberonensi, consentiente Archiepiscopo Mechliniensi.

p. 13. Sinistro cornu, cui Bacchides præerat.) *Hoc repugnare videtur ei, quod habetur l. 1. Machab. c. 9. ad quem locum respicit. Ibi enim dicitur v. 12. Bacchides autem erat in dextro cornu, &c. Verùm conciliari hæc possunt. Nam dextro cornu à Iuda contrito, verisimile est Bacchidem, qui tandem victor euasit, se iunxisse sinistro cornu. Sunt autem cornua exercitus in peditibus (vt hoc obiter addamus) quod alæ in equitibus, quæ Liuio sunt ordines equitum, sic dicta, quòd alarum vice pedestres copias vtrimque obtegunt. Cornua autem dicuntur à figura, quæ cernitur in acie disposita, & dextri ac sinistri, à situ siue positione, nomen accipiunt.*

p. 15. *Priora verba, quæ citantur hac parte ex Augustino, habentur apud eum serm. 30. ad Fratres in eremo; qui sermones nullo modo Augustini sunt.*

p. 18. Et isti ad vtilitatem correctionis res ista innotuit.) *Ita ms. b. c. cum tert. imp. sed ms. p. & s. Et isti ad viam correctionis res gesta successit. Duo imp. Et isti ad vitam correctionis res ista cessit.*

p. 25. Peredixion arbor est in Perside, & interpretatur circa dexteram) *Ita emendaui ex lib. de Nat. rerum. Duo imp. perdixion legunt, & contra dexteram. ms. p. bis cc ponit, & punctum superius, quod legas circa & contra, reliqua pedixion & circa. Interpretatio adiecta legendum indicat peridexion, quam Græcam vocem Exod. 35.*

& Num. 31. versam habemus per dextralia. Ceterũ nec in Theophrasto, nec Plinio, Lexico Græco aut nomenclatore vllo Latino inueni pedixion, nec perdixion aut peridixion pro arbore. Inuenio quidem apud omnes perdicium herbam muralem, sic dictã à perdicibus, quòd ea libẽter vescantur, Gal. paritoire, Belgicè glaescruyt, sed nusquam ei proprietates, quas hîc auctor recenset, attributas reperio. Auctor in opere de natura rerum lib. 11. qui est de arboribus aromaticis docet vocem Græcam esse, atque ea, quæ scribit ex Isidoro sumpsisse, in quo tamen non inuenio, vti nec in Bartholomæo Anglico. Verba sic habent: Peredixion arbor est Orientis à Græcis sic dicta ex inter & circa dexteram. Arboris huius fructus, vt dicit Isidorus, dulcis est, quo columbæ mirificè delectantur: vmbra verò eius & ramis proteguntur, &c. Eadem habet lib. 5. c. de columba. Quæ hodie etiam in postrema Isidori editione Parisiensi, facta anno 1601. videntur abesse. Nam l. 17. originum c. 8. quod est de arboribus aromaticis, nulla fit illius mentio, sicut nec in Rabano Mauro lib. 19. de Vniuerso cap. 7. quod est eiusdem argumenti.

Habet autem his planè similia Hugo à S. Victore Institutionis monasticæ de bestijs & alijs rebus lib. 3. cap. 39. vbi sic ait: Pendens est arbor in India. Est autem huius arboris fructus dulcis totus, & valde suauis. Columbæ autem delectantur in fructibus huius arboris, habitántque in ea pascentes fructus eius. Draco autem est inimicus columbis, timétque arborem & vmbram eius, vbi columbæ morantur, & non potest appropinquare arbori, neque vmbra eius. Si enim vmbra arboris a[d] Occide[ntem]

Occidentem venerit, fugit ipse ad Orientem, & econuerso. Si autem euenerit vt columba inueniatur extra arborem, vel vmbram eius, occidit eam draco, &c.

Ibidem. Ita vt eam vitent attingere.) *Restitui vitent, pro vetent, quod habebant quinque exemplaria, sed diuersimodè. ms. p. ita vt in ea vetent attingi. Duo imp. ita vt eam vetent attingi. ms. b. t. & tert. imp. ita vt eam vetent attingere. ms. s. ita vt eam vetentur attingi. Cùm enim non intelligeretur variatum est.*

Ibidem obscurum est illud: Quem in fructu Christus contrahit. *Lectionis varietatem in margine signauimus. Quod habet ms. s. legi potest, quem & quam. Legendum fortè quis existimet: quem in frictu Christi contrahit, id est, confricatione, & contactu; sed obstat, quòd de fructu praecedat mentio.*

p. 29. *Simile narrat de Andragasina virgine Petrus de Natalibus in catalogo Sanctorum libro 3. c. 108. & Marcus Marulus lib. 3. dictorum factorúmque memorabilium c. 4. & ante eos Vincentius Beluacensis in Speculo historiali lib. 24. in noua editione 23. cap. 99. idq; ex gestis S. Ausberti. Vocat autem perpetuò Angadrisinam. Idem habet ex eodem Vincentio Speculum exemplorum dist. 4. exemplo 30. vbi etiam Angadrisina nominatur, & suis precibus obtinuisse legitur, vt fieret leprosa. S. Brigittam orasse pro deformitate vultus obtinenda refert in Gallico libello Alexius de Salo vbi suprà pag. 133.*

p. 31. & 32. *Guido pastor Beghinarum in Niuella, de quo hîc loquitur, verisimiliter est Guido Niuellanus,*

 lanus,

lanus, cuius meminit Iacobus Vitriacus lib. 2. cap. 3. 9. & 10. in vita beatæ Mariæ Ogniacensis, qui erat eiusdem beatæ Mariæ confessarius, & frater Ioannis, mariti ipsius, vt constat c. 9. Ei quod par. 31. refertur simile habet exemplum Speculum exemplorum dist. 2. exemplo 23. ex vitis Patrum.

p. 33. Sanctus Ludouicus Cathalaunensium episcopus &c.) *In martyrologijs, calendarijs, & catalogis Sanctorum non nisi duos inuenio sanctos Ludouicos, vnum regem Franciæ, alterum Episcopum Tholosanum ordinis Minorum. Ludouicum aliquem in catalogo Episcoporum Cathalaunensium apud Democharem aut alibi non inuenio, sed S. Ludomerum 18. illius sedis episcopum, quomodo hîc in Cantipratano legendum existimo, vel Leudomirum, vt legit Molanus in additionibus ad Vsuardum 30. Septembris. Catalaunis, inquit, depositio sancti Leudomiri, Episcopi & Confessoris. de quo canitur:*

Leudomire pater famulis succurre potenter,
Vt sani viuant, æternaque munera quærant.

Certè nomen Leudomiri vel Ludomiri facilè à scriptore mutari potuit, vt fieri solet, in nomen notius Ludouici. Approbat nostram sententiã Claudius Robertus in Gallia Christiana in catalogo Episcoporum Cathalau. & ait vulgò nominari S. Lumier.

p. 35. Testatur Ambrosius in libro de virginitate, quòd miræ pulchritudinis adolescens.) *Ms. p. s. duo impressa omissa citatione Ambrosij, incipiunt hanc partem hoc modo: Miræ pulchritudinis adolescens, &c. Idem autem vel prorsus simile refertur in l. quæst. vet. & noui test. apud Aug. q. 115.*

p. 40. Cuius faciem per fenestram intrantis, vxor eminus contemplata, clamat horrificè.) *Sic præstantiora exemplaria, ms. p. & s. Reliqua hoc ordine: Cuius faciem intrantis, cùm per fenestram vxor eius eminus contemplaretur, horribiliter clamare cœpit.*

Ibidem. Vt in me laruata quasi dæmonis facies videatur.) *Sic ms. s. Tert. imp. ms. b. c. vt in me larualis facies videatur. ms. p. vt in me laruata quasi facies propria appareret, duo alia imp. vt in me laruata quasi facies deformetur. Verùm sensus redit in idem. Addit verò ms. s. sed minus rectè: Cui sacerdos: Clauso, inquit, ostio, dicas quod vis, & sic de te, quod Deus voluerit, expectabo.*

p. 43. Fredericum nuper Romanorum imperatorem luxu corporis impudentissimum.) *De incontinētia Frederici II. præter alios agit S. Antonin. p. 3. chro. tit. 19. c. 6. §. 1. & passim omnes historici.*

p. 45. Prædicator quidam, & actione & ordine in Hispania maximus fuit, qui frater Dominicus appellatus, cum B. Dominico ibidem Prædicatorum ordinem ampliauit.) *Hic ad distinctionem S. Dominici patriarchæ ordinis, vocatur Dominicus secundus. Idem autem quod hac parte, sed breuiùs, & paulò aliter recitat Leander l. 5. Similiter & Antonius Senensis in chronico Prædicatorum, citans de ea re auctorem Iordanum. Idem quoque habent vitæ Fratrum p. 4. c. 4. Idem denique Nicolaus Ianssenius in commentario ad c. 9. lib. 1. vitæ S. Dominici à se conscriptæ: sed in aula regis Franciæ contigisse narrat, sicut Leander, & Senensis, quod Cantipratanus refert factum in aulæ regis Castellæ in Hispania. Similia duo exempla*

de S. Ioanne Francico, siue de S. Francisco refert ex alijs Henricus Sedulius in commentario ad vitam S. Francisci ad c. 9. in fine. Refert & aliud simile Stephanus de Sampayo Lusitanus de beato Petro Consalno Tudensi ordinis Prædicatorum c. 4. vitæ ipsius. Aliud Cæsarius, vt in margine notani. Aliud ex Philippo Ferrariensi Miræus lib. 2. Originum monasticarum c. 14. de S. Guilelmo Vercellensi, institutore ordinis Montis virginis.

p. 46. Audias quid dicat sanctissimus & veridicus Augustinus: Cum mulieribus, inquit, sermo breuis, asper, & rigidus semper habendus est. Nec ideo minùs cauendę &c. vsque turpitudine impudica.) Huc vsque extendi verba, quæ ex Augustino citat inde patet, quia demum postea subiungit: Ecce quid est quod audisti? Item ex Roberto Holkot S. R. E. Card. eumdem locum citauit lect. 127. in librum Sapientiæ, his verbis: De ista fuga loquitur Augustinus de cohabitatione clericorum & mulierum: Grauem, inquit, inimicum sortita est castitas, cui non solùm resistendum est: sed dimisso freno longiùs fugiendum. Nec eo minùs cauendæ sunt, quia religiosæ dicuntur: quia quantò religiosiores, tantò citiùs alliciunt, & sub prętextu pietatis latet viscus libidinis. Experto crede: dicit Augustinus episcopus: Loquor coram Deo, non mentior. Cedros Libani, duces gregum sub hac peste cecidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quàm Ambrosij, vel Hieronymi. Hæc Augustinus.] Ita ibidem Holkot. Eadem verba citat Thomas Hibernicus in Floribus Doctorum verbo mulier, ex eodem Augustini libro

libro de cohabitatione clericorum & mulierum, nisi quod pro cauendæ, legit, fugiendæ, &, pro dicuntur, habet videntur. Post experto crede, legit: expertus loquor, coram Deo non mentior. Et in fine: quàm Ambrosij vel Hieronymi impudica turpitudine. Item S. Thomas, seu quisquis auctor opusc. 64. quod inscribitur: De modo confitendi, & de puritate conscientiæ *cap. 22. sed absque citatione alicuius libri Augustini, & legit: Crede mihi episcopus sum, episcopo loquor, non mentior. Cedros* Libani.*j. contemplationis altissimæ homines, & gregum arietes, id est, magnos prælatos ecclesiæ sub hac specie corruisse reperi. Excusum est opusc. illud minori charactere in operibus S. Thomæ, quo significatur ipsius non esse. Vocari solet confessionale S. Thomæ. Quod opusculum esse sancti Bonauenturæ scribit Ioannes Gerson in fine tractatus de pollutione diurna par. 2. In eo verba citata habentur cap. 14. vbi legitur: Crede mihi episcopus sum, in Christo loquor, sicut & in antiqua editione opusc. Sancti Thomæ: Crede mihi, episcopus sum,* Xp̄o *loquor. Ex quo alius fecit,* Ep̄o *loquor, vt sæpe posteriores editiones deprauatiores sunt, quàm priores. Idem confessionale titulo S. Thomæ excusum est cum tractatu Nicolai de Plouue, vbi legitur: Crede mihi expertus sum, in Christo loquor, non mentior. In Cantipratano videtur vtrumque iunctum esse, dum dicitur: Crede mihi vt episcopus loquor, & expertus. Ceterũ confessionale, quod extat in operibus S. Bonauenturæ to. 7. p. 3. editionis Romanæ ex typographia Vaticana anno 1596. quàm postea Germani sunt secuti, longè ab hoc diuersum est, & multò prolixius. Hoc autem opusc.*

quod Gerson ei tribuit, ponitur in appendice to. 1.
Est aliud Sancti Bonauenturæ opusc. excusum
Parisijs anno 1513. post sex libros Humberti de
eruditione religiosorum in 8. cuius hic est titulus:
Ordinarium vitæ religiosæ editum à S. Bonauen-
tura Cardinali de ordine fratrum Minorum. In
eodem opusculo titulo de claustro, eadem ex Au-
gustino citantur his verbis: Nec tamen quia san-
ctæ sunt, minus cauendæ sunt. Quo enim sanctiores
sunt, magis alliciunt, vt ait Augustinus. Et se-
quitur: Crede mihi, inquit, episcopus sum non men-
tior, in Christo loquor, cedros Libani, & grandes
abietes sub hac specie reperi corruisse, de quibus non
minùs præsumebam, quàm de Gregorio & Ambro-
sio. Hactenus Bonauentura. Vbi lectio illa, gran-
des abietes videtur melior, sed pro Gregorio, legen-
dum Hieronymo. Porrò nullus iam extat eo titulo
Augustini liber, quo à Roberto Holkot & Thoma
Hibernico citatur.

p. 50. Absit itaque ab vlla Christiana mente, li-
citum & sine crimine credendum osculum, dum
veridicus Augustinus in regula sua etiam fixum
oculum tanta pœna censuit vindicandum.) *Non*
est existimandum omne osculum esse peccatum, vt
illud imprimis quod parentibus & cognatis in be-
neuolentiæ argumentum impenditur, vel etiam ex
honesta patriæ consuetudine quibusuis extraneis.
De hac re Caietanus in summula: Osculum, inquit, Verbo Osculum.
beneuolentiæ, bonum ac laudabile est, iuxta mo-
rem patriæ, inter quascumque personas sit. Oscu-
lum verò libidinis, nisi inter coniuges, est pecca-
tum mortale. Sic ille. Idem docent conscientiæ Do-
ctores communiter omnes. Nec etiam si fiat dele-

ctatio-

ctationis sensibilis causa, quæ inter osculandum sentitur, si nihil intendatur aliud, mortale existimo, contra Nauarrum enchir. c. 16. n. 10. & eumdem Caietan. in sum. verbo impudicitia, & super Thomam 2. 2. q. 154. ar. 4. vbi latè de hoc disserit: sed ipsius fundamentum, hoc videlicet: Oscula, tactus, & amplexus, quatenus sunt delectabilia quædam secundum sensum tactus, sunt secundum suam naturam actus circumstantes concubitum, verum esse non videtur, cùm possint hæc fieri subsistendo in illa delectatione (si qua ibi sit) nec vlterius cogitando. Loquitur autem de tactibus non ex se impudicis. Neque certè id Thomas ibid. docet, sed hoc solùm: Oscula tactus & amplexus esse peccata mortalia, cùm fiunt ex consensu in delectationem peccati mortalis, videlicet illiciti concubitus: & sic solùm, inquit, libidinosa dicuntur. De hisce osculis, intelligēdus auctor noster, quando ait: Sine crimine non esse osculū, & Aug. in reg. de fixo oculo. Et loquitur auctor de osculis religiosarum, in quibus vix potest vlla necessitas, vtilitas, aut causa rationabilis ea excusare. Rectè etiam vniuersaliter admonet Molanus in compendio Theologiæ pract. tract. 2. c. 17. Oscula quidem & tactus ex specie sua peccata non sunt: quæ etsi impudicè non fierent, humanæ tamen infirmitati esset consultius ijs non vti nisi vel necessitate cogente, vel vtilitate, aut rationabili causa inuitante.

p. 51. Si ille vel alius presbyter violentiam tibi in osculis, vel contrectationibus facere voluerit, contracto pugnō, validè oculum, si potes, excutias contrectanti &c.) *Id dictum videbitur fortè cuipiam vehementius, & quidem in rebus omnibus*

*cretia adhibenda, verissimum tamen est, intelle-
ctum cum moderamine inculpatæ tutelæ, id est si a-
liter iniuriam nequeas euadere, quomodo intelle-
xisse auctorem declarant verba sequentia:* Nec in
hoc vlli ordini parcas: quia castitatem tueri licet
verbere, sicut corporis vitam. *Id enim hoc pacto
licitum est, etiamsi inuadentis mors subsequatur.
Idem autem licere pro tuenda castitate, conformi-
ter docent omnes, cùm hæc rebus externis potior sit,
proquibus tamen tuendis idem licere docent mul-
ti, quos videre est citatos apud Nauarrum enchir.
cap. 15. n. 2. Quo iam constituto, constat ex tali
percussione clerici, facto videlicet ad libidinem
sollicitantis, nullam incurri excommunicationem,
cùm numquam incurratur absque mortali pecca-*
enchir. c. 27. n. 85. *to. Vnde & nominatim hanc ponit num. 23. Na-
uarrus exceptionem à canone, Si quis suadente dia-
bolo. 17. q. 4.*

p. 52. Et in domo hospitali apud Pruuinum humi-
lis soror effecta) *Ita legunt ms. b. c. & tert. impr.
ms. s. Prouinũ, Gal. Prouins. Cetera vitiosè vt ms.
p. Prauinum, 1. impr. Patauum. duo impr. Patra-
uum. At Pruuinum legit Surius in vita S. Theo-
baldi die vltima Iunij. Inter alia commendat hoc
hospitale Iacobus de Vitriaco hist. Occident. c. 29.
vbi mendosè legitur: Pruuni in Campania, pro
Pruuini.*

p. 53. *De similibus monstris marinis speciem hu-
manam præferentibus agit Petrus Messias in suis
varijs lectionibus parte 1. cap. 21. & Ludouicus
Guicciardinus in descriptione Belgij, agens de
Harlemensi oppido.*

Ibidem. Caput ita signatum habebat, ac si super
fron-

frontem corona in modum vitis, quod fiscellam dicimus, insigniretur.) *Fiscella vox bene Latina est (ideo inter exoticas voces non reposui) ab optimis Latinæ linguæ auctoribus vsurpata, Virgilio, Tibullo, Catone, Columella, Plinio, & alijs. Item à S. Hieronymo præfatione 2. in Iob, quæ incipit: Si aut fiscellam iunco texerem, aut palmarum folia complicarem. Et in epistola ad Rusticum monachum: Fiscellam texe iunco. Ad quem locum sic habent Erasmi scholia; Fiscella sportula est rusticana, qua recentem caseum, aut arborum fructus, aut simile quidpiam portabant. Diminutiuum à fiscina. Virgilius: Viridi fiscellam texit hibisco. Et rursum: Et rubea texatur fiscina virga. Sic ibi. Glossarium Isidori: Fiscella, forma vbi casei exprimuntur. Ita & alij eius significationem huc pertinentem exponunt, vt Ambrosius Calepinus, & Nomenclator Adriani Iunij. ms. s. vt in margine notaui, firtillam legit, quam vocem in nullo dictionario inuenio.*

p. 54. Azotij qui interpretantur incendentes.) *Azotus, Hebr. Asdod, id est, depredatio, vel ignis dilecti. Vitiosè legunt hîc ms. p. incedentes, & duo imp. intendentes.*

Ibidem. Si cæca regione polluta, &c.) *ms. p. si citra regionem pollutam. ms. s. si circa regionem polluta. Duo imp. si certa regione polluta. ms. b. c. si cc. regione polluta. Verisimilior ea visa est lectio, quæ est tert. impr. ideóque retenta. Sermo est de præpostera libidine.*

Ibidem. Testor Deum, spem communem omnium bonorum.) *Imitatur Seuerum Sulpicium in fine vitæ S. Martini: Iesum testor, spemq́ue communem,*

Cuius

Cuius rei hoc manifestum est vestigium, quod quatuor præstantiora exemplaria, ms. p. s. & duo antiquiora impressa legant (spem quoque.)

IN CAP. XXXI.

Parte I. Inde est, quòd Spiritus sanctus in libro Sapientiæ admiratur, dicens: O quàm pulchra est casta generatio cum caritate.) *Restitui, (in libro Sapientiæ) pro eo quod habebant omnia exemplaria (in Canticis) & quod habet caritate, sacra biblia legunt claritate. Ex sequentibus tamen constat auctorem nostrum scripsisse caritate (quomodo tunc, vt apparet, legebatur in biblijs.) Quam lectionem ne quis putet omnino reijciendam, sciat Græcè haberi sine exclamatione, Κρείσσων ἀτεκνία μετὰ ἀρετῆς, id est, melior est sterilitas cum virtute. Caritas autem regina virtutum est. Certè Hildefonsus serm. 1. de Assumptione beatæ Mariæ, item Bernardus epist. 42. ita citat: O quàm pulchra est casta generatio cum charitate. Et ne quis putet errorem esse typographi, sequentia omnino declarant sic eum legisse. Eodem modo legit Bernardo coætaneus Petrus Blesensis epist. 36. ad quem locum ita annotauit Ioannes Busæus Societatis Iesu: Codices Latini nunc legunt cum claritate conuenienter Græcis, Blesensis, vt plerique alij, secutus fuerit codices sui temporis. Sic ille. Item caritate legit Ioannes de Tambaco in consolatorio Theologico lib. 6. c. 3. Et quidem ἀρετὴ licet propriè virtutem significet, interdum tamen etiam excellentiam & præstantiam in omni re, item gloriam. Vnde in libro de Singularitate clericorum*

rum apud Cyprianum, quem quidam Origenis esse arbitrãtur, sic legitur: Melius est esse sine filijs cum claritate. Sed fortè in Græco pro ἀρετῆς lectum fuit ἀγάπης. Sanè præter hos patres antiquum Antiphonarium in membrana ms. quod vidi ex Gallia allatum in officio de communi virginum in prima antiphona legit cum caritate, sicut & Breuiarium Cluniacense, Attrebatense, & ms. celebris abbatię S. Vedasti Atrebatensis, ordinis sancti Benedicti. Ad hæc ita legunt Concordantiæ bibliorum tempore Cantipratani compositæ, verbo Charitas. Vnde certum videtur quod sic biblia legerint.

Ibidem. O sponsa Christi, pulchra inter mulieres, hoc est virtutes, dealbata ascendens.) *Sic correctiora exemplaria, ms. p. s. duo imp. Cetera, hoc est virtute dealbata. Originale Augustini neutrum habet, sed sic legit: O sponsa Christi, pulchra inter mulieres, ô dealbata ascendens, &c.*

p. 3. Magister Ioannes de Niuella.) *Hunc Molanus in Nat. SS. Belgij die 25. Iunij scribit fuisse doctorem S. Theologiæ, & plurimis virtutibus & miraculis effulsisse.*

IN CAP. XXXII.

Parte 1. Nox in sacra pagina pro ignorantia ponitur.) *Vt 1. Thess. 5. Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet, id est, quando ignorãtur, & minimè putatur.*

p. 4. Si cum intentione oras, loqueris cum Deo, & exaudiris à Deo. Si verò sine intentione oras, oratio quidem propriè dici non potest, sed tamen labor

labor tuus præmiabitur, & non frustrabitur fructu suo.) *Oratio, quæ actus religionis est, ex proposito sine attentione siue intentione, vt auctor loquitur, facta, peccatum est, cùm sit contra debitam Deo reuerentiam, & qui sic orat, quasi tentare Deum videatur. Si verò desit actualis attẽtio, non propterea fructu omni priuabitur: & hoc est, quod velle videtur auctor, vt per intentionem intelligat actualem attentionem. Quatenus autem requiratur attentio in oratione, videatur Thomas 2.2. q. 83. ar. 13. Siluester v. hora n. 13. & v. oratio n. 6. & alij.*

p. 5. *Simile habetur miraculum ei quod hac parte narrat de B. Lutgarde moniali Aquiriæ, in vita ipsius l. 1. c. 5. per auctorem conscripta, quæ eleuabatur ad duos cubitos in die pentecostes, ad hymnum: Veni creator.*

IN CAP. XXXIII.

Licet positæ sint sub rege, tamen liberæ sunt.) *Ita, vt in margine notaui, restitui ex originali, hoc est ex libro auctoris de natura rerum, & Ambros. Et quamuis nunc omnia exemplaria pro (rege) legant (lege) constat tamen in ms. p. primò scriptum fuisse sub rege, quam lectionem videntur requirere ea, quæ toto ferè cap. & in ipsa conclusione dicuntur.*

p. 1. Et quid magna regna, nisi magna latrocinia.) *Integra Augustini sententia est: Remota itaque iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? Locus est lib. 4. de ciuit. Dei c. 4. vbi & illud habetur, quod parte sequente refertur,*

apu

apud Ciceronem lib. 3. de Republica.
p. 5. Nec pauperes abijcit phil. nec diuites eligit.) *ms. p. 5. nec renuit quemquam philosophia, nec † eligit, conformiter orig. quod habet: Nec reijcit quempiam, &c.* ms. s. eligit.

IN CAP. XXXIV.

Parte 1. Sicut liber Paralipomenon testatur, &c.) *Loco Regum substitui Paralipomenon, quia historia illa de occisione Zachariæ non habetur in libris Regum: nec solet confundi appellatio librorum Paralipomenon cum libris Regum, quamuis etiam in ijs tractetur de Regibus. Item restitui septennem, cùm legeretur (octennem) quia expressè habet scriptura: Septem annorum erat Ioas cùm regnare cœpisset. 4. Reg. 11. v. vltimo, & 2. Paral. 24. v. 1. idemq; expressè colligitur ex c. 22. & 23. eiusdem libri Paralip. Inhæsit auctoris memoriæ, quod de Iosia dicitur: Octo annorum erat Iosias cùm regnare cœpisset. 4. Regum 22. & 2. Paralipomenon 34.*
p. 4. In signum huius Dominus Iesus, cùm factus esset annorum duodecim, inuentus est in medio Doctorum, non docens, sed audiens & interrogans eos.) *Conformis est hæc doctrina S. Gregorio parte 3. Curæ pastoralis admonitione 26. qui citato eodem scripturæ loco, subdit: Vigilanti itaque consideratione pensandum est, quòd cùm Iesus annorum duodecim dicitur, in medio Doctorum sedens, non docens, sed interrogans inuenitur. Quo exemplo scilicet ostenditur ne infirmus docere quis audeat, si ille puer doceri interrogando voluit,* qui

qui per diuinitatis potentiam verbum scientiæ ipsis suis doctoribus ministrauit. Sic ille. Eadem habens homil. 2. in Ezechielem. Ante eum idem notauit Origenes, & inter recentiores Franciscus Lucas, Ioannes Maldonatus, Franciscus Toletus, & Ioannes Mariana in scholijs ad locum Lucæ 2. & Sebastianus Barradius to. 1. in Concordiam & hist. Euangelicam l. 10. c. 14. respondens ad id quod obijcitur, inuentus fuisse sedens in medio doctorum: Respondemus, inquit, sedisse quidem in medio doctorum, id est, inter doctores, sed humi vt discipulum, qui omnium erat doctorum doctor. Quod notent pictores, qui hodie pingunt eum in cathedra docentem, quod longè abfuit ab humilitate Christi, & huiusmodi imagines aduersari videntur sanctæ Synodo Tridentinæ, quæ statuit sess. 25. nemini licere vllo in loco, vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, vllam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab episcopo approbata fuerit.

IN CAP. XXXV.

Parte 1. Audi quid dixerit Iosaphat rex Iuda.) *Restitui Iuda, pro Israël. Nam tunc temporis distincta erant hæc regna.*

p. 2. Petrus Messias in suis varijs lectionibus p
3. cap. 21. recenset quatuor exempla eorum, qu
ad Dei iudicium prouocauerunt cum effectu conse
cuto ad diem præfixum. Totidem recenset Ioan
nes Cognatus lib. 4. hist. Tornacensis Gallico se
mone conscriptæ, quorum vnum Tileti in Fla
dria contigit anno 1402. Alterum de Ferdinan

I

IV. rege Castiliæ, quod etiam habet Petrus Messias: omnia autē diuersa sunt ab eo, quod hac parte describitur factum in abbate S. Iacobi ord. S. Benedicti in insula Mosæ fluminis intra muros vrbis Leodiensis, de cuius fundatione & origine Miræus in chro. ord. S. Benedicti pag. 249.

p. 6. *Simile ei quod hîc refertur, si non idem, recitat Cæsarius l. 9. dial. c. 39. qui scripsit opus illud anno 1222. & ante biennium contigisse ait quàm ista scriberet. Comitem autem seu nobilem cui contigit vocat Erkenbaldum de Burban. In eo tantùm est discrepantia, quòd Cantipratanus refert de filio proprio; iste de filio sororis, & pro abbate, ponit episcopum. Cæsario in relatione penè consentit ad verbum inscriptio sub tabula rem gestam exprimente à Rogerio vander Weyden celeberrimo pictore in ædibus Senatorijs Bruxellæ olim depicta, quæ solet externis conspicienda monstrari. Ex hac descripsit Autbertus Miræus perquam insignis ac doctus Cathedralis ecclesiæ Antuerpiensis decanus & canonicus, & ad me transmitti curauit, adijciens se quoque vidisse Louanij ad Diui Petri eandem historiam efformatam in amplo tapete circa ædiculam V. Sacramenti suspendi solito Inscriptionis verba sic habent:*

Herkinbaldus vir magnificus, perpotens, & illustris, in iudicio personas non acceptans, causam pauperis vt potentis, agnati tanquam ignoti semper æqua lance iudicauit. Hic dum grauiter infirmus lecto decumberet, in proxima camera tumultum rigidum, clamorésque femineos exaudit. Cui quidnam esset sciscitanti, ab omnibus celata est veritas. Sed tandem quidam ex pueris vt verita-

tem

tem panderet, sub oculorum euulsione commonitus, pauens asseruit: Respondebo, domine, filius sororis vestræ, quem omnes post vos primum timent, colunt, & venerantur, puellam oppressit, & hæc fuit causa clamoris. Quo audito & re plenè cognita, Senior suum nepotem carissimum suspendi mandauit. Quod Senescallus, cui id iussum fuerat, se facturum simulans, egressus, iuueni nunciauit, admonens eum, vt ad tempus lateret. Post horas autem aliquot Senescallus ad infirmum rediens, se impleuisse quod iusserat mentitus est. Quinto verò die iuuenis æstimans auunculum de culpa immemorem, aperto ostio cameræ introspexit. Quem vt infirmus vidit, blandis verbis aduocans ad lectum reclinare permisit. Herkinbaldus itaque arrepta capillorum cæsarie sui consanguinei caput leua manu retorquens, & dextera cultellum gutturi eius validè infigens, zelo iustitiæ occidit eumdem. Sanè dum morbum Herkinbaldus letiferum esse persensit, vocatur episcopus, qui postquam cum Sacramentis aduenisset, infirmus cum lacrymis multis & magna cordis contritione omnia peccata sua nudè confessus est, tacita dumtaxat morte, quam paucis antè diebus suo cognato intulerat. Super quo episcopus eum redarguens, dixit: Quare celas homicidium, quo nepotem manu tua peremptum vita carere fecisti? Ad quod infirmus respondens, ait: Neque ego hoc peccatum esse iudico, neque id mihi à Deo remitti deposco. Cui episcopus: Confitere crimen, & Deus miserebitur tui; alioquin ab edulio corporis Christi te conuenit abstinere. At illi vir nobilis dixit: Attestor Deum, quòd nepotem mihi charissimum non liuor, non odiu

odium, sed iustitiæ zelus traxit ad mortem: & si ob id viaticum mihi negaueris, spero saltem spiritualiter communicare. Quo audito & languente non sacramentabiliter refecto, episcopus recedebat. Cui mox reuocato dixit infirmus: Si in capsella sit sacramentum corporis Christi, perquire. Et dum aperta pixide non appareret, subiungit ægrotus: Ecce quem mihi abnuens tecum portasti, non se mihi denegauit. Et illico apertis dentibus hostia in ore illius palam omnibus demonstratur. Quod, vt vidit episcopus, magnificans Deum, tantum miraculum, quod diuina dispensatione ob meritū iustitiæ factum non ambigitur, ad aures Christifidelium peruigili cura deduxit. Eamdem historiam breuiter attingit Fulgosius lib. 1. cap. 6. qui tamen fallitur dum Erchembaldum vocat Brabantiæ ducem, cùm nullus fuerit illius nominis Brabantiæ dux. Neque id satis cum eo congruit, quod dicat in Germania contigisse, quæ solet superior intelligi, dum vox illa solitariè ponitur. Lapsus ex eo videtur prouenisse, quod Cæsarius appellet Erkembaldum de Burban.

IN CAP. XXXVI.

Parte 1. Quoniam quicumque Domino placuerunt, ei placuerunt aut per vitæ innocentiam ante lapsum, &c.) *Mirum in modum hîc omnia exemplaria variabant. Posuimus eam, quam habebat ms. b. & tert. impr. excepto tertio membro, quod sic efferebatur: Aut per vitæ puritatem sine lapsu. Cuius loco substituimus lectionem aliorum exemplarium, quorum quædam duo solùm habent*

membra, vt ms. p. hoc modo: *Quoniam quicum-
que Domino placuerunt, aut per vitæ perfectionem
post lapsum, aut certè ad vitæ puritatem per pœni-
tentiam redierunt. Sic & ms. s. sed primam
partem omissam in ms. p. rectè addit, nimirum:
Aut per vitæ innocentiam ante lapsum. His con-
formiter duo priora impressa, nisi quòd ordinem in-
uertãt. Quoniam quicumque Domino placuerunt,
aut per vitę perfectionem post lapsum, aut per vitæ
innocentiam ante lapsum, aut certè ad vitæ puri-
tatem post lapsum redierunt. ms. c. vitiosè legit con-
fectionem, pro perfectionem, vti ms. b. & tertium
imp. per vitæ puritatem sine lapsu, quia tales nul-
li homines sunt. Et ne quis existimet in his tribus
membris idem bis dici, nouerit aliud, & quidem
amplius esse, peruenire ad vitæ perfectionem (qua-
lis tamen haberi in hac vita potest) quàm ad vitæ
puritatem: quod ipsa auctoris loquendi forma in-
dicat, dum postremo loco adycit: Aut certè ad vi-
tæ puritatem per pœnitentiam redierunt.*

p. 2. Vbi vxorem fabri tenentem puerum super
genua inueniens, cum paruulo, cui numquam si-
milem viderat, iocari cœpit.) *Ita ms. b. c. & tert.
imp. Reliqua eodem prorsus sensu: Vbi vxorem
fabri cum puero super genua miratus inueniens,
cum paruulo, cui numquam similem (vel vt ms. p.
s. simile) viderat, iocabatur. In qua lectione fortè
legendum (iuuenis) pro (inueniens.)*

p. 4. Manè in Hanswick ad oratorium gloriosæ
Virginis extra opidum deportatur.) *Locus hic
propè portam Louaniensem, id est, qua Mechli-
nia itur Louanium in hodiernum vsque diem mi-
raculis illustratur. Referam vnum quod anno pre-
cedenti*

cedenti 1626. feria 2. pentecostes ipsis Calendis Junij contigit. Mulier fuit multis corporis defectibus obnoxia. Numquam stare, nec sedere potuit, quin potiùs serpebat per terram, hæc tunc illico videntibus omnibus pristinæ sanitati restituta est. Hæc magister Ioannes Vermeere S. Theologiæ Baccal. formatus, pastor in Moerseke iuxta Teneramondam in litteris ad me datis 16. Junij anni iam dicti.

IN CAP. XXXVII.

Parte 2. De tertio dicit Ambrosius: Pasce fame morientem, quod si non paueris, occidisti.) *Id Gratianus dist. 86. c. 21. Pasce, citat ex officijs B. Ambrosij. Verùm ad eum locum in nouo corpore Canonico, edito per Gregorium XIII. annotata sunt hæc verba: Caput hoc non est inuentum apud B. Ambrosium: sed apud Anselmum, & in Polycarpo ex eodē citatur, & Bartholomæus Vrbinas eremita in milleloquio, quod collegit ex dictis B. Ambrosij, affert hunc locum ex eodem Ambrosio in libro de alendis pauperibus, qui liber hactenus desideratur. Sic ibi. Citat etiam ex Ambrosio Thomas 2. 2. q. 32. art. 5. & q. 168. art. 3. ad 3.*

IN CAP. XXXVIII.

Parte 2. Nobilem Philippum militem de Mommiral vitæ perfectissimæ virum.) *Eiusdem meminit lib. 1. cap. 1. par. 4. vbi nobilem & sanctum virum appellat.*

IN CAP. XXXIX.

Nullæ inter opera ſpurcitiæ iacent.) *Sic in hac tertia editione reſtitui ex vtroque exemplari libri auctoris de natura rerum, cùm antea legeretur: Nulla opera ſpurcitiæ latent.*

p. 2. B. Albertus Leodienſis Epiſcopus, de cuius morte & exequijs hac parte ſit mentio, in ordine epiſcoporum, qui Leodij reſederunt eſt 34. alioqui totius ſedis à principio 63. De eo Ioannes Molanus in Natal. & Romanum martyrologium 21. Nouembris, & ibidem in notis Baronius. Eſt autem pro iuſtitia, Henrici VI. iuſſu, necatus hic martyr anno 1192. vt conſtat ex Auctario Aquicinctenſi ad chro. Sigeberti, & ex Vincent. in Speculo hiſt. lib. 29. c. 51. & chron. Antonini p. 2. tit. 17. cap. 9. §. 25. Quæ idcirco annoto, vt conſtet de tempore, quo hoc tam memorabile exemplum, quod hic refertur, contigit.

Cùm venerabilis Rotardus.) *Sic ms. p. ſimiliter ms. s. Rothardus. Duo imp. & ms. b. c. Richardus, ſed ms. b. c. non aſpirat. Tert. imp. Henricus. Illum eſſe putarē, qui in catalogo Cathalan. Epiſcoporum Democharis, ſexageſimus numero, vocatur Rotrodus, niſi hunc, quem Retrochum appellat Vincent. lib. citato c. 68. negligenter diceret functum munere ſacerdotis. Verum eumdem eſſe confirmat Claudius Robertus in ſua Gallia Chriſtiana in catalogo eius ſedis epiſcoporum.*

IN

IN CAP. XL.

Parte 2. Opidum Duacenſe amplum & magnum eſt,inter Cameracum à dextris viæ & Atrebatum nobiliſſimas ciuitates.) *Is eſt ſitus opidi & Vniuerſitatis Duacenæ venientibus Cameraco,vbi degebat auctor noſter, & ex quo loco venit ad ſpectaculum huius admirandi miraculi, cuius hodie apud nos Duaci habitantes eſt celeberrima memoria, quæ & quotannis renouatur ſolemni celebritate feria tertia paſchæ: & in proceſſione ſtatis diebus defertur capſula argentea, in qua hoſtia illa fuit repoſita. Contigit autẽ miraculum hoc anno 1254. vt patet ex tabella dependente ad ſacellum parochiale Collegiatæ eccleſiæ S. Amati, in quo eadem hiſtoria depicta eſt,& exſculpta, & ex hiſtoria ſcripta in feneſtra vitrea ad latus chori Aquilonare.*

Ibidem. Exterminatamq́ue ſub rictu iocundiſſimi oris.)*Sic ms. b. c. cum tert. imp. cui conſentiunt duo reliqua impr. quæ legunt hoc ordine, quem etiam ſeruant alia ms. Sub rictu exterminatam iocundiſſimi oris, ſed ms. p. vitioſè habet exterminatum,ms. s. extremitatum,quæ fortè vera lectio eſt: quomodo etiam legit Ioannes Gillemans in vita auctoris.*

p. 3. Sacerdos quidam de Dacia, Iohannes nomine, de villa, quæ dicitur Sclauelos, vt fratris Daci &c.) *Ita ms. s. At ms. b. c. tria imp. ſolùm habent: Sacerdos quidam de Dacia Andreas nomine,vt fratris Daci. Sed in ms. p. hæ duæ voces (Andreas nomine)recentiori calamo ſuperadditæ ſunt.*

sunt. ms. b. & c. cum tert. imp. etiam legunt Da-
cij, vti & ms. s. Porrò simile prorsus exemplum
refert Cæsarius lib. 10. c. 2. & ex eo Speculum ex-
emplor. dist. 6. exemplo 73. & Ioannes Baptista
Fulgosius lib. 1. factorum dictorúmque memorabi-
lium c. 6. de Vinando Hisdinensi sacerdote, in a-
gro Leodiensi. Aliud Pratum spirituale c. 127.
de Georgio abbate montis Sina, quod & suis anna-
libus intexuit Baronius in fine anni 546.
p. 7. Si autem laus Angelorum in patria vocalis
futura sit; quæstio magna inter Theologos venti-
latur.) Vocalem laudem in cælo futuram sentit
præter alios Thomas 2. 2. q. 13. ar. 4. in corp. sed
de hominibus loquitur. Credibile, inquit, est quòd
post resurrectionem erit in damnatis etiam vocalis
blasphemia, sicut in sanctis vocalis laus Dei, & in
Suppl. q. 82. ar. 4. in corp. & ad 4. Idem sentit
Godscalcus Hollen ser. 12. in 4. præceptū decalo-
gi, & probat triplici ratione ex Ægidio Romano
quodlibeto 6. q. vltima. Idem quoque Liranus in
Psa. 149. ad illud: Exaltationes Dei in gutture
eorum.
Ibidem. Vidi Suessionem ciuitatem in Gallia ex-
communicationi subiacuisse diutiùs, & non nisi
sub silentio diuina mysteria clericos celebrasse.)
Hoc fieri solet tempore interdicti: & ciuitas ex-
communicari non potest, sed interdici. Vnde fortè
videbitur cuipiam hic error, vel excommunicatio-
nem impropriè positam pro interdicto. Verùm id
nequaquam necesse est comminisci. Nam satis ap-
paret, eo tempore quibusdam episcopis in vsu fuis-
se, vt integras communitates excommunicarent.
Hinc illud prorsus probibet Innocentius IV. in
Con-

Concilio Lugdunensi primo, celebrato anno 1244. & habetur c. Romana, §. Vniuersitatem. de sent. excom. in sexto, quo cap. nominatim agitur de excommunicationibus Archiepiscopi Remensis, cui Suessionis ecclesia est suffraganea. In festo autem assumptionis, cuius fit hac parte mentio, & in alijs pracipuis solemnitatibus, vt tum alta voce liceret celebrare diuina tempore interdicti, postea est facta concessio à Bonifacio VIII. vt constat eodem libro & titulo, c. finali, §. In festiuitatibus.

Ibidem. Dominus Ioannes cognomento Resebas) *Varietatem lectionis in margine notaui. An autem cognomen illud acceperit à loco in quo est abbatia Rosbacensis seu Rasbacensis, quæ fundata est à S. Audoëno in suo fundo, vt est in vita S. Philiberti cap. 2. apud Surium to. 4. mihi non constat. Primus abbas Resbacensis ab Renato Choppino in libro 1. monasticôn tit. 3. num. 8. vocatur S. Agilus. Sita est abbatia in diœcesi Meldensi.*

p. 9. Gallici vulgari prouerbio vtuntur, & dicunt: Bon vin crasse larme à l'œil meine.) *Ita ms. p. à quo nō differt ms. s. nisi quod legat bons vins. Duo imp. (quod sine risu non legetur) Boins vins grase larme as oels maine. Quā facilè crediderim genuinam esse auctoris lectionem: sed scriptorem illius exemplaris ms. p. qui illud ab hinc tantummodo centum triginta circiter annos transscripsit, sermonem correxisse. Ea enim in Brabantia Gallica barbaries perdurat in vulgo ad præsentem vsque diem. Cetera tria exemplaria, videlicet ms. b. c. & tert. imp. omittunt verba Gallica, & sic legunt: Gallici prouerbio vulgari vtuntur, & dicunt: Bonum vinum pinguem lacrymam ad oculum ducit.*

IN CAP. XLI.

Parte 3. *De eadem moniali, vt omnino videtur, de qua hîc agitur, tractat auctor noster l. 3. vitæ B. Mariæ Ogniacensis c. 16. vbi scribit fuisse nobilissimam, & ordinis Cisterciensis, atque alia memorabilia de ea commemorat. Ibi tamen dicit in Lotharingiæ partibus, hîc Brabantiæ: sed in eo nulla est repugnantia, quia Lotharingia olim Brabantiam comprehendebat. Similia etiam scribit de B. Christina mirabili cap. 21. & 24. vitæ ipsius.*

IN CAP. XLII.

Parte 2. Quacumque autem hora prodideris me, consilio meo, & sincera visione carebis.) *Mira diaboli astutia, quæ sua consilia prodi vetat alijs, sciens se deprehendendum si id fieret. Sed eo ipso suspectus esse debet, quo id vetat.*

IN CAP. XLIII.

Parte 4. *De Henrico Coloniensi, de quo frequens in hoc opere mentio, agit Gerardus Lemouicensis in vitis fratrum Prædicatorum p. siue lib. 4. cap. 13. & 14. & Leander lib. 5. vbi eadem referunt, quæ hîc de eo narrantur. Anton. Senensis in chro. pag. 71. eum obijsse scribit Hierosolymis in societate B. Ludouici regis Franciæ. De eo autem, quod dicitur ordinem Prædicatorum ei reuelatum esse antequam institutus esset, idem prænunciatum*

tum alijs multis ostenditur in ijsdem vitis Prædic. p. 1. c. 2. & 3. Eumdem ordinem à B. Maria à filio impetratum c. 1. & vtrumque docet Nicolaus Ianssenius lib. 1. de vita S. Dominici cap. 7. Nominatim infrà cap. vlt. p. 56. reuelatus legitur ordo Prædicatorum B. Ioanni Theutonico Bosnensi episcopo. Alios aliquot graues auctores, qui eumdem ordinem prophetico spiritu futurum præuiderunt & prædixerunt citat Stephanus de Sampayo Lusitanus sub initium Stemmatis Prædicatorum, his verbis : D. Bernardus in sermone S. Andreæ Apostoli, Gregorius in Ezechielem, & in Lucam c. 14. Abbas Ioachim, Heremita quidam Romanus, Stephanus Prior Carthus. Miles quidam Templarius, & Sibyllarum vna omnes prędixerunt nouum ordinem Prædicatorum in mundo surrecturum. Sic ille. In vita S. Dominici per F. Theodoricum de Apoldia Dominicanum (quę est apud Surium partibus seu libris octo) lib. 1. cap. 12. hoc est summarium : De reuelationibus, quibus ordo Prædicatorius diuinitus est præmonstratus, quod caput lector adire poterit.

p. 6. *De Henrico Duce Brabantiæ, quem ms. s. exprimit fuisse eius nominis tertium, & Aleyde eius coniuge, déque veritate eorũ, quæ prædicta sunt ei, videatur Molanus in militia sacra Ducum Brabantiæ c. 61. & 62. & ad eadem c. notæ Petri Louwij viri doctissimi.*

p. 7. *Visionem calicis in somno mortem significare hac parte ostenditur. Est de ea re aliud exemplum in vita S. Aldegundis cap. 23. Extat apud Surium die 13. Nouembris. Item aliud in chron. Windesemensi Ioan. de Buscho l. 2. c. 34.*

IN CAP. XLIV.

Parte 2. *De hoc eodem B. martyre, Leander l. 2. de viris illustribus ordinis Prædicatorum, sed ferè ex Cantipratano. Quod in margine posui id contigisse anno 1242. conforme est auctori nostro lib. 3. vitæ S. Lutgardis cap. 6. vbi scribit maximam vastationem à Tartaris factam quarto anno ante obitum eiusdem S. Lutgardis, quæ obijt eodem teste anno 1246. die 16. Iunij. In Leandro legitur hic S. Hungarus obijsse M.CC.LXII. sed fortè legendum M.CC.XLII. de eadem vastatione dictum est suprà c. 2. p. 3. Ex Leandro accepit Antonius Senensis, qui eumdem Hungarum occisum narrat circa annum 1262. Fieri enim potuit, quòd pluries ijdem Tartari in Hungariam irruperint.*

IN CAP. XLV.

Parte 1. Et ideo alibi dicitur: In tempore vacuitatis, hoc est pacis; scribe iustitiam.) *Respicit ad locum Ecclesiastici 38. vbi communiter sic legitur: Sapientiam scribe in tempore vacuitatis, cùm omninò legendum sit, vt ex Græco optimè docet, in suis ad illum locum commentarijs Cornelius Iansenius: Sapientia scribæ, id est, legisdoctoris, in tempore vacuitatis, id est, in oportunitate ocij, scilicet consistit, aut comparatur. Quomodo legunt & biblia Romana à Clemente VIII. edita. Reliquimus dictionem (iustitiam) propter ea, quæ immediatè in auctore nostro præcedunt. Ei autem quod*

quod hac parte & toto hoc cap. docetur, conformè est illud Aristot. 7. Physicor. textu 20. Sedendo & quiescendo anima fit sapiens & prudens.

IN CAP. XLVI.

Parte 3. Stude, non vt plus alijs scias, sed vt melius.) *Sic restitui ex orig. cui proximè accedit ms. s. Ita enim habet omissa voce (stude) Non vt plus aliquid scias, sed quod melius. Reliqua exemplaria: Aut plus aliquid scias, sed quod melius.*

Ibidem. Sufficit ad id natura quod poscit. Quæris quod sit amplissimum vitę spatium? vsque ad sapientiam peruenire.) *Restitui (poscit) pro (possit) & (quod) pro (quid) ex or. quod pro (peruenire) habet (viuere.)*

Sequitur. Qui ad illam * peruenerit * attingit non longissimum carissime, sed maximum.) *Ita ms. p. b. c. cum tert. imp. Duo priora imp. omittunt dictionem (carissime) pro qua or. legit (finem.) ms. s. Qui ad illam peruenerit, attigit in longissimum lumen & maximum.* *2. imp. venit* *ms. p. attigit*

IN CAP. XLVII.

Parte 1. Vnde Hieremias conquestus pro populo, dixit.) *Librum Baruch citat titulo Hieremiæ, vt in margine notaui more Patrum, vt Auctor quæst. veteris & noui testamenti apud Augustinum q. 97. Ioannes Maxentius lib. 2. dialogi. Hildefonsus in libro de Virginitate S. Mariæ c. 5. Item Hieremias, inquit, in libro Baruch. Hic est*

est Deus noster, & non æstimabitur alter ad eum. Plurima alia testimonia huius rei citat Bellarminus lib. 1. de verbo Dei c.8.

p.2. Vnde in ecclesiastica historia reperitur, quòd cùm Dominus &c.) *Ms. b. c. tert. imp. addit: Siue in Tripartita. Historiam hanc habent acta martyrij Petri Alexandrini apud Baronium to. 3. anno 310. & Surium tom. 6. 25. Nouembris, & eodem die martyrologium Bedæ. Per historicos ecclesiasticos non memini esse descriptam. Nec citat Baronius aliud præter acta.*

p. 3. Quasi esse vellet iniustior iustissimus Deus illis, quibus ipse præcepit: Non misereberis in iudicio pauperis.) *Hoc quia obscurius est, in tert. imp. mutatum erat. Nam legebat (iustior) Sed legendum est (iniustior) conformiter reliquis sex exemplaribus, vt declarat antithesis, & hic est sensus. Quasi Deus, qui est iustissimus, vellet esse iniustior iudicibus, quibus præcepit &c. Nam cùm hoc eis præceperit: Non esse, videlicet, miserendum*
Exod. 23. *pauperis in iudicio, & tamen ipse misereretur, certè fore videretur iniustior. Et conuincit illa scriptura Exodi hæresim Guillelmi Cornelij, de qua agitur. Ex ea enim habetur, fieri posse, vt quis pauper sit & reus. Non igitur paupertate tollitur & consumitur omne peccatum: quod ille aiebat.*

Ibidem. Per venerabilem patrem nostrum Nicolaum Cameracensem Episcopum.) *Erat is Nicolaus de Fontanis, tertius hoc nomine illius sedis Episcopus, qui obijt anno 1275.*

IN CAP. XLVIII.

Parte 2. Ne altiori rei te imponas; in qua tibi ſtanti tremendum, aſcendenti cadendum ſit. *)Ita reſtitui ex or. Nam ms. p. s. & duo impr. in qua ſtanti eſt tremendum, deſcendenti cadendum eſt. Similiter ms. b.c. cum tertio impr. ſed pro (ſtanti) (ſtatim) legebant.*

p. 3. Cùm autem ad Auguſtinum ventum fuerit, legi Dei deeſſe creditur, quidquid eum contigerit ignorare.*)ms. p. s.(ignorari) legit omiſſo (Dei) & (eum) conformiter or. quomodo & ſuprà citatur ab auctore c. 29. p. 11. Quæ autem hîc de Auguſtino & puero cum cochleari referuntur, ea Alano Inſulenſi tribuuntur in proœmio commentarij doctrinalis alti ſeu parabolarum ipſius, vt editæ ſunt in 4. cum gloſſa & expoſitione Coloniæ apud Henricum Quentel anno ſalutis 1500.*

p. 4. Vt intus ſemper penetrari velint.) *Ms. b.c. tert. imp. præſentari. duo imp. præſentare, ſed vitioſè; melius orig. Vt altiùs ſe penetrari velint.*

IN CAP. XLIX.

Parte 2. Canonicus regularis in monaſterio de Eſſoines. *) Sic ms. p. cui ms. b.c. concordat, legens Eſſonienſi. ter. imp. Oſſonienſi, ms. s. de Eſſonies, 2. imp. de Elſoynes. Locus eſt in Gallia, ſed mihi ignotus. Neque habet eum Claudius Robèrtus in ſua Gallia Chriſtiana.*

p. 3. *Nouerit lector Torneamenta, de quibus hac parte incipit agere, à varijs Pontificibus, vt Innocentio*

nocentio II. Eugenio III. & Alexandro III. adeo esse prohibita, vt in ijs decedens, quamuis confessus & sacra communione munitus, ecclesiastica tamen careat sepultura, vt patet extra de torneamentis per totum. Est enim de ea re peculiaris titulus lib. 5. decretalium decimus tertius. Hinc verissimè asserit Guillelmus Neubrigensis l. 5. c. 4. de rebus Anglicis huiusmodi armorum exercitia tribus generalibus Concilijs, sub tribus venerabilibus Romanis pontificibus esse prohibita. Et scribit ibidem ea in Anglia demum haberi cœpisse sub rege Richardo. De ijsdem exempla sunt in Cæsario l. 12. dial. c. 16. & 17.

Ibidem. Beyardus verò equus tempore Caroli viguit, quingentis & eò amplius iam elapsis annis mortuus est, & adhuc eius fama superest.) *Hic est equus vulgò dictus, quatuor filiorum Haimonis, tempore Caroli Magni. Belg. Rosbeyaert, Gallicè rouge Bayart: & non tantùm ad tempora vsque auctoris, sed etiam nostra, de hoc equo, tam Gallicè, quàm Theutonicè extant fabulæ. Fabulas enim esse etiam puer queat intelligere. Tamen quoniam hic auctor meminit eius tanquam reuera extitisset, verisimile est aliquid de eo extitisse vnde fabula sumpserit originem: quod etiam in plerisque fabulis poëticis veritatem obtinet. De quatuor filijs* Haimonis *mentio est in notis Petri Louwij suprà citatis in earum exordio.*

p. 4. Quæ illo tempore in Hungaria, Quionia, & Polonia à Tartaris &c.) *Omnia exemplaria legunt Quionia, cùm legendum videatur Quionia, vel potiùs Kiouia, quæ est in partibus Russiæ, & eius quondam, atque etiam hodie metropolis, vt*

patet ex ſcripto Baronij in fine tom. 7. quo deſcribit Ruſſorum ſiue Ruthenorum receptionem ad communionem eccleſiæ Romanæ & ſedis Apoſtolicæ, ſaluis ritibus eccleſiæ Orientalis, quæ facta eſt anno 1595. 23. menſis Decembris: vbi perpetuò etiam ponitur Metropolites, ſiue Metropolitanus Kionienſis. Sunt qui Kiouiam cenſeant eſſe Tomim ciuitatem Mœſiæ, exilio Ouidij percelebrem. Videatur Abraham Ortelius in theſauro geographico. Sed hoc loco, Cantipratanus, non pro opido, ſed pro regione aut prouincia videtur accipere. At nouum non eſt, ab vrbe principali totam regionem ſibi nomen aſſumere.

p. 12. Ergo multò grauius eſt choreas ducere, quàm arare.) *Concludendum erat ex præmiſſis, iuxta leges dialecticas: Ergo multò magis mortale eſt feſto die choreas ducere, quàm arare. Id tamen dicere noluit auctor. Nam ſi honeſtè fiant, nec prætermittatur diuinum officium, non interuenit mortale peccatum. Nec prohibitæ ſunt in totum choreę, ſed interdum abſque omni peccato fieri poſſunt. Vide Caietanum & Silueſtrum v. chorea, & alios.*

p. 14. *Simile refert factum Traiecti ad Moſam anno 1277. Hermannus Schedel in chron. Traiectenſibus, & ex eo Bredenbachius lib. 1. Collat. ſacr. c. 58. de tripudiantibus ſuper pontem, & Euchariſtiæ honorem non exhibentibus.*

p. 19. Quis enim dubitat obſcœnis & venereis cantibus corda etiam religioſorum ac bonorum fidelium multotiens permoueri.) *Obſcœnorum carminum & librorum tam copioſam ſegetem vicina nobis Gallia ſuppeditat, vt mirum non ſit iuuentutem*

uentutem nunc esse corruptissimam. Et ex his libris, viris etiam doctis non minus periculi imminet, quàm ex hereticis. Horum permultos à propudiosis istis Veneris nepotibus procreatos, pro iniuncto mihi munere, Veneris marito consecraui. Contra hos potissimum detonat pio zelo Gabriel Putherbeus in opere de tollendis & expungendis malis libris: & Ioannes Gerson Cancellarius Parisiensis in tractatu contra Romantium de rosa, par. 4. operum ipsius. Certè quicumque horum lectioni incumbunt, in seipsis flammas libidinis excitant, & anhelitu suo prunas ardere faciunt.

Iob 41. *Ibidem.* Talibus (id est, histrionibus) dare, vt ait Augustinus, est dæmonibus sacrificare.) *Notaui ad marginem locum Augustini tract. 100. in Ioannem, vbi sic legitur: Donare res suas histrionibus vitium est immane. Quibus verbis citatur apud Gratianum dist. 86. c. 7. donare. Certum enim est Cantipratanum eò respicere. Neque enim præcisè semper ipsa Aug. verba citat, vt hoc eod. c. p. 12. vbi ait: Secundum veridicam Augustini sententiam, melius est, Dominico, vel festo die arare, quàm choreas ducere. In Augustino autem, loco in margine notato, videlicet in psalm. 91. legitur de sabbato: Melius est arare, quàm saltare. Et de Iudæis loquens tract. 3. in Ioannem, ait: Quantò melius feminæ eorum lanam facerent, quàm illo die in Neomenijs saltarent? Qui locus tanquam similis potuisset in margine apponi.*

p. 23. *Exemplum quod hoc loco refertur, iisdem quasi verbis recitatur à Gerardo Lemouicensi l. 5 de vitis Frat. Prædicatorum cap. 7. non quod e auctore nostro sumpserit (nam satis constat, quo*

hoc opus non viderit) sed vterque habuisse videtur ab eodem. His similia ne fiant, seuerè prohibetur in decreto Burchardi lib. 19. c. 5. tit. de arte magica tertiò, vbi sic legitur: Obseruasti excubias funeris, id est, interfuisti vigilijs cadauerum mortuorum, vbi Christianorum corpora ritu paganorum custodiebantur, & cantasti ibi diabolica carmina, & fecisti ibi saltationes, quas pagani diabolo docente adinuenerunt, & ibi bibisti & cachinnis ora dissoluisti, & omni pietate & affectu charitatis postposito, quasi de fraterna morte exultare visus es? Si fecisti 30. dies in pane & aqua pœniteas. Similia prohibentur libro 6. Capitulorum Caroli Magni & Ludouici Pij cap. 194.

IN CAP. I.

Parte 2. Quasi homo ignis æterni.) *Phrasis est Hebraica, quomodo dicitur in scripturis, vir mortis, id est, dignus morte, & morti iam deditus.*

p. 3. Tales fuerunt & sunt oculi prophetarum, qui ea, quæ à principio mundi erant, quæ erunt, & nunc sunt, luculentissimè contemplantes.) *Sic ms. b. c. cum tert. imp. quam lectionem ideo posuimus, quia plenior videtur. ms. p. duo alia imp. qui à principio mundi ea, quæ erunt, & sunt luculentissimè &c. ms. s. qui à principio mundi ea quæ in fine futura sunt luculentissimè &c.*

p. 4. Monialis genere & vita nobilis, Elizabeth dicta de Wans.) *De eadem agit auctor lib. 3. vitæ B. Lutgardis cap. 16. vbi eodem modo scribitur, quo hîc correctiora habent exemplaria ms. p. & s. reliqua Waris. Quiescit Aquiriæ. Eam inter*

ter beatas ac venerabiles ordinis Cistercienſis re-censet Miraus lib. 5. Originum monaſticarum c. 15. Eſt autem Wans pagus vno circiter miliari diſtans ab vrbe Leodio, vnde veriſimile eſt hanc nomen traxiſſe. Idem verò de duobus coniugatis Aruernenſibus refert Gregor. Turon. lib. de gloria Confeſſor. cap. 32. & ex eo Baronius tom. 6. anno 480.

p. 6. Et ſubitò in ictu oculi in ſingulis, meritorum vel ſtatuum differentias diſcernebat.) *Eadem gratia conceſſa legitur B. Catherinæ Senenſi lib. 3. vitæ ipſius cap. 7. & ſimile quid habetur ſuprà libro 1. c. 23. p. 2. Cæſarius item lib. 7. cap. 20. refert exemplum de virgine, quæ diſcernere poterat prædeſtinatos à reprobis.*

p. 9. Et hîc quidem illius Heſter digniſsimè recordamur, quæ ſuper omnem mundi gloriam conſtituta dixit: Quoniam omnes iuſtitiæ noſtræ quaſi pannus menſtruatæ.) *Verba iſta in libro Eſther non habentur, ſed Iſaiæ 64. Hinc autem memoriæ lapſus contigit, quia in oratione Eſther c. 14. mentio fit panni menſtruatæ. Tu (inquit Eſther) ſcis neceſſitatem meam, quod abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in die oſtentationis meæ, & deteſter illud quaſi pannum menſtruatæ. Quæ ſententia ſcribi potuiſſet loco verborum Iſaiæ, ſed nihil mutare voluimus, contenti id lectori indicaſſe.*

p. 10. *Idem refertur iiſdem prope verbis à Geraldo Lemouicenſi l. 5. de vitis Prædicatorum c. 2. & ibidem vocatur frater Nicolaus. Suſpicatus ſum aliquando eum, de quo hîc agitur, eſſe Fr. Raynerum Brugenſem, de quo ſuprà c. 10. p. 19. quem di-*

dicit tantum profecisse, vt Lector in ordine fieret. Sed solet id Cantipratanus addere quando meminit alicuius, de quo priùs locutus est. Itaque accedo sententiæ Leandri lib. 5. qui pariter Lectorem, de quo hîc agitur, Nicolàum nominat, sicut eum secutus Choquetius de sanctis Belgij ordinis Prædicatorum cap. 17. Leander autem procul dubio ex ipso Cantipratano accepit, quia cum eo in narratione etiam verbis consentit, eo excepto, quòd nomen non expresserit.

p. 11. Ad visionem ineffabilis gloriæ.) *Sic Menologium 13. Octobris refert S. Carpum martyrem cùm suspensus esset risisse. Interrogatus à iudice, quænam esset ridendi causa. Vidi, inquit, gloriam Domini mei, & risi.*

IN CAP. LI.

Parte 1. Vt sic cordis duritia, quasi hyeme fugata peccati, verna virtutis temperie gratiam capiant rediuiuæ.) *Ita ms. b. c. cum tert. imp. ms. p. vernam veritatis tempore, ms. s. verna veritatis temperie. Duo imp. priora, Verna vnitatis temperie.*

p. 4. Duos ex canibus latrantes auscultat. Quos venabulo insonante confortans.) *Putauerit quispiam venabulum hîc accipi pro cornu venatorio, cùm tamen significet baculum seu telum lato ferro, quem venatores gestant in manibus (Belgicè een iaechstock oft swynspriet; Gallicè espieu de chasse) Verùm lego venabula apud quosdam cornua habuisse hinc inde extantia, de qualibus hîc videtur esse sermo.*

p. 7. Ad illum venerabilem virum magiſtrũ Petrũ de Corboel Senonenſem archiepiſcopum.) *Hæc eſt lectio ms. p. s. duo imp. Corbuel. ms. b. c. Corbuelio, tert. imp. Corbelio. In Auctario Aquicinct. ad chron. Sigeberti anno 1199. ſic legitur: Petrus de Corboilo conſecratur Cameracenſis epiſcopus. Poſtea tranſlatus eſt anno 1201. ad ſedem archiepiſcopalem Senonẽſem. Fuit antẽ epiſcopus Cameracenſis 47. Senonenſis 72. In Demochare & Claudio Roberto vocatur Petrus de Corbolio, qui latè de eo agit in catalogo archiepiſcoporum Senonenſium. Porrò ſimilem hiſtoriam de quadam vehementer contrita accedente ad Clementem 4. refert Guido de monte Rocherij in enchiridio Paſtorum p. 2. c. 5. vbi pariter docet ob vehementiam contritionis leuiorem ſatisfactionem eſſe iniungendam.*

p. 8. Quid eis habitus ordinis valeat in vltima neceſsitate ſuſceptus.) *Quid proſit & mortuis vide Ioannem Molanum lib. de pijs teſtamentis c. 52. Item quàm vtile ſit geſtare, vel in morte indui habitu Franciſcanorum docet Henricus Sedulius in commentario ad cap. 15. vitæ S. Franciſci. Verùm hæc omnia nihil aut parum proſunt abſque bona vita. Porrò idem exemplum, quod hac parte, refertur, ſed breuiùs, in vitis fratrum Prædic. l. 5. c. 4.*

Ibidem. Sicut ſupradicto Gualtero de Meſenborch.) *Nempe c. 29. p. 29. vbi vide variam lectionem.*

Ibidem. Nec mora, in monaſterio proximo ciuitati monialis quædam vidit in ſomnis &c.) *Hoc monaſterium proximum ciuitati Magdeburgenſi vo*

si vocabatur S. Agnetis de Marouich in Theutonia, vt est in ms. exemplari in vitis Prædicatorum loco iam citato, vbi nunc impressum exemplar legit: Maderonich.

p. 11. *Hoc idem exemplum, vel prorsus simile refert S. Antoninus p. 4. Summæ Theolog. tit. 14. c. 10. §. 4. ex libro de septem donis, & p. 1. eiusdem summæ tit. 5. c. 5. §. 1. Item Petrus Reginaldetus ordinis Minorum in Speculo finalis retributionis in octaua pœna spirituali, ex libro de dono timoris, quem frequenter citat, & verisimile est eumdem esse cum libro de septem donis.*

p. 12. In hac vrbe (Niuellensi) vt pluribus adhuc viuentibus notum est, mulierum deuotarum, quæ Beghinæ dicuntur, nunc latè diffusa per orbem religiositas inchoauit.) *De maxima multitudine Beghinarum à S. Ludouico Parisijs collecta dixit auctor suprà c. 29. p. 40. à Philippo de Mommiral ad quinque millia & eò ampliùs c. 38. par. 2. Duorum millium Beghinarum Niuellensium meminit infrà c. 54. p. 10. De Beghinis scribunt Molan. in Nat. SS. Belgij die 6. Ianuarij. Miræus in chron. Cisterciensi pag. 196. ad annum 1212. valde copiosè. Locrius in chron. Belgico ad annum 1525. Ariensi, inquit, in opido congregatio Beghinarum, quæ abs anno 1261. nulli religionis voto adstrictæ, sub communi domicilio cõuixerant, arctiori vitæ genere coërcentur, curante Morinorum pontifice, atque Clemente VII. id facti missis anno 1528. litteris approbante. Earum cœnobium à Præsentatione B. Virginis nomen habet, sub B. Iosephi eiusdem Virginis sponsi patrocinio. Sic ibi. Deinde subiungit, qui de harum religione scripserunt*

pſerunt his verbis: Porrò de Beghinarum inſtituto legere qui volet, adeat Iacobum Vitriacum tract. de virginibus, quæ in Moſam ſeruandæ virginitatis cauſa anno 1212. ſeſe præcipitarunt: Thomam Cantipratanum de bis mille Beghinis Niuigellenſibus: Petri Herentalij chron. ms. Maſſæum de Ioanna & Agnete ſororibus Beghinis, Hellini Alueti nobilis viri filiabus, Ioannis Molani Natales Belgicos de beata Gertrude ab Ooſten: Ioannis Frederici Lumnij plenum hiſce de rebus commentarium, denique Autberti Miræi chronicon ad annum 1364. Hæc ille. Quibus addimus Robertum Gaguinum l. 7. hiſt. Francorum, vbi ſcribit de quadam Beghina Niuellenſi vaticinandi perita, ad quam miſit rex Franciæ Philippus ſancti Ludouici filius Petrum Baiocenſem epiſcopum, & Stephanum S. Dionyſij abbatem. Ceterum de plaga ignis ſacri Niuellæ exorta meminit Conradus à Liechtenau, abbas Vrſpergenſis in chro. ad annum 1099.

IN CAP. LII.

Parte 2. Retrograde tamen ponuntur.) *Videlicet in verſibus, quos ſubiungit. Hic eſt enim eorum ordo Iſa. 11. Spiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & ſpiritus timoris Domini.*

p. 6. Cùm venerit dies ille, qui mixtum hoc diuini humaniq́ue ſecernat, corpus hoc vbi inueni, relinquam: ipſe me Deo reddam, nec nunc ſine illo ſum, ſed graui terræ mole &c.) *Reſtitui ex or. nam exemplaria multum variabant. Lectio veriſimilior*

similior quæ ex illis haberi poterat, hæc fuisset: Cùm venerit dies ille, qui mixtim hæc diuina, humanáque secernet, tunc hic vbi fuerit inquam, ipse me mihi reddet, nec nunc tamen sine me sum, sed graui &c. quæ est lectio ms. b. c. & tert. imp. nisi quod legant (mixtum hoc) conformiter or. Ms. p. partem illam, tunc hic &c. sic legit: corpus hîc nisi fuerit inquam, ipse me &c. Duo imp antiquiora, tempus hic nisi fuerit inquam, vbi me &c. ms. s. Cùm venerit dies ille, qui mixtum hoc diuini humaniq; secernet tempus, hic vbi venerit inquam, ipse me mihi reddet &c. vt alia exemplaria. Itaque ipsa varietas satis indicat aliter scriptum ab auctore, & ex dictionum vicinitate corruptionem accidisse, sicut & frequenter alibi.

Seneca ibidem epist. videlicet 103. inter præclaras de contemptu mortis sententias & illam habet: Dies iste, quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis est, aliásque complures. Et hæc redibit ad lectorem vtilitas ex eo quod sigillatim loca huius philosophi annotauerim, quòd poterit ipsum de simili argumento latiùs differentem consulere: vt præterea quòd hac ratione plurima loca restituerim. Quæcumque autem hac par. restitui, id ex originali feci.

Ibidem. Eò maiori animo ad emendationem nostri debemus accedere, quo semel nobis tradita est perpetua boni possessio.) *Originale posteriorem partem sic legit: quo semel traditi boni perpetua possessio est.*

Ibidem. Nec ergo desinere timeo: idem est enim quod non cœpisse.) *Sic restitui ex or. ms. p. legit: id est quod est incepisse. ms. s. id enim est quod incepisse.*

 cepisse.

cepisse. ms. b. c. tria imp. id esse quod incepisse.
Ibidem in fine. Agit nos, agiturque velox dies.)
Et hanc sententiam restitui ex or. Nam omnia exemplaria legebant: Agit non agitur velox dies.

IN CAP. LIII.

Parte 1. Et vt verè credimus, Euangelistæ Ioannis.) *ms. p. s. duo imp. De hac (conditione corruptionis scilicet excipitur) vt verè credimus, & euangelista Ioannes. Non vult auctor B. Ioannem non esse mortuum, quæ multorum, sed falsa fuit opinio, concepta ex verbis Christi malè intellectis Ioannis vlt. sed vult eum resurrexisse, sicut & B. Virginem; ex quo sequitur verè mortuum fuisse. De morte eius testis est Tertullianus lib. de anima, his verbis: Obijt & Ioannes, quem in aduentum Domini remansurum frustra spes erat. Item Eusebius l. 3. histor. ecclesiast. capite 25. Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorum, & in caput 20. Mat. Augustiuus tract. vlt. in Ioannem, aliiq. complures, quos videre est in notis Baronij ad Rom. Martyrol. 27. Decembris. & in annal. tom. 2. anno 101. De resurrectione eius cum auctore sentit Thomas in 4. dist. 43. & alij quidam in eamdem dist. Item Nicephorus hist. eccles. l. 2. c. 42. vbi modum rei gestæ describit. Idem plurimos asseuerare, apud Hieronymum testatur sermo de assumptione B. Mariæ, de quo suprà ad c. 29. p. 11.*

In Supplem. q 77. a. 1.

p. 2. In vrbe Germaniæ Treuerensi, totius Europæ antiquissima ciuitate.) *De eius antiquitate testantur historici Trebetam à nouerca sua Semira-*

miramide vxore Nini regis Assyriorum exclusum à regno Babyloniæ temporibus Abrahæ, huc profugisse, eámque condidisse, & ab ab eo nomen accepisse, vt Treberis diceretur, pro quo nunc Treueris dicitur, b in v mutato, quod frequens est. Videatur inter alios Munsterus in sua Cosmographia lib. 2. vbi multa de eius antiqnitate citat testimonia. Porrò de S. Theodolpho, cuius hîc breuiter vita commemoratur, nihil inuenio præter id quod habet Molanus in additionibus ad Vsuardi martyrologium die 2. Maij, his verbis: Treueris S. Theodolpbi presbyteri & monachi. Quod videtur sumpsisse ex additione Coloniensi facta anno 1521. ad eumdem Vsuardum, vbi idem prorsus legitur adiectis hisce verbis: nepotis Karoli magni. Petrus item Cratepolius in lib. de Germaniæ episcopis & orthodoxis doctoribus: Sanctus, inquit, Theodulphus presbyter & monachus, vir pius apud Treuirenses, Caroli magni nepos. Quod si verum est, non potest vixisse sub Clodoueo rege Francorum. Nam si primum intelligas trecentis ferè annis præcedit Carolum magnum, si tertium, centum. Floruit sub Clodoueo in territorio Remensi sanctus Theodoricus presbyter, discipulus S. Remigij, de quo Martyrologium Romanum, & Vsuardi, & Surius Calendis Iulij. Et lego in citatis Molani additionibus, die primo Maij: Remis depositio S. Theodulphi presbyteri. Sed an fratres fuerint non lego, nec quo tempore hic Theodulphus vixerit. Quod si constaret, ij fortè essent, quos Cantipratanus sub Clodoueo vixisse in chronicis se reperisse asserit. Porrò eadem quæ Molanus 2. die Maij, (ista nimirum: Treueris S. Theodolphi, presbyte-

presbyteri & monachi.) habet Arnoldus Wion eodem die in martyrologio suo monastico, qui est tertius liber ligni vitæ. Idem 28. Februarij inuentionem, de qua hîc Cantipratanus commemorat, his verbis: Treueris inuentio S. Theodolphi abbatis, quando eius corpus post multos annos integrum & incorruptum repertum est: quam inuentionem, inquit, hac die celebrari refert Tritthemius de viris illust. ordinis S. Benedicti l. 3. c. 260. Et rectè. Sic enim ibid. in Tritth. legitur: Theodulphus abbas in mõte Hor, vir sanctæ conuersationis, & innocentis vitæ, multis virtutibus clarus effulsit. Huius corpus non ante multos annos repertũ integrũ & incorruptum, cum magno honore Treueris apud Prædicatores reconditum est in summo altari. Hæc inuentio celebratur pridie Calendas Martij. Ita Tritthemius. Quę optimè cum nostro Cantipratano conueniunt. Et ex dictis patet alium esse Theodulphum, de quo primo die Maij, qui Remis colitur, & alium, de quo 2. die Maij, qui Treueris honoratur.

Ibidem. De permissione verò ciuium manum eius dexteram, &c. mox abscidi, & in Louanium fratribus Prædicatoribus dedi.) *Habent eam in hodiernam vsque diem theca argentea inclusam.*

Ibidem. In antiquissimo monasterio iam dictæ ciuitatis, quod Horreum dicitur.) *Monasterium hoc Treuirense, cuius aliquoties fit mentio in martyrologijs, Dagobertus rex Francorum ex horreo suo construxit, multisq; reditibus dotauit, cui etiam filiam suam S. Irminam virginem præfecit. Obijt dictus rex anno 646.*

p. 4. *Idem quod hac parte refertur à Lemonicensi lib. 4*

lib. 4. c. vlt. ſimile in Speculo exemplorum diſt. 2. exemp. 179. ex vitis Patrum l. de Charitate n. 14.

parte 5. *Quod hîc narratur de Sancto Bartholomæo, non habeo pro authentico, cùm nec ſe dicat vidiſse, nec à fide dignis accepiſſe, nec locus nominetur aut tempus, vt in alijs. Idem refert legenda Lombardica, quæ aurea cognominatur, cuius auctor Iacobus de Voragine, Genuenſis epiſcopus, qui eodem ferè tempore cum Cantipratano floruit, ſed aliquantò poſteriùs. Veriſimile eſt deſumptum eſſe ex libro illo, quem citat hoc modo: Legitur in quodã l. de miraculis Sanctorum, quòd quidam magiſter feſtum S. Bartholomæi omni anno ſolemniter celebrabat, &c. eſt in legenda de S. Bartholomæo. Simile habet eadem legenda de S. Andrea & epiſcopo quodam: ſed hîc Apoſtolus interrogat presbyterum: ibi diabolus interrogat Apoſtolum, vtrobique in ſpecie peregrini præ foribus expectantem. Petrus de Natalibus de neutro Apoſtolorum illud habet.*

p. 6. Sanctum enim dicitur, quaſi ſanguine tinctum.) *Conſentit in deriuatione Iſidorus lib. 10. Originum littera S. dicens: Sanctus veteri conſuetudine appellatus, eò quòd hi qui purificari volebant, ſanguine hoſtiæ tangebantur, & ex hoc ſancti nomen acceperunt. Sic ille. Concordat Seruius ad illud 12. Æneidos: Qui fœdera fulmine ſancit. Sancire, inquit, propriè eſt ſanctum aliquid, id eſt, conſecratum facere, fuſo ſanguine hoſtiæ, & dictum ſanctum, quaſi ſanguine conſecratum. Ita Seruius, & paſſim dictionaria Latina. Iſidoro conſentit illud Apoſtoli ad Heb. 9. Omnia penè in ſanguine ſecundum legem mundantur: & ſine ſanguinis*

guinis effusione non fit remissio.

Ibidem. Vnde quidam Cyriacus Papa.) *Omnia mss. vitiosè legunt Cæsarius. Plerique omnes, qui B. Vrsulæ & sociarum eius historiam descripse-runt, vt Rogerius Cistercienfis, Richardus Præ-monstratensis, Mombritius, Iacobus de Voragine, Petrus in Catalogo l. 9. cap. 87. Bonfinius de re-bus Ungaricis decade 1. lib. 5. Surius tomo 5. & alij, in eam conueniunt sententiam, quòd scribant eam cum socijs Romanam peregrinationem susce-pisse, & in itinere incidisse in Hunnos, ab ijsdém-que fuisse trucidatas: idq; accidisse anno Domini 453. testatur Sigebertus in chronicis. Addunt & de quodam Romano Pontifice, Cyriaco nomine, qui easdem fuerit comitatus, cuius etiam meminit B. Antoninus par. 3. summæ suæ tit. 22. c. 4. §. 1. & ex eo Siluester v. Papa n. 3. Verùm quod de Cyriaco Papa dicitur, à doctioribus, potissimùm huius æui, meritò reijcitur. Certè in tota serie Pon-tificum Romanorum à probatis auctoribus contex-ta, Cyriacus non reperitur. Fuerunt qui ex harum virginum actis, ei inter Pontifices locum inuene-runt inter Pontianum & Anterum, alij inter An-terum & Fabianum. Sed hoc temporis ratio nullo modo patitur, & doctè confutatur à Baronio tomo 2. Annalium anno 237. Legi ego XXIII. au-ctores, qui chronologias scripserunt, & catalogos summorum Pontificum, ex quibus nullum reperi, qui eum pontificibus annumeret. Sed solummodo ex ijs, eius meminerunt, Martinus Polonus, Ioan-nes Laziardus, Wernerus à Roleuinck, Ioannes Nauclerus, Pontacus, Genebrardus, & Baro-nius: sed nemo approbat, at econtra omnes reij-ciunt.*

ciunt. De tempore martyrij cum Sigeberto satis consentit Wernerus. Ceterum, si recipiamus ea (vt magis recipienda vidētur) quæ laudat Baron. & approbat Lindanus in notis Rom. Martyr. die 21. Octobris, desumpta ex Gaufrido episcopo Asaphensi in tractatu de rebus Britannicis, passæ sunt circa annum 383. eo videlicet tempore, quo sub Gratiano Imperatore Maximus tyrannus inuasit imperium. In his nulla est mentio de peregrinatione Romana, nec de Cyriaco Papa. Eadem quæ Baronius, probat additio Coloniensis ad Vsuardum facta 1521. quæ etiam exprimit præcipuarum nomina. Sed hac in parte auctor noster excusandus, qui ea scribit, quæ vulgata erant. & passim in omnibus historijs dictarum virginum obuia. Examinent illi, qui Coloniæ versantur, num, quod insinuat Cantipratanus, lapidi insculptum reperiri possit nomen Cyriaci Papæ inter earum tumulos.

Eadem habet Baronius to. 4. annal. anno 383.

p. 7. *Præter ea quę hîc habentur, patrocinium beatę Vrsulæ illis adfore, qui eam coluerint, confirmatur ex vita B. Petri de Confluentia apud Leandrum lib. 5. de viris illust. ord. Prædic.*

p. 9. Desistamus ab opere, quia iam vesperæ compulsantur. & *infrà*. Pauperi qui non infregit diem sancto celebrem.) *Ms. p. & tert. imp. legit pauperis. Fortè hoc lectori cuipiam scrupulum mouerit, existimabitq́; illicitum esse (vt de quibusdam mihi relatum est) pridie alicuius festi, vel Dominicæ operari post inchoatas vesperas. Sciat itaque non in omnibus orbis Christiani partibus olim fuisse, neque iam esse eamdem consuetudinem in festorū obseruatione. Vnde Caiet. in summula,*

v. Fe-

v. Festum: Circa principium, inquit, & finem fe-
ctorum patria consuetudo seruetur, ita vt licet
communiter festum celebretur de vespera in vespe-
ram: si tamē ars aliqua (puta sutoria, aut tonsoria)
consueuit à media nocte in mediā noctem celebrare,
seruari potest huiusmodi cōsuetudo. Hęc ille. Idem
ante eum, & paulò clariùs Siluest. v. Dominica n.
4. his verbis: Dies festus quantùm ad cessationem
ab operibus seruilibus regulariter incipit à vespe-
ra vigiliæ, id est, sero vel vltima parte diei, seu oc-
casu solis, & terminatur in vespera sequenti, ex-
tra de ferijs, c. Omnes. & de consec. dist. 3. c. Pro-
nuntiandum. Quia ergo hac in re diuersarum re-
gionum consuetudo attendenda est (vt habet ex-
pressè Alexander III. tit. citato de Ferijs cap.
Quoniam) fieri potuit, vt in Theutonia partibus,
vbi miraculum contigit, quod hac parte refertur,
moris fuerit, festa seruare à tempore vesperarum,
vt obseruat ecclesia in diuino officio. Idem in Gal-
lia seruari solere, vt post nonam in sabbato non li-
ceret operari, vt capillos tondere, patet ex vita S.
Aichadri abbatis Gemmeticensis cap. 13. auctore
Fulberto. Exstat apud Surium tom. 5. die 15. Se-
ptembris. Idem in Germania patet ex libro de si-
gnis & miraculis B. Adalberonis cap. 4. vbi ex-
emplum refertur de muliere punita, quòd vespera
sabbati neuisset. In Belgio moris est vt seruent
à media nocte in mediam noctem, & idem ex pr[...]
scripta consuetudine passim fieri testis est Naua[...]
rus enchir. c. 13. num. 5. Aliter responderi pote[...]
per (non infregit) significari, quòd religiosè obse[...]
uauerit, per figuram quæ liptote nominatur.

p. 10. Fluxum maris secundum solitum obui[...]

sibi venire viderent.) *Ita omnia nostra exemplaria. Sed Godscalcus Hollen in suo preceptorio in explicatione primi praecepti titulo de adoratione Sanctorum, citans hoc exemplum pro (secundũ solitum) legit insolitum, & paulò post, inuocabat, numero singulari. Quo modo etiam habet ms. s. & tria imp. vt ad vnũ illum referatur, qui cum capsa reliquiarum circulum in arenâ designauit. At verisimile alios quoque in tali periculo adiutorium S. Catherinae inuocasse.*

p. 14. *Simile suprà relatum est in notis ad cap. 29. de eo qui nullam aliam, quàm in honorem B. Mariae missam celebrabat. Aliud exemplum de Presbytero semper pro defunctis celebrante ex Petro Cluniacensi refert Lauacrum conscientiae cap. 5. & ex eodem Cluniacensi Speculum exemplorum distin. 9. exemplo 185. Verùm propter paucorum priuilegia non est recedendum ab ordinatissima ecclesiae consuetudine & dispositione. Et ad sacra pro defunctis quod attinet, mihi probantur illa, quae Siluester habet in summa v. Missa, 1. num. 8. § 1. his verbis: Prodest autem defuncto tantum missa de aliquo Sancto, sicut & de mortuis, & econtrario, secundum Dir. l. 1. & Host. Sed intellige secundum Pet. de Palude quantum ad ipsum sacrificium: quantum verò ad orationem, dicit S. Thomas magis prodesse missam de Requiem: licet recompensatio fieri possit per deuotionem celebrantis, aut celebrare facientis, aut per intercessionem Sancti, cuius patrocinium imploratur in missa, id est, in cuius honorem celebratur. Unde & quidam non irrationabiliter dicunt: Nullam missam defunctis esse salubriorem, quàm propriam diei, arg. c. 2.*

de co-

de celeb. missar. & ita sensit Supplementum. Hæc Siluester. Quibus habet similia v. Suffragium, nu. 5. His conformiter scribunt Ludouicus de Beyain tract. de Casibus conscientiæ p. 1. casu 23. & Franciscus Samarinus in sacerdotali nouo p. 3. Franciscus à Victoria in summa de Sacramentis articulo 95. & alij.

p. 19. Quia ab illis audiui, qui interfuerunt diutino languori eius & morti, quòd omni die sacerdotibus Christi dorsum suum tradidit flagellandum, &c.) *Christianus Massæus in chron. mundi ad annum 954. malè hæc refert ad Otthonem primum, cùm sermo sit de Otthone quarto, vt in margine notauimus. Neque enim illis qui interfuerant languori & morti Otthonis primi loqui potuit Cantipratanus, neque Conradus Hildesemensis episcopus, de quo subiungit, interesse potuit eiusdem primi Otthonis morti, quæ contigit iuxta Baronij annales anno 973. cùm iste Conradus, vt notauimus ad c. 3. lib. 1. par. 4. post viginti quatuor episcopatus sui annos obierit 1245. hoc est ducentis sexaginta & ampliùs annis post obitum Otthonis primi.*

p. 23. Cui pia mulier non modicè miserata.) *Id est, commiserata, estq; hæc vera lectio, quæ & in vita B. Christinæ legitur: pro quo duo imp. turbata, ms. b. c. tert. imp. tribulata. Et in vita ab ipso Cantipratano scripta legitur quem, pro cui, & ea quæ hac parte continentur sunt in cap. 33. & 34. Vitam habet Surius die 23. Iunij, & de ea Arnoldus Wion lib. 3. Ligni vitæ in martyrologio suo monast. eodem die.*

p. 25. *Circa hanc partem nota ex dilatione executionis*

tionis piorum legatorum animas in purgatorio detrimentum sentire, quò minus tam citò liberentur. Hæc doctrina auctoris, conformis est cap. In litteris extra de raptoribus, quod est Alexandri III. in quo dicitur heredes incendiarij compellendos, vt iuxta facultates suas condignè satisfaciant, vt sic à peccato valeat liberari; vt est in corpore canonico iussu Gregorij XIII. correcto; vbi tamen alij legendum volunt valeant, vt ad heredes referatur. Insuper conformis est B. Thomæ quodlib. 6. ar. 13. vbi proposita quæstione: Vtrum mortuus patiatur aliquod detrimentum, si executor eius differat dare eleëmosynas, respondet cum distinctione. Quantum, inquit, ad meritum eleëmosynæ, nullum detrimentum patitur defunctus ex prædicta tarditate, maximè si quantum in ipso fuit curam adhibuit, vt huiusmodi eleëmosynæ citò darentur: quia meritum principaliter ex voluntate & intentione dependet. Sed quantum ad effectum eleëmosynæ, patitur detrimentum: non quidem, vt pro huiusmodi tarditate puniatur: sed quia remedium ei non adhibetur, dum suffragia differuntur, ex quibus plurimùm iuuaretur. Hæc Thomas. Ibidem art. 14. quæstionem huc pertinentem videat lector: Vtrum executor licitè possit differre distributionem eleëmosynarum, ad hoc, vt res defuncti meliùs vendantur in posterum. Vtramque quæstionem ferè totam transscripsit Ioannes Molanus in lib. de pijs testam. cap. 71. Videatur idem cap. sequenti 72. & epist. Dionysij Carthusiani, quæ extat tomo 2. opusc. ad executores Iuris vtriusque Doctoris Ioan. de Louanio Præpositi Xanctensis. Agnoscit in hac tar-

Similia habet in 4. d. 45. q. 2. a. 2. q. 2. ad. 4. quod relatum est in Supplem. q. 71. a. 6. ad 4

ditate mortale peccatum Siluester v. Testamen-
tum 2. n. 9. Videatur idem v. Suffragium, num. 1.
Hinc ecclesia consueuit anniuersaria, si fortè eo-
dem, quo instituta sunt die, dici non possint, præue-
nire, & nollem ego sacrum pro defunctis celebran-
dum differre. Fr. Romanus Doctor Theologiæ suc-
cessor in cathedra B. Thomæ Parisijs (vt eidem
Thomæ reuelauit) diebus 15. fuit in purgatorio de-
tentus propter negligentiam, quam commiserat
circa expeditionem cuiusdam testamenti, quam ei
commiserat episcopus Parisiensis quàm citissimè
exequendam, quam tamen expedire tardauerat.
Refert hoc, præter alios, S. Antoninus in chron. ti-
tulo 23. c. 7. §. 7. De eadem re plura exempla, cui
libet, videat in Vitis Prædicatorum sæpe citatis p.
5. c. 7. Eamdem dilationem grauiter culpat Ger-
son p. 4. in tractatu cui titulus: Querela defun-
ctorum.

p. 26. & 27. *De restitutione & debitorum solutio-*
ne videatur Molanus l. citato de pijs testamentis
cap. 53. & 54. vbi docet testanti curam esse debe-
re de debitis & restitutioni obnoxijs persoluendis,
& ne alijs aliquid sua negligentia pereat. Non est
tamen existimandum semper defunctum in purga-
torio detineri, donec restitutio iniustè ablatorum
fiat, multóque minus donec debita eiusdem soluan-
tur: quia potest fieri, vt sufficienter de his facien-
dis cauerit, & de sua negligentia ex animo pæni-
tuerit. Videatur Dominicus Soto in 4. dist. 45.
q. 2. ar. 3. Nauarrus in enchiridio confes. c. 17. nu.
08. Alphonsus Vinaldus, p. 1. Candelabri aurei
tit. de satisfactione num. 12. & tit. de purgatorio
num. 16. Bellarminus lib. 2. de purgatorio capite
16. &

16. & alij scholastici Doctores.

p. 31. In cuius missa, quam celebrabit primam, ab his pœnis ad requiem euolabo.) *Quod hac p. scribitur confirmationem habet ex eo, quod habet Miræus in testimonijs virorum illustrium de V. Ioanne Rusbrochio, nimirum, quòd ipso die, quo primam missam celebrauit, mater sua nuper defuncta ipsi apparuerit, & quod à purgatorio tunc liberata fuerit eidem significauit. Idem habetur in Relatione de sanctitate ac miraculis eiusdem Rusbrochij ad Gregorium XV. pro impetranda ipsius beatificationis à sede Apostolica declaratione art. 3. tribus citatis in margine auctoribus, qui idipsum testantur.*

p. 32. Veni in montem quem Nigrum vocant.) *Situs est ad partem Septemtrionalem Antiochenæ ciuitatis, fontibus & riuis totus irriguus: vnde mons Neros dicitur, quod Græcè humidum sonat. Sed vulgus Gallorum neros, noire, quod eis nigrum significat, exposuit. Vide Iacob. Vitriac. hist. Ori. c. 32. & Vincent. in spec. hist. l. 20. c. 44.*

p. 33. Quin Spiritu sancto commodiùs ordinante, in ecclesia Dei antiquitus sit statutum, vt in missa pro fidelibus defunctis nec pax precetur viuentibus, neque detur.) *Huius statuti rationem ex Dionysio Areopagita Eccles. Hierarchiæ cap. 3. & 7. adfert Ioannes Cochlæus Philippica septima in Philippum Melanchtonem c. 14. dicens: Adfert tamen hic (Dionysius cap. 7.) quamdam differentiam, qua obseruatur circa missas pro defunctis aliter, quàm circa alias missas. Nempe permittit hic sacris interesse pœnitentes & energumenos, quod in alijs missis non permittitur, vt ex*

tertio pasel cap. Cur hoc? Quia in missis pro defun-
ctis non communicabatur populus, sicut in alijs
missis fieri solebat. Unde adhuc hodie non dant pa-
cem populo in missa pro defunctis sacerdotes: sicut
facere solent in alijs missis. Ideoque licebat in-
teresse pœnitentibus & energumenis in missa pro
defunctis, quibus non permittebatur communicare.
Hactenus Cochlæus. Scribunt autem quidam, quòd
cessante communione populi osculum pacis sit in-
troductum. Verùm constat ex Paulinis epistolis
iam tum se mutuo salutare solere in osculo pacis,
cùm tamen tunc omnes communicare solerent.
P. 35. Sine lineis, sine calceis indiscretis tempori-
bus incedebat) *Indiscretis unica dictio est, ut pa-*
tet ex vita S. Christinæ, quam in margine expo-
sui. Qua phrasi frequenter utitur in hoc opere, ut
libro 1. c. 23. p. 2. l. 2. c. 49. p. 17. & cap. ultimo
p. 64.

IN CAP. LIV.

Parte 4. Beatæ memoriæ Berthæ nobilissimæ
mulieris abbatissæ monasterij ordinis Cistercien-
sis, quod iuxta Insulam in Flandria, Reclinato-
rium nuncupatur.) *Cum totus ordo Cisterciensis*
B. Virgini Mariæ peculiariter consecratus sit,
eidemq; ut patronæ suæ, omnia ipsorum monaste-
ria sint dicata: ea quæ nobis Duaci habitantibus
vicina sunt, peculiaribus titulis ab eadem desum-
ptis exornantur. Monasterium enim virorum in
Lo siue Laudense, iuxta Insulas, appellatur Laus
B. Virginis. Monasterium religiosarum Flinen-
sium, [illegible] quimilliario distans Duaco, in pago, cuius
no-

men Flines, vocatur honor B. Mariæ iuxta Flinas. Aliud item inter Duacum & Cameracum itidem religiosarum, dicitur Viridarium B. Mariæ. Sic & illud de quo auctor iuxta prædictam vrbem, cui nomen Insulæ, vernaculè Lilla, in pago Marquetta, Reclinatorium B. Mariæ vocatum est, fundatum (teste Meyero in annalibus) anno 1230. à Joanna, vxore Fernandi. Flandriæ Comitissa. Fuit autem prædicta Bertha Molembaisia prima huius monasterij abbatissa, ex Aquiria monasterio Brabantiæ euocata. De qua Miræus in chron. Cisterciensi anno 1229. pag. 227.

p. 10 De Niuella in Lenlos ad duo ferè milliaria properabat.) *Ita pleraque exemplaria nostra hoc loco & infrà. At duo imp. lalons. ms. c. lembos, sed priori loco apparet correctum ex lenlos. Iacobus Vitriacus lib. 2. de vita B. Mariæ Ogniacensis cap. 8. apud Surium, laulos, & ms. p. secundo loco scribere videtur leulos, quomodo habet liber ms. eiusdem vitæ Autberti Miræi: at liber ms. Ogniacensis Lanlos. In charta Brabantiæ video locum illis partibus vicinũ nominari Leloy, quomodo legendum esse verisimile est, quod vir doctus patria Niuellensis Franciscus Moschus literis ad me datis confirmauit.*

p. 11. *Idem refertur p. 1. lib. de vitis fratrum Prædicatorum c. 14.*

Ibidem. Ieiuniorum tempore ante pascha, cùm iam instaret tempus prandij, hora nona.) *Hîc nota tempore auctoris ieiunari adhuc solere vsque ad nonam, id est, horam tertiam pomeridianam; cùm nunc licitè soluatur ieiunium hora diei 12. vt in Belgio & vicinis regnis computamus. De eadem*

dem consuetudine, eo tempore ieiunandi usque ad nonam, testis est auctori contemporaneus & (ut apparet) condiscipulus, S. Thomas de Aquino 2. 2. q. 147. ar. 7.

Ibidem. Persona loci, qui aliter patronus dicitur.) *Malè ms. b. c. & tria impressa legunt alter, pro, aliter. Per personam loci, siue per patronum intelligitur is, ad quem pertinet denominatio, vel institutio vacantis ecclesiæ. Qua significatione nomen personæ legitur in litteris Petri episcopi Atrebatensis datis an. 1200. quæ exstant in historia ms. abbatũ Hẽniacensium per Balduinum Deglen eius loci abbatem c. 10. vbi sic dicitur: Tertia pars omnium decimationũ est sacerdotis seu presbyteri, & duæ reliquæ sunt personæ. Quod sæpe in iisdem litteris repetitur. Et in fine sic concluditur. Vt ergo ius tam personatus, quàm presbyteri manifestè posterorum animis innotescat, &c. Paulò antẽ post subdit dictus Balduinus: Futurũ prævidit, ut presbyteri augeri sibi portionem à patrono exposcerẽt. Et iterum: In quibus neque patronus, neque presbyter quidquam iuris habebãt, non postularet certè presbyter augeri suam portionem supra id quod primo iure spectabat ad patronum &c. Qua significatione patroni nomen frequenter accipitur in Decretalibus.*

par. 14. Cùm anno ab incarnatione Domini M. CC. XLVIII. deuotissimus rex Francorum Ludouicus, cum fratribus suis &c. in terræ sanctæ subsidium transfretaret.) *Restitui numerum. Exemplaria enim partim variabant, partim deficiebant. Nam in ms. p. solùm ponitur M. CC. ms. s. proximè accedit ad veram lectionem: sed in eo nota quæ*

ta quinarij videtur prætermissa, sic enim habet: Cũ anno circiter ab incarnatione M. CC. XLIII. Reliqua quinque exemplaria legunt: Cùm anno ab incarnatione M. CC. LX. quæ lectio planè à verò discordat. Sermo enim est de prima B. Ludouici in terram sanctam expeditione: in hac enim Robertus Comes, cuius fit hîc mentio, interijt. Eam autem factam anno 1248. testes sunt Vincent. in spec. hist. l. 31. c. 89. Martinus Polonus, & Massæus in chronicis, Meyerus, & alij quàm plurimi. Altera, ex qua non est reuersus B. Ludouicus, facta est anno 1269. Testes Gaguinus, Meyerus, & alij. Cæterum si hîc sermo sit de Cham supremo Tartarorum imperatore, quę initio referuntur non satis consentiunt cum ijs, quæ habet Vincentius l. citato c. 90. & quatuor seq. Antoninus par. 3. chron. tit. 19. c. 8. §. 21. & Gaguinus lib. 7. de gestis Francorum: qui omnes referunt, ad Ludouicum adhuc in Cypro agentem literas allatas ab Erchaltao principe, quibus significabatur, ante triennium summum regem Tartarorũ fidem Christianam suscepisse, & baptizatum esse. Porrò Vinc. de prima missione fratrum Prædicatorum & Minorum ad Tartaros, agit eodem lib. 31. in veteri editione 32. c. 2.

p. 18. Hæc est illa beatissima mulier, cuius vitam venerabilis Iacobus, Aconensis quondam episcopus, postea Romanæ curiæ Cardinalis, &c.) *Is est Iacobus de Vitriaco, qui duobus libris scripsit vitam B. Mariæ Oigniacensis, de qua sermo est: quibus auctor noster tertium adiecit, in quo c. 11. eadem descripsit, quæ hac parte continentur. Duo priores extant apud Surium tom. 3. Omnes exspectaban-*

ctabantur proditur ivt à suis auctoribus editi sunt, opera doctissimi viri Francisci Moschi Iuris vtriusque Licentiati, Pastoris Armenteriensis, cuius studio gaudemus nos habere eiusdem Vitriaci historiam Orientalem & occidentalem. Sed antequam id praestare potuerit vita functus est. Apud me extant mss.

IN CAP. LV.

Parte 2. Si facta terribilissima & mirabilissima referam, quæ nostræ prosecutionis articulum præcesserunt.) Hac sincerior trium præstantiorum exemplarium ms. 5. & duorum antiquorum impressorum lectio: alia, vt in margine notaui, legunt persecutionis. Sensus esse videtur: Si ea referimus, quæ secundum ordinem, quem prosequimur, præcedere deberent. Videtur enim quod hac parte refertur pertinere ad peccata carnalia, de quibus c. 30. actum est. Varietas lectionis ex eo accidit, quòd quidam non distinguunt, per, & pro, dum contractè scribitur.

p. 3. An expediat opes seruare ad mortem vsque, an verò in vita donare, in pias causas expendendas; videatur Ioannes Molanus lib. de piis testamentis cap. 44. & 45. Quorum priore varia recenset exempla Sanctorum, qui dum viuerent, cuncta pauperibus erogarunt.

p. 4 Contra Ecclesiasticos, qui bona clericorum, qui intestati moriuntur, velut accipitres inuadunt, videatur idem Molanus cap. 41. eiusdem operis.

IN

IN CAP. LVI.

Parte 2. Quis enim alius se animarum diceret mercatorem, nisi ille, in cuius figura olim ad Abraham dictum est: Da mihi animas, cetera tolle tibi.) *Verba sunt regis Sodomorum ad Abraham, Gen. 14. & ad litteram de hominibus intelligitur, (& fortè alijs animalibus viuentibus) mysticè de diabolo, qui omni studio quærit hominum animas, quas si obtinere possit, nouit certò, se etiam eorumdem corpora obtenturum.*

IN CAP. LVII.

Parte 1. Crabrones, atque buprestes.) *Ita restitui ex Plinio lib. 30. hist. nat. c. 4. & Isidoro l. 12. Orig. c. vlt. pro eo, quod habebant omnia exemplaria stuprestes, quomodo etiam legitur ab auctore l. 9. de natura rerum, sed contra rationem nominis. Scribunt enim de eo citati auctores: Buprestis animal est rarum (Isidorus paruum) in Italia, simillimum scarabæo longipedi. Fallit inter herbas bouem maximè, vnde & nomen inuenit, deuoratúmque tacto felle ita inflammat, vt rumpat.*
p. 3. In prouincia Prouinciæ apud Lemouicas.) *Prouincia pars est Galliæ dicta Prouence. Sed quomodo verum sit quod hîc dicitur, non satis assequor. Lemonices enim populi sunt Galliæ Aquitanicæ Pictonibus vicini, & præcipuum eorum opidum Lemouicum appellatur. Gallicè Limoges, quod admodum procul distat à Prouincia: in qua nullum inuenio nomen vicinius ad quod auctor re-*

spexisse

ſpexiſſe videri poſſet, quàm Louengis: at quis hoc
eſſe dixerit? Fieri potuit, vt termini Prouinciæ la-
tiùs tunc expanderentur, vel etiam vt Prouinciæ
nomen ſub ſe alias Galliæ portiones comprehende-
ret.

p. 4. Marchia in Flandriæ atque Brabantiæ di-
ſtrictu villa populoſiſſima ſita eſt.) *Ita ms. s. re-*
liqua exemplaria: In Marchia Flandriæ atque
*Brabantiæ villa * populoſiſſima ſita eſt. Quæ le-*
ctio non minùs eſt veriſimilis. Priore modo, Mar-
chia ipſum eſt pagi nomẽ, in quo hiſtoria, quæ nar-
ratur, contigit. Si conijcere licet, fortè Merchten,
non procul ab Aſcha & Flandriæ atque Braban-
tiæ limitibus. Guicciardinus in deſcriptione infe-
rioris Germaniæ inter Brabantiæ opida muro ca-
rentia Merchten enumerat. Regnerus Vitellius
Zirizæus, qui Guicciardini opus ex Italico in La-
tinum tranſtulit, Merchtam vocat, dicens:
Merchta tribus Bruxella leucis abiuncta eſt. Aſ-
cha diſſidet Merchta tantùm vnius. Sic ibi. Po-
ſteriore accipitur Marchia pro marchionatu im-
perij, qui olim quatuor principales ciuitates ha-
buit, Niuellam, Louanium, Bruxellam, & metro-
polim Antuerpiam. Hodie autem in 17. Belgiæ
prouincijs: hoc eſt 4. Ducatibus, 7. Comitatibus,
& 5. Dominijs, decima ſeptima eſt ſola Antuer-
pia, titulo Marchionatus.

* *ms. b. c. tert. imp. addunt quædam.*

p. 5. Hoc verme dæmonia figurantur, quæ nocte hominibus apparent in ſomnis, & eos viſionibus phantaſmaticis polluunt & illudunt.) *Contra hos dæmonum inſultus orat eccleſia omni die in hymno Completorij.*

Procul recedant ſomnia,

Et

Et noctium phantasmata,
Hostemque nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.

Item in alio, cuius initium: Christe, qui lux es & dies, qui iuxta quarumdam ecclesiarum consuetudinem in quadragesima recitatur ad Completorium;

Ne grauis somnus irruat,
Nec hostis nos surripiat,
Nec caro illi consentiens,
Nos tibi reos statuat.

p. 9. Sunt enim dæmones, qui in aquis manent, & hos poëtę Neptunos vocant &c.) *Orpheus in poëmate ad Musæum dæmonas distinguit in cælestes, aëreos, aqueos, terrestres, subterraneos, & vagos: quorum aqueos Deos Nymphas vocabant, antea Lymphas dictos. Psellus item libro de dæmonibus quartum eorum genus facit aqueum, quod humoribus se immergit, ac libenter circa lacus, fluuiosq́; habitat, & multos perdit aquis. De dæmonibus item circa aquas versantibus multa Tertullianus lib. de baptismo cap. 5.*

p. 11. Illo tempore, quo gens ipsa Comana percussa est à populo Tartarorum.) *Historiam ex parte describit Munsterus lib. 4. Cosmog. vbi agit de Hungariæ per eosdem vastatione. Est autem Cumania Scythiæ pars, hodieq́; Tartarię principatus. De eorum conuersione multa sunt in vitis Prædicat. in his quæ addita sunt ad partem quintam c. 1. & 2.*

parte 13. Incubos dæmones oppressisse feminas quasdam, alias venereis confabulationibus ad concubitum illexisse &c.) *Hoc scelus ab hinc an-*

nis

nis viginti quinque in veneficis utriusque sexus in
parte Orientali Flandriæ atque Occidentali Bra-
bantiæ per iudices seculares deprehensum est, &
extremo supplicio punitum: confessiq́ sunt occa-
sione huiuscemodi peruersissimæ voluptatis se ad
veneficij crimen protractos, & quamuis essent con-
iugati, quòd tamen relicto thoro legitimo, alter
succubo, altera incubo, multo tẽpore sceleratissimè
permixti fuerint. Hæc habui ex ijs, qui eorum exa-
mini interfuerunt. Similia scribunt in Germania
contigisse ante annos centum, Iacobus Sprenger &
Henricus Institor in Malleo malefic. par. 1. q. 1. c.
4. & Innocentius VIII. in epist. decretali aduer-
sus maleficas. Extat in 7. Decretal.

p. 16. De incuborum concubitu Augustinus libro
15. de ciuit. Dei cap. 23. De eorum generatione
latè agit Petrus Boistuau, in libro Gallicè edito,
de historijs prodigiosis, vbi multis in utramque
lib. 1. c. 6. partem citatis auctoribus & exemplis, docet eos
nullo modo generare posse, quia generari nequit
homo nisi ex humano semine. Verùm hæc ratio nul-
la est. Nam si generare posse dicamus incubum,
non id fiet ex proprio semine, quo caret, sed huma-
no aliũde petito, ideóque nec filius dæmonis erit, qui
ex huiusmodi nascetur concubitu, sed illius hominis
cuius est semen. Eos itaque generare posse pleri-
que omnes confitentur, idq́ eo modo, quem hac par-
te auctor insinuat: vt S. Thomas in 2. d. 8. ar. 4.
& in summa p. 1. q. 51. ar. 3. ad 6. & quodlib. 6.
ar. 18. Durandus in dictam distinct. q. 2. Iacobus
Sprenger loco citato. Godscalus Hollen ser. ult. in
6. præceptum Decalogi. Silvester v. Matrimonium
8. num. 15. §. 2. Franciscus Valesius in lib. de sa-

cra

craphilos. c. 8. vbi putat cum Iosepho, eorum opera gigantes illos, de quibus in Gen. c. 6. genitos esse: & plures alij, quos citat Benedictus Pererius lib. 8. comment. in Genesim (qui est primus tomi 2.) disput. 3. sed ipse nihil determinat, vti neque Nicolaus Nancelius in lib. de mirabili natiuitate Christi c. 3. Vbi ea de re varios citat auctores, in partem tamen affirmatiuam magis inclinans.

p. 17. Si enim per adiunctionem lapidis ophthalmij &c.) *Ita restitui ex Alberto, nam exemplaria dissentiebant. ms. s. & primum impressum ostolami, ms. p. secundum impressum estolami, ms. b. cum tert. impr. oscolemi, ms. c. ostolemi. Nomen ei est ab ophthalmo, quod oculum significat: Scribit hunc lapidem Albertus Magnus, praeceptor auctoris l. de virtutibus lapidum in principio, oculos circumstantium excaecare. Sed nouerit lector talia ferè vana esse, & plerumque ea praescribi, quae in rerum natura nusquam reperiuntur.*

p. 20. Gwerthena Brabantiæ villa est solemnis & nota.) *Ita ms. p. b. c. & primum impressum. Sed ms. p. & primum imp. non aspirant, vti nec secundum, quod habet Guurtena. ms. s. Guuercena, tertium imp. Guuerchena. Crediderim esse Werchten inter Mechliniam & Arschotum. Nam Galli vtuntur Gu, pro W, vt pro Wilhelmo, scribunt Guillelmus.*

p. 23. Anno ab incarnatione Domini M. CC. XXXI. prædicante in Theutonia magistro Conrado contra hęreticos, & ab eisdem felici morte perempto.) *De hoc Conrado Tritthemius in chro. Spanheimensi ad annum 1214. ita habet: Hoc ipso anno cœpit in Alemania praedicare frater Conra-*

dus

dus de Marpurg. ordinis Prædicatorum auctori- tate Apostolica, & per annos 19. continuauit &c. De eius occisione, & multa de eo habentur ibidem ad annum 1232. Occisus est autem anno 1233. Quæ vero hac p. scribuntur ab auctore, & infrà p. 33. eadem habentur l. 4. de vitis Prædic. c. 24. & in S. Antonino loco in margine notato, vbi refert id factum anno 1230. nisi in eo mendum sit: Leander lib. 2. & Antonius Senensis in chro. dictum Con- radum à Marpurg, primum recensent martyrem ex ordine Prædicatorum. Sed in eo falluntur, quod interfectum aiunt anno 1228. Quod Cantipratã- no res sui temporis scribenti repugnat, & S. An- tonino, & alijs.

Simile spectaculum à diabolo exhibitum, quo fe- fellit Radbodiũ Frisonum regem legere est in vita S. Vulfranni Senonum archiepiscopi, quæ exstat in Surio tom. 2. die 20. Martij, conscripta per Io- nam monachum Fontanellensem, idemq; refertur ex Speculo historiali lib. 23. in vet. 24. in Speculo exemplorum distin. 4. exemplo 33. Simile autem prorsus exemplum de Mago & S. Petro Veronen- si ordinis Prædicatorum ex vita ipsius per Flami- niũ cõscripta recitat Abrahamus Bzouius in suis Annalibus ecclesiasticis anno 1232. num. 6. Tunc sanctus vir: Si, inquit, vera es Christi mater, sicut præ te fers, vt tibi credam, filium tuum hunc ad- ora, &c.

p. 25. Moy dois aimer ie suis tresbiau, bons & douz, noble, & loyau.) *Ita tert. imp. à quo solum dissentit ms. b. & c. quod scribat amer, & omni forma pluralis numeri, tresbians, bons & doux, no- bles & loyans. Reliqua: Moy doibs amer, ie su- tre*

tresbiaus, li bons, li douls & li † treshaulz. Quam lectionem existimo magis esse genuinam. Ille enim est adhuc hodie rudis loquendi modus in Gallica Brabantia, & tractu Leodiensi, & fuit olim, ut antiqua eorum monumenta declarant. 2.imp.tresgens.

p.26. *Simile est in Spec. exemplorum dist. 9. exemplo 159. & aliud in vita S. Dominici lib. 3. c. 4. conscripta per Nicolaum Ianssenium, de pane admoto ad latus imaginis Christi.*

p.28. Ad fontem lucidissimum, super quem lapis instar altaris, in columnis marmoreis locabatur, aquam protinus superfudit &c.) *De hoc eodem fonte Iacobus à Vitriaco in histor Orient. cap. 92. his verbis: In minori Britannia fons quidam esse refertur, cuius aqua supra propinquum lapidem proiecta, pluuias & tonitrua prouocare dicuntur.] Sed quod ille dubiè narrat, ad hoc auctor noster oculatos profert testes.*

p. 29. *Simile est in Speculo exemplorum dist. 9. exemplo 140.*

p. 39. In cenaculo iacebamus spatio trium milliarium aut quatuor.) *Quod in margine posui, scilicet à loco ad quem tendebamus, id desumptum est ex Ioanne Gillemans in vita auctoris. Idem parte sequenti, vbi dicitur: Iam altiùs & euidentiùs murmurantes. Pro (euidentiùs) legit (eminentiùs. Sed magis placet lectio omnium exemplarium nostrorum, vt legatur euidentiùs, id est, clariùs: quia præcedit altiùs, atque ita idem bis diceretur, si legas eminentiùs.*

p. 40. Cùm me sub diuo in pomerio ad somnum meridianum deposuissem.) *Sic omnia exemplaria, nunc vsitatiùs dicimus sub dio, à Græco διὰς, id est, Iouis*

Iouis seu aëris. Unde non tantùm in Catholico
Ioannis Ianuensis ordinis Prædicatorum legitur
sub diuo, id est, sub cælo, vel extra tectum sub so-
lo aëre & nudo. Sed & in Ambrosio Calepino:
Diuum pro aëre Horat. Sub diuo moreris victima
nihil miserantis Orci, id est, sub aëre. Plinius li-
bro 34. c. 21. Campania nobilissima exposita sub
diuo in cadis verberari sole, luna, imbre, ac ven-
tis aptissimum videtur. Addit tamen Calepinus:
Sunt qui vtrobique legāt sub dio. Quomodo in dua-
bus prioribus nostris editionibus Cantipratani
restitueram, sed hanc, quam veram censeo lectio-
nem reposui, nempe sub diuo. Eadem vera lectio
est lib. 2.c. 10. par. 9. quam habent ibidem plera-
que exemplaria, & Ioannes Gillemans in vita
ms. auctoris. Sed quod in textu posuimus: Resedi-
mus ergo sub dumo, est correctissimi exemplaris
ms.s.

p. 43. Beatæ memoriæ Iordanus frater & magi-
ster ordinis Prædicatorum.) Agit auctor parti-
bus aliquot sequentibus de Generalibus magistris
ordinis Prædicatorum ad sua vsque tempora. Ior-
danus secundus fuit generalis M. succedens bea-
to Dominico, ordinis fundatori, anno 1222. mor-
tuus est autem anno 1236. Obitus eius adiectus e
martyrologio Vsuardi à Molano die 13. Februa
rij ex additione Coloniensi. Cuius rei in prima ed
tione rationem reddit his verbis: Iordanum ma
tyrologio asscripsi, quia multi hoc nomine nunc
pantur. Est tamen corruptum à Gordianus, vt c
stat ex vita Thomæ Cantuariensis l. 4. c. 12. H
Molanus. De eodem Gerardus Lemouicensis t
l. siue p. 3. de vitis Prædicator. & ex eo Anto

nus p.3. chro. tit. 23. c.9. & Leander lib. 1. de viris illustribus ordinis Prædicatorum: quibus locis eadem ferè, quæ hîc à Cantipratano, & plura alia de eo miracula referuntur. Quod eum óbijsse diximus anno 1236. habetur in vitis Prędicatorum parte 3. cap. 38. & in appendice ms. exemplaris eiusdem libri. Concordat Stephanus de Sampayo in stemmate ordinis Prædicatorum, Bzouius in annalibus. Antonius Senensis in chro. dicit hoc anno obijsse aut sequenti. Quibus maior fides adhibenda quàm alijs, qui ab his dissentiunt, vt S. Antoninus (nisi mendum sit in cifris) 1235. Martinus Polonus in Friderico II. cap. 101. anno 1233. Vincentius Beluacensis in Speculo hist. libro 30. veteris editionis c. 137. anno 1231. Eiusdem Jordani litteras ad omnes sui ordinis fratres de translatione S. Dominici habet Nicolaus Ianssenius lib. 3. de vita eiusdem cap. 2. & Orationem ad S. Dominicum cap. 5. & multa de eodem in suo commentario ad eamdem vitam S. Dominici ad c. 12. l. 1.

p. 46. *Eamdem tentationem, seu similem prorsus ei, quæ hîc refertur, eidem B. Iordano contigisse Parisijs, scribit Lemouicensis lib. 3. de vitis Prædicatorum cap. 29. & S. Antoninus in chron. p. 3. tit. 23. c. 9. §. 3. Verùm Leander & eam refert quæ Parisijs accidit, & quæ descendenti per iuga Alpium, quam hîc describit Cantipratanus, ex quo ostenditur diuersas fuisse.*

p. 47. *Idem quod hoc loco refert Gerardus Lemouicensis p. 3. c. 34.*

p. 50. Tantum de die & nocte orationibus incumbebat, vt psalterium Dauidicum legeret.) *Id*

satis mirandum est eum facere potuisse. Sed multò mirabilius, quod scribit de sancto Patricio Iocelinus in vita ipsius c. 183. Omni die psalterium integrum, cum canticis & hymnis, & Apocalypsi Ioannis Apostoli, ac ducentis orationibus strenuè, seduloq; solebat Domino decantare, &c.

p. 51. Orbato Sanctus oculo.) Ità correctissimum exemplar ms. s. Reliqua non minùs rectè. Sanctus orbatus oculo. Nam vt postmodum legi in vita eius apud Lemouicensem p. 3. cap. 22. & Leandrum loco citato, ipsemet Iordanus, ex quadam infirmitate, vnius oculi lumen amisit. Idem datur intelligi ex lectione, quam posuimus, sed non ita apertè. Quæ autem de morte B. Iordani in hac prosa digessit, eadem clarissimè explicuit auctor l. 3. vitæ B. Lutgardis cap. 2. vbi quædam ex hac prosa sua citat, & ibidem legens: Membra lustrat sanctissima, & quò transisset anima &c. Quę posterior lectio melior est. Accedit ad eam ms. s. quod pro (in) legit (vt) idq; vitiosè pro (&) Historiam habent vitæ Præd. p. 3. c. 38.

p. 54. Litteris aureis scriptum vidit.) Videlicet nomen suum. Sic & Mellitus monachus vidit nomen suum & aliorum scriptum, vt refert Gregor. lib. 4. dialogi c. 26.

Ibidem. Cui successit magister Raymundus &c.) Relatiuum (cui) referendum est ad B. Iordanem, non Arnoldum cuius parergōs tantùm inserta est mentio. Hic autem est Raymundus de Pennaforti, cuius operâ Gregorij IX. epistolas decretales in vnum volumen, distinctum in 5. libros, redigendas curauit. Vir fuit religione & eruditione clarus natione Cathalonus, patria Barchinonensis. Ad-

iec

iecit eum Usuardi martyrologio Ioannes Molanus die 6. Ianuarij. Generalis autem creatus est, teste Leandro in vita ipsius, & appendice adiecta ad vitas Fr. Prædicatorum anno 1238. quo munere biennio perfunctus, eidem renunciauit, ac superuixit annis 35. vita functus die prædicto, anno 1275. denique Sanctorum numero solemniter asscriptus à Clemente VIII. anno 1601.

p. 55. Huic succeßit & venerabilis Ioannes de Theutonia natus.) *Ioannes de Wildeshusen, Theutonicus Bossinensis episcopus, successit Raymundo anno 1241. & obijt 1253. die 4. Nouembris.*

p. 58. Eleuatum est autem corpus * eius venerabile à domino Metensi episcopo, & electo Argentinensi, anno ab incarnatione Domini M.CC. LXI. *Magna hic varietas exemplarium ms. p. & duo imp. legunt: à domino Magontinensi Archiepiscopo, & electo Argentinensi, &c. Reliqua vt posuimus. Ea autem lectio; quæ habet Metensi episcopo magis idcirco probatur, quia in ms. p. ex lituris apparet aliter aliquando scriptum fuisse; & verisimile est, vt alia nonnulla loca declarant, correctum esse, seu potius deprauatum ad exemplaria prioris editionis typis euulgata. Metensi item legit Leander in vita ipsius. Tria impressa & ms. c. etiam in anno hic variant à reliquis. Legunt enim M. CC. LXXVI. quam certum est esse spuriam lectionem; cum auctor librum suum compleuerit ante hunc annum, vt multis colligitur argumentis. Prædictis consentit Leander, qui vbi antè dixerat illum obijsse anno 1253. pridie nonas Nouembris, asserit postea anno 7. ab eius exitu*

ms p. c. tria imp. mirabile.

corpus translatum esse, approbante & assistente episcopo Metensi. Porrò in tabulis Democharis in catalogo Argentinensium episcoporum ita legitur; 62. Waltherus Baro de alto Geroldissego eligitur 1260. consecratur sequente anno 1261. à Wernhero archiepiscopo Moguntino. Cui successit alius anno 1263.

Ibidem Illustris regina Hungariæ mandauit per litteras solemne miraculum &c.) *Extant hæ litteræ in vitis fratrum Prædicatorum in ijs, quæ addita sunt post libri compilationem c. penultimo, & præcedunt ibidem litteræ regis Hungariæ de miraculis eiusdem Ioannis Bossinensis episcopi. Fuit hic Bela, qui in ordine regum Vngariæ est 17. & obijt anno 1275. Filius eius erat Stephanus, vt constat ex litteris, & Munstero l. 4. cosmographiæ.*

p. 60. Huic succeſsit venerabilis Humbertus.) *Anno videlicet 1254. vt omnes consentiunt: à quo munere, ipso rogante, absolutus legitur in Leandro anno M.CC.LXIII. & superuixisse ad annum vsque M.CC.LXXVI. Huic consonat S. Antoninus, dicens, eum, postquam nouem annis rexerat, cessisse magisterio: Consonat item Antonius Senensis, & Stephanus de Sampayo in stemmate ordinis Prædicatorum. Præcedit tamen in Leandro (nisi mendum sit) anno vndeuigesimo eum Generalatui cessisse, ex quo consequeretur eum demum anno 1273. absolutum: cui illud est consentaneum: quòd cùm huic existenti magistro Generali, vt declarat epistola dedicatoria, opus hoc dicarit auctor; in eo tamen meminit rei gestæ anno M.CC.LXV. suprà c. 29. p. 21. Nisi ibi legen*

du

dum quis existimet M. CC. XLV. Facilis enim est harum notarum transpositio. Notis autem Romanis scribunt omnia exemplaria excepto ms. p. quod cifris vtitur, & secundo impresso, quod verbis eumdem illum numerum exprimit. Certè numerus Capitulorum generalium siue Synodorum docet Humbertum defunctum munere Generalatus anno 1263. Nam creatus est in Synodo 33. defunctus in 42. Sunt autem hæ Synodi annuæ. Prima celebrata est Bononiæ viuente adhuc S. Dominico anno 1220. vt habet caput vlt. lib. ms. de vitis Fr. Prædicatorum. Humbertus hic, natione Burgundus, (latiùs huius Ducatus finibus, quàm hodie, protensis) ortus est villa de Romanis (Gallicè Romans dicta,) prope Valentiam, diœcesis Viennensis in Gallia.

De his quinque Generalibus tractat caput vlt. l. ms. sæpe citati de vitis Fr. Prædic. quod omissum est in exemplo impresso. Antoninus tit. 23. c. 12. vbi de omnibus agit ad sua vsque tempora, & itidem Leander l. 1. de viris illust. ord. Prædic. & postremò Anton. Senensis in chron. eiusdem ordinis.

p. 62. Qualis autem hæc sit, vel qualiter fiat, breuiter videatur. Certum est, quia per energicam operationem. *) Sic restitui, cùm omnia exemplaria haberent per inergiam operationem, sed tert. imp. & ms. c. adiecit (certum est) quæ duo verba reliqua prætermittunt. Cuius lectionis sensus esse videtur: Quia per inergiam, hoc est, operationem, seu potiùs inoperationem, vt sæpe loquitur auctor libri de incarnatione verbi apud Augustinum tomo 4. Ea enim est vocis* ἐνέργεια *propria significa-*

tio: quæ item efficaciam & vim occultam designat. Similis est locutio suprà p. 19. huius cap. vbi quidem ms. p. s. & duo imp. legunt vt reliquimus, videlicet, per inergiam, operationem & mentis insaniam, vt quæ fiunt &c. ms. b. c. tert. imp. per energiam operationis & mentis, vt quæ fiunt &c. Quod autem hoc loco addit auctor, dæmones non illabi animabus seu mentibus hominum, ea concors est Scholasticorum omnium doctrina in 2. librum magistri sent. dist. 8.

Porrò veram lectionem esse per energicam operationem constat ex libro apud Augustinum tomo 3. (sed qui verè est Gennadij Massiliensis) de ecclesiasticis dogmatibus cap. 83. vbi sic habetur: Dæmones per energicam operationem non credimus substantialiter illabi animæ, sed applicatione & oppressione vniri. Illabi autem menti, illi soli possibile est, qui creauit, qui natura subsistens incorporeus, capabilis est suæ facturæ. Quæ verba eodem modo magister citat loco iam dicto. Eadémque doctrina rursus apud Augustinum est libro de spiritu & anima capite 27. Ab hac energica dæmonum oppressione energumenorum vocabulum.

p. 64. Erubescat Theologicæ cathedræ vilis ille præsumptor.) *Is fortè vnus erat ex quatuor aut quinque aduersarijs ordinis sui, de quibus latè egit suprà cap. 10. lib. 2.*


p. 66. Nunc canum latratus & bestias imitaris.) *Imitatus est auctor S. Datium Mediolanensem episcopum, quem sanctus Gregorius libro 3. dialogi capite 4. diabolo exprobràsse scribit: Ecce vt dignus es bestias imitaris.*

p. 67.


p.67. *Simile est exemplum in Speculo exemplorum dist. 9. exemplo 63.*

par. 68. Et ob hoc ad S. Aïcadrum in Aspera obsessos curare potentem.) *De sancto Aïcadro Ioannes Molanus in Natalibus sanctorum Belgij 15. Septembris. Surius tomo 5. Item Franciscus Haraus in vitis Sanctorum & alij.*





QVORVMDAM VOCA-BVLORVM SIGNIFICATIO apud CANTIPRATANVM, quæ le-ctorem remorari possent, vtpote quorum pleraque opica & bar-bara sunt, illo tamen seculo tri-tissima.



BSCONSA, *laterna, à voce Gallica, sed parum proba, esconse, Latinior tamen quàm consa, vel sconsa, quibus alij vtuntur. In bibliotheca enim Floriacensi exstant veteres consuetudines Floriacensis cœnobij, in quibus sic legitur: Vnus verò de infantibus in consa à magistro suo præparata affert candelam accensam, vt præsto sit ignis, si extinguatur, qui in ore draconis portatur. In libro 3. vitæ B. Gosuini septimi abbatis Aquicinctini num. 28. ter sconsarum fit mentio. Sconsas (inquit auctor) quarum numerus nunc est innumerabilis, numquam Prior vel abbas habuit, nisi illam, quæ omnium communis fuit. Quodam tempore, cùm per curiositatem aliquorum plurimæ seræ, & sconsæ factæ fuissent, Zelo inardescens religionis, seras omnes confringi fecit, exceptis armarij & maioris custodis: sconsas verò, præter vnam, omnes igne*

igne combussit. Hac de B. Gosuino auctor.

Adlentata barba, *mollis & flexibilis reddita. Voce lentandus vtitur Virgilius 3. Æneidos, & Glossarium Isidori, Lentandus, flectendus.*

Appodiamentum, *reclinatorium, à verbo Gallico appuyer, reclinare.*

Assiduare, *frequentare, legitur ea dictio Eccli. 30. & in Petro Blesensi epist. 31.*

Atrium ecclesiæ, *cœmiterium, Gallicè l'atre.*

Auca, *anser.*

Blatta, *tinea, restitui ex Arist. Plin. & Isidoro pro blacta.*

Bolismus, *vide embolismus.*

Bullare, *bullas pontificias dare, sigillare, vel obsignare. Petrus Bles. epist. 183. Goffridus abbas Vindocinensis l. 2. epist. 28. Priuilegium remansit non bullatum, id est, sine Bulla & sigillo. Ratbodus archiepiscopus Treuirensis in epistola sua formata: Hanc epistolam Græcis litteris hinc inde munire decreuimus, & annulo ecclesiæ nostræ bullare censuimus.*

Camera *cubiculum. Bernardus in Apol. ad Guillelmum abbatem, & ser. 65. super Cant.*

Canipulus, *ensis, culter, f. quasi canicapulus, quòd figuram ferè soleat habere canini capitis in extremitate capuli. Vnde & Gallicè Braquemar, à specie canis nomen obtinet. Locus est lib. 1. cap. 16. par. 2. & lib. 2. c. 29. p. 22.*

Canonia, *lib. 1. cap. 17. collegium Canonicorum. lib. 2. præbenda canonicalis, canonicatus, quomodo accipitur aliquoties in iure Canonico, vt nominatim extra de præbendis & dignit. cap. Pro illorum. & in Glossa cap. Execrabilis, de præbendis*

&

& dig. in extrauag. communibus.

Cariſtia ſiue chariſtia, *caritas ſiue difficultas annonæ, vtitur Iacobus Vitriacus hiſtor. Occident. cap. 8.*

Carnifex, *lanio. Vtitur Clementina prima de vita & honeſtate clericorum.*

Cellerarius, *cellarius, procurator peni, promus, aut promus condus. Voce cellerarius ſemper in ſuis dialogis vtitur Cæſarius, & Innocen. III. extra de Statu monach. c. Cùm ad monaſterium, & de præb. & dig. c. Dilecto filio.*

Chorizare, *choreas ducere, tripudiare, à Græco χορεύειν.*

Chorizantes, *tripudiantes.*

Clepſedra, *epiſtomium. Verbo clepſere Lucretius & Varro vtuntur pro clepere, ſeu furari, vnde & clepſydra, quomodo hîc fortè ſcribendum. Locus eſt lib. 2. cap. 1. p. 6. Vtitur eadem ſignificatione Iacobus Vitriacus in ſerm. communibus mss. ſer. 1. ad mercatores.*

Cordetenus, *id eſt, memoriter, Gal. par cœur. Vtitur Petrus Bleſ. epiſt. 101.*

Creticare, *ſeu potiùs* criticare, *eſt de ſe dare morbi iudicium. Criſis enim Medicis eſt naturæ & morbi conflictus, ſeu ſubita in morbo ad ſalutem aut mortem mutatio.*

Creticus ſudor, creticum tempus, *pro critico. Sic g. lib. 2. c. 53. p. 8. pro criſi, ſcribit creſi.*

Concambium, *permutatio rerum. Vtitur Vitriacus hiſt. Orient. c. 73. in pecunia dicitur collybus.*

Confeſſor, *confeſſarius. Frequens eſt in corpore Canonico, vt bis in 6. de pœnitent. & remiſ. cap. Si epiſcopus.*

Curia,

Curia, *pro chorte, qua significatione apud Gallos multa locorum nomina in court terminantur.*

Curia, *item pro aula Principum, hinc* Curialitas, *vrbanitas, Gal. Courtoisie. Bles.ep. 84.*

Damnificare, *damnum inferre. Vtitur S. Augustinus q. 33. super Deuteron. Voce damnificus hac significatione vtitur Plautus.*

Delicia *numero singulari, pro deliciæ. Plautus & Nonius.*

Demandare alicui, *id est, præcipere.*

Demandare aliquid, vel aliquem, *iubere adferri, vel accersiri.*

Dentrix, *carminarium, Gallicè vn seran, Belg. een hekel.*

Domus ferraria, *pro fabrica vel officina ferraria.*

Dromon, *species nauis à celeritate cursus nomen habens. Nam δρόμος cursum designat, Gallicè carauelle. Consentit Isidorus lib. 19. Originum cap. 1. Vtuntur hac voce Cassiodorus lib. 5. Variarum epist. 16. 17. & 20. Gregorius lib. 11. epist. 38. Vitriacus hist. Orient. c. 101. & Robertus de monte in supplemento ad chronicon Sigeberti an. 1191. vbi vitiosè dromontem legitur, pro dromonem. Festo lembus appellatur.*

Embolismus, *accipi videtur significatione medica pro ingluuie & magna edendi auiditate. Locus est l. 2 c. 15. p. 3. alioqui intercalationem significat, ab ἐμβάλλω, quod inter cetera idem est quod intercalo, interpono. Verùm re diligentiùs expensa & cum Medicis collata, omnino legendum existimo bolimus seu βούλιμος, quod ingentem famem designat, teste etiam Agellio lib. 16. noct. Attic. c.*

3. vbi

3. vbi ait: *Vim quamdam famis non tolerabilem Græcis dici βούλιμον καὶ βούπειναν. Componitur ea dictio à λιμὸς .j. fames, & βοῦ, quod nihil quidem per se significat, sed in compositione auget eius significationem, cui adiungitur. Et sanè de fame, quæ vocatur bolimus agit Auicenna lib. 3. fen 13. tract. 2. c. 15. quam dicit aliàs vocari famem vaccialem, eiusq; naturam & causas explicat.*

Epilepsia, *morbus comitialis siue caducus, restitui pro epilentia, quomodo Godscalcus Hollen serm. 10. super 1. preceptum ponit epilenticus, pro epilepticus.*

Exemptor, *carnifex, l. 1. c. vlt. p. 8.*

Festiuare *festiuos & lætos reddere, Gal. festoyer.*

Flamingi, *Flandri.*

Forratura, *suffultura. Vox est Gallica, qua vtitur Iacobus de Vitriaco l. 1. vitæ B. Mariæ Ogniacensis c. 11. Vide annot. lib. 1. c. 7. p. 2.*

Forratus, *suffultus, voces sunt Gallicæ.*

Garsiones, *famuli, pueri. Vtitur Bernard. in apologia ad Guil. abbatem, & Innocentius III. extra de Sepul. c. Ex parte, & alij, vt Bles. epist. 102.*

Grossum, *rude, crassum. Bernard. ibidem, & aliquoties Augustinus, & Sulpic. lib. 1. dial. c. 14.*

Grossities, *crassitudo.*

Hasardus, *fortunæ alea.*

Iconia, *imago. vide notas ad c. 7. l. 1.*

Infirmaria, *domus infirmorum, valetudinarium.*

Infirmitorium, *idem. Vtitur Innocent. III. extra de statu monachor. c. Cùm ad monasterium.*

Interscalariter. *per modum scalarum.*

Irrigidatus, *rigidus, siue frigidus factus.*

Lamia, *pro lena. Nam inter alia insignis meretricis*

tricis nomen fuit.
Leccator, *catillo, scurra. Gallicè vn lichard. Belgicè een lecker oft lekspet. Glossarium Isidori lecator, gulosus.*
Leuca, *miliare, Gallicè vne lieu: cùm alioqui Mathematicis duo miliaria significet. Bernardus vbi suprà.*
Licentiatus, *dimissus, veniam habens aut licentiam. Vtitur to. illust. Ger. Historicorum editus à Christ. Vrstisio, & verbo licentiare, & licentiari S. Thomas frequenter, vt in Supplemento q. 11. ar. 4. Dictio illicentiatus, pro sine licentia & venia habetur extra de procuratoribus, c. Constitutus, quod est Gregorij IX.*
Litigium. *lis. Vtitur Plaut. in Casin.*
Litteræ quadruuiales, *Mathematicæ scientiæ. Vnde apud Iacobum Stapul. quadrifida mathesis. Vide Syluest. in sum. v. Scientia, vbi triuium vocat Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticã: quadriuium Arithmeticam, Geometriam, Musicam, & Astrologiam. Eadem voce quadriuium pro quatuor scientijs mathematicis vtitur Glossa Codicis ad tit. de malef. & Mathe. B. Honorius libro de viris illustribus in Boëtio. Item Trilogium animæ par. 3. c. 5. & inter recentiores Godefridus Tilmannus in præfatione pro operibus Dionysij Areopagitæ. Rursum scientias quadruuiales nominat Guido de monte Rocherij in Enchiridio Pastorum tractatu de ordine cap. 5. & voce quadruuium vtitur Wibertus archidiaconus in vita Leonis papæ IX. Leucorum antea episcopi c. 4.*
Lixiuia. *idem quod lixiuium. Feminino genere bis vtitur Columella de re rustica. l. 12. c. 16.*
Locu-

Locutorium, *locus, in quo licitum est monachis aut monialibus loqui. Gal. vn parloir.*
Mandare aliquem, vel pro aliquo, *iubere accersiri, vel aliquem accersere.*
Mansionarius, *lib. 2. cap. 29. p. 8. inhabitator, à mansione. Ita accipit S. Antoninus in confessionali par. 1. c. 2. & 3. Significat etiam, Onuphrio teste, domesticum & familiarem. De mansionario huius vel illius ecclesiæ frequens est mentio in sancto Gregorio & martyrologio, vbi templi custodem significare videtur.*
Matta, *storea, vtitur Ouidius lib. 6. Fast. & Augustinus lib. 5. contra Faustum c. 5.*
Miles, *vbique ferè accipitur vt in Cæsarij dialogis, pro equite nobili, seu militarem ordinem professo; quod idem ferè est ac nunc esse equitem auratum: De qua acceptione militis videntur præfatio Joannis Molani in suam militiam sacram.*
Moralizare. *moraliter exponere, vel ad mores hominum accommodare. Locus est in epistola dedicatoria.*
Morsellus. *bolus, Gal. morceau.*
Niger ordo, *Benedictinorum ordo. Sic à Cæsario & Vitriaco in hist. Occid. sæpe appellatur.*
Nimiè, *nimis, vtitur Plaut. in Mil.*
Nosse secretiùs. *ex confessione, vt apparet.*
Officiati, *officiarij.*
Parcialitas. *parcitas, nisi scribendum partialitas, & tum opponitur communitati, locus est in tit. cap. 12. l. 2.*
Papellardus. *hypocrita, simulator, qui passim in platea & vbique orat. Vtitur Guill. Peraldus in summario virtutum & vitiorum tit. de prudentia.*

Caro, inquit, decipit ſicut papelardus, qui dicit ſe infirmum & pauperem, cùm non ſit.
Pauſare, *dormire, quieſcere, vtitur Plautus in Trin. & Mil. & S. Eulogius Cordubenſis in Memoriali Sanctorum. Bern. ſer. 18. in Cantica: Petrus Bleſenſis ſer. 29. & alibi.*
Pauſatio, *quies. Dictione Pauſa vtitur Auguſtinus in pſal. 105. & Eulogius vbi ſuprà, & Guill. Neubrigienſis de rebus Anglicis lib. 4. c. 42.*
Perſonatiſſimus vir, *magnæ auctoritatis. ms. b. c. tria imp. perſonantiſſimus legebant. Locus eſt libro 2. cap. vlt. par. 26.*
Phalanga, æ. *phalanx.*
Philoſophus, *Seneca.*
Phyſicus, *medicus. Vtitur Vitriac. hiſt. Occidentalis c. 14.*
piſtatus, *piſtus.*
Placitare, *lites agere, Gal. plaider.*
Protelare, *producere, protrahere. Gloſſarium Iſidori, Protelat, differt, prolongat. Vtitur Feſtus pro eo quod eſt longè propellere, à τῆλε longè, procul. Vtitur & Terentius in Phormione, item Lucil. Siſenna, & Turpilius, & alij, eſtq́; vox bene Latina.*
Pyramida, æ. *pyramis, ſicut hebdomada, lampada, æ.*
Quaterni. *quaterniones. Vitriac. hiſt. Occident. c. 10. Silueſter v. Simonia num. 15. Bleſ. epiſt. 19. & 101.*
Refutare, *renuere, refugere.*
Refutans, *renuens, Gal. refuſant.*
Reclamatio, *inclamatio, inuocatio. Gallicè dicimus reclamer Dieu. i. Deum inuocare.*
Regra-

Regratiare, *gratias agere. Bles. epist. 166. regratiari.*
Repatriare, *in patriam redire. Utitur Vitriacus hist. Orient. c. vlt. & S. Bernardus frequenter, vt ser. 3. de ascen. lib. 5. de considerat. epist. 161. & Glossar. Isidori. Sigebert. in chron. an. 1100.*
Ribaldus, *nebulo, aliquando pro vago & mendico accipit. Vtitur tomus Illust. Germ. historic. editus à Christiano Vrstisio.*
Rotatus, *quæstionibus subiectus, vel in rota positus. Rotare enim est in modum rotæ versare & circumagere. Voce rotatus, pro in rotam actus, vtitur Tritth. in chron. Hirsaug. anno 1225.*
Salsa, æ. *salsamentum, vt salpa.*
Sambucale, vel sambucalis, *reticulum significare videtur, vel quid simile, quo pila excipitur, repellitúrque, Belg. & Gallicè raquette. Nam sambuca, præterquam quòd significet musicum instrumentum, Dan. 3. est & genus machinæ militaris, qua vrbes expugnari consueuerunt, in qua sic funes intendebantur sicut in organo musico cordæ. Auctor fortè à Sambuco deducit. Locus est lib. 2. c. 49. p. 13. vbi ms. p. & s. legunt cambucalis. Voce cambuca vtitur Petr. Comestor in hist. Exodi c. 52. Sicut, inquit, in baculo cambucæ pontificalis eburneo fieri solet. In pontificali Guillelmi Duranti quod habeo in membranis ms. par. 2. vbi de consecratione ecclesiæ agitur: Cùm accedit pontifex ad ostium ecclesiæ faciat, inquit, crucem cum gambuca in liminè superiori & inferiori. Pro quo pontificale Romanum excusum Venetijs 1503. & 15[...] dicit in baculo pastorali. Et suprà disertè dicit[...] in Pontificali Duranti: Cum inferiori parte ga[...]*
b[...]

bucæ seu baculi pastoralis. Vt euidentissimum sit, illa eadem esse. Gambuca autem vitiosè dicitur, pro cambuca, vt quidam ineptè hodie Gardinales pronunciant, pro Cardinales. Pro sambuca est quod legitur in Martinianis, id est, monumentis Prioratus S. Martini à Campis, Parisijs excusis anno 1606. vbi de ordine abbatum Cluniacensium folio 116. Habebunt vnum capellanum, qui deferat crossam seu sambucam.

Scarleta, vel scarlata, & vestes scarleticæ, *coloris coccinei siue purpurei, Gal. d'escarlate.*

Scortocium. *Vide Annot. l. 1. c. 8. p. 1.*

Serenare. *serenum reddere. Vtitur Virg. & Augustinus in psal. 9.*

Sitarcia, *vas, repositorium. siue saccus aut pera in qua cibus poni consueuit.* σιτίον *enim cibus est. Vnde 1. Reg. 9. 70. pro sitarcijs, habent in vasis. Vide annot. ad cap. 25. lib 2. p. 7.*

Subpeditari, *pedibus subijci vel subigi. Vocem suppeditatus eadem significatione accipit Vitriacus hist. Orient. c. 6.*

Subterrare *sepelire, Gal. enterrer.*

Subtiliare linum, *subtile reddere, carminare.*

Sufferrare equos. *soleas ferreas pedibus equorum apponere. Gal. ferrer vn cheual.*

Tabardus, *Vide Annot. l. 1. 7. p. 2.*

Tyrannizare, *tyrannidem exercere, à Græco* τυραννίζειν, *voce etiam Demostheni vsurpata.*

Vicinium. *pro vicinia, vt Niderus; & Speculum exemplorum dist. 3. exempl. 9. ex Beda in quo legitur nunc vicinia.*

Villa, *pro opido frequenter accipitur phrasi Gallica.*

Vnguen, *vnguentum. Vtitur Perſius.*

Vorago, *voracitas.*

Reliquas voces & ſententias obſcuriores, quæ ferè ſemel tantùm occurrunt, in margine explicuimus, vel in notis, ſuis locis. Seruient autem hæc non ſolùm Cantipratano intelligendo, ſed & alijs auctoribus eiuſdem & præcedentis ſeculi, & duorum ſequentium à puritate Latini ſermonis deflectentibus. Quamuis enim omnia ferè hæc vocabula ſint extra Latinorum coloniam, & proinde ad Augiæ ſtabulum releganda, paſſim tamen ab ijs vſurpantur.

FINIS.





INDEX RERVM PRÆCIPVARVM, QVÆ DVOBVS HIS LIBRIS THOMÆ CANTIPRATANI continentur.

A.

Ange-

 colebat

Dæmo-

E.

F.

Figmen-

G.

H.

Habitus

H

L.

M.

P.

Pamp

Quæ-

Q.

R.


S.

Sancto

T.

Tibia

V.



INDEX
VIRORVM AC MVLIERVM

AVCTORIS SECVLO, VEL PAVLÒ ANTE, SANctæ ac laudabilis vitæ, quorum gesta describuntur, vel exempla imitanda proponuntur, nouiter adiectus in gratiam eorum, qui Sanctorum vitas conscribere, aut legere cupiunt.

Quibus littera P. apponitur sunt ex sacro ordine Prædicatorum.

Io

Pas

Quidquid habēt de his præclaris viris ac feminis Choquetius, & Arnoldus de Raisse ex ipso ferè Cantipratano sumptum est. Quia tamen interdum aliquid adyciunt, eosq́; inter Sanctos, beatos, aut venerabiles enumerant, visum est illorum loca adnotare. Quorum vterque ipsum etiam venerabilem Thomam Cantipratanum, ille in libro de Sanctis Belgij ordinis Prædicatorum c. 14. hic in suo Auctuario die 15. Maij enumerat, vti & Mirans in Fastis Belgicis & Burgundicis.

INDEX





INDEX.

ANNOTATIONVM,

OMISSIS TAMEN BARBARIS

VOCIBVS, QVÆ ORDINE ALPHABETICO explicatæ sunt.

FINIS.

ERRATA.

Pag.32.linea 21. lege Nullus. 84.31 ideo. 131.6.dele:ac per hoc patri faceret, venisse. 214.26. consuetudinem. 224.22.Ridiculum. 314.20.mihi. 340.17. restingue. 408.3.accessit. 436.31.hortor. 462.19.dulcedinem. 484. 28.te vixisse. 500 26.vanitatis. 505.10.exercitatus. 514. 20.horam. 519.22. & quem. 551.12.quidam. 527.27. Oportet. 579.34.delicia. 584.6. & multis. ibid. 29.à pro è. 588.23.erubescat.

IN NOTIS.

Pag.16.15.Bursf. 42 13 præter. 76.5.deuotæ. 98.18.citante. 135.3.profugisse. 158.7.Campaniæ. 160.30.Gregorius. 174.32.cum,pro in. Interdum quoque ponitur r pro t, vel littera vna inuersa.

FRAGMENTA, QVÆ IN SENECÆ OPERIBVS, ETIAM POST NOVISSIMAM cum Commentarijs Iusti Lipsij editionem factam Lugduni Batauorum anno 1619. adhuc desiderantur, quę ex eo fideliter citat noster Cantipratanus.

Lib.1.c.17. PVeri non tantùm monendi sunt, sed etiam arctandi.
p. 4. Omnia habet qui nihil concupiscit, & quidem
certiùs, quàm qui multa possidet.
Lib.2.c.10. Vtinam inuidorum oculi in omnibus essent ciuitati-
p.13. bus, vt omnium felicitatibus vexarentur. Sæua pestis in-
Ibid.p.31. uidia: se primùm, antequam alium, fera corrodit, & non-
dùm sui inexplebilis satiata transit ad reliquos, quos cæ-
cis æmulationibus insectatur. Et alia quidem emolumen-
tum aliquod: sed nullum prorsus reportat inuidia, quæ
cor & corpus mira celeritate consumit.
Cap. 12. Nulla res æquè adiuuat cursum vitæ, quàm temperan-
p. 6. tiæ moderamen.
Cap. 13. Quod diu tacueris, id puta rectissimum. Arcesilaus
p.3. philosophus, quæsitus quomodo quis placere posset homi-
nibus: Si fecerit, inquit, optima, & locutus fuerit pauca.
Socrates cuidam interroganti, quomodo posset optimè
dicere: Si nihil, inquit, dixeris, nisi quod bene sciueris.
Solon philosophus, cùm alijs loquentibus taceret, interro-
gatus: Vtrum propter inopiam verborum, an quia stul-
tus esset, taceret: Nemo, inquit, stultus tacere potest.
Theocritus in conuiuio tacenti rustico: Ex doctis, inquit,
hoc solùm habes, quod taces. Socrates Cleonam garrulam
volentem discere compescuit, dicens: Dicere & discere
non sibi compatiuntur, quia discentem silere competit.
Ibidem. O quantis opus est, vt stabile quid acquiras intim
bonitatis!
Non est pax vera, nisi quam mens boni conscia possid
Ca.14.p.3 Vera ingenuitas non recipit contumeliam.
Ca.18.p.4 Tales tibi comparabis amicos, quibus possis & in
Cap.20. uersis confidere, & in prosperis non timere: vt & hinc
p.1. aduersis subleuent, & inde te in prosperis non supplan
Qualem amicum habere volueris, talem te exhibeas
ipsum.
Ibidem. Semper in amicitia fixus esto. Contra amicum

credas, nisi quod ipse probaueris. Vera amicitia numquam fefellit, sed semper stabilis perseuerat. Si verò in contrarium actum est, numquam vera fuit.

Eo animo, quo acceperis dare debes. Si verò non eguisti accipere, eò lætiùs dare debes, quò minùs eges. Cap. 25. p. 16.

Simulatoriè loqui & facere, eiusdem est vitij: quia quæ facere turpe est, loqui inhonestum puta. Cap. 26. p. 9.

Quantumcumque magnus & potens sis, in cōtemptum, si mendax fueris, venies: honorabitur autem inops veritatis amicus: Viri boni est, etiā non pollicitā fidem seruare. Ibidem.

Etsi fœdum delectationis tamen commodum luxuriantem sequitur: conciliantem verò turpia, nullum, & hunc turpissimum iudico. Quantò inhonestior turpitudo luxuriæ prædicatur: tantò honorificentior pudicitiæ castimonia comprobatur. Est autem pudicitia virorum ac mulierum præcipuum firmamentum, cuius nominis respectus sincerus iuuentutis flos permanens, qua custode matrimonialis stola censetur. Duæ voluptates sunt gustus & tactus hominibus communes & bestijs. Et ideo in pecudum numero habendi sunt, qui his ferinis voluptatibus deseruiunt. Dum quidam stolidus, audiente Pythagora, diceret: Malle se cum mulieribus, quàm cum philosophis conuersari: Et sues, inquit, in cæno, quàm in floribus volutari. Cap. 30. p. 22.

Nullus maior est quæstus, quàm quòd cor arceas, antequam capiatur. Penes enim animū est effugere siue capi. p. 26.

Si oculus concupiscit, auerte: si aures hæserint, fuge: si arserit lingua restingue: si tactum manus allexerit, retrahe: si curiosus odor irrepserit, nares contorque. Et hæc quidem, si primo motu in vsum duxeris, abominabuntur sensus vicia, & inito fœdere cum animo conquiescent. p. 34.

Et nisi incumbat necessitas de facili non mendices. Cap. 33. p. 5.

Sicut nec vlla conditionis seruitute subijcitur animus: sic intra se libertate fruens, ad nullum sui contrarium cogi potest. Ibidem.

Seruire sapientiæ libertas est. Mira letitia & illuminatio mentis, integritas vera, & quies à tumultibus iocundissimè serenata. Cap. 46. p. 3.

Stude certis & bonis moribus, non questionibus, quæ finem non habent. Studeas non multa legendo percurrere, sed quæ vtilia tantùm. Cap. 48. p. 2.

Arcus non remissus, aut frangitur, aut mollescit. Ibidem.

Voca-

Ibidem. Vocamus autem continuum continentiæ, vel temperantiæ moderamen, vt fatiſcendo non conſumat ingenium, ſed conſummet.

Ibidem. Nihil inconſideratius, nihil ſtultius, quàm quæſtionibus & rebus animum occupare, quas nec ſcire vtile eſt, nec honeſtum experiri. Moueat te quæſtio honeſta moribus, cogitationibus pacis accommoda, ſpeculationibus diuinæ terminos non excedens. Impoſſibile multum & indignum eſt, attingere velle ſummum principium, cùm ipſa naturalium rerum principia in omni arte agitari probatione non ſuſtinẽt. Habet & ipſa naturæ ratio metas ſuas, habet & fines, qui ſoli naturæ Deo noti ſunt & aperti.

Cap. 50. p. 12. Nihil enim iucundius conſcientia bona. Magna pars beatitudinis eſt etiam in præſenti nihil ſibi in cõſcientia, nihil ſibi in mente reſiſtere. Hanc ſolam vitam quietam dicimus, quam interiùs mente pacatam inuenimus. Illud ergo eijcias quod remordet, quod angit, quod diſplicet, quod nullo alio teſte arguitur, niſi te. Gaudium quod foris eſt leuius euaneſcit, nec ſtabili pede figitur. Illud autem, quod intus eſt, permanet inconçuſſum, etſi mille impulſibus quatiatur.

Cap. 52. p. 6 O quàm ſtolidum illi ſpei, illi beatitudini non inniti, vt hinc lætus egeas in id, quod ſemper & mortis compendio mutes, quod in perpetuum non tollatur!

Ibidem. Mirum cernes, ſi prudẽs aduerteris: Vitam ſequeris, fugit illa: mortem fugis, & illa proſequitur, nec eſt vnus omnium qui euadat.

Ibidem. Verè beata mors, quæ melioris conſcia conditionis l… ta ſuſcipitur, nec vitam deſerere querulatur, quæ pot… ingerit tædium, quàm ſoletur. Propera inuenire quod … xum eſt, & perpeti ſorte manſurum vbi eſt.

Has præclaras ſententias viſum eſt ſeorſim annotare, v… citentur illi, qui in Seneca operibus adhuc ſuam operam … care deſiderant ad integriora exemplaria conquirenda, in … bus contineantur ea, quæ à nobis ſecundò eiuſdem opera… gentibus inuenta non ſunt. Credo autem maiorem horu… tem in epiſtolis deeſſe. Certè Lipſius in ſuis commenta… ptem librorum de beneficijs, Senecam frequenter mutil… teſtatur.